GRALLÆ

Seu

VERE PUERILIS

Cothurnus Sapientiæ, quo
ſe jactat apud imperitos

GUILLELMUS APOLLONII
Miniſter Eccleſiæ Mittelburgenſis

VEREANUS

In centionibus, quos edidit de Ju-
re Majeſtatis circa Sacra,
Contra libellum
Clariſſimi Doctoris NICOLAI VEDELII,
de Epiſcopatu Conſtantini Magni.



BIBLIOTECA
ROMA
VITT. EMANUELE

FRANEKERÆ. Anno 1646.

Celſiſſimis & Illuſtriſſimis rerumpublicarum reformatarum, piis Dynaſtis. Nec non, omnibus ac ſingulis pacis amantibus Eccleſiæ Chriſti Miniſtris. Salutem. Celſitudine Illuſtres Domini. & *pii Eccleſiæ Chriſti Miniſtri.* Non fuit rerum neſcius quiſquis primò dixit, *nil eſſe quod fortiùs multitudinem regat quàm ſuperſtitio*: diviniſſimè enim (ut omnia) profatus eſt Chriſtus; *prudentiores eſſe filios tenebrarum quàm lucis*: ut non modo fallentium, major plerumque ſit impetus, ſed ea multitudinis perverſitas, ut decipi malint quam ad rectum inclinare. Rarò tot elogiis verum cultum commendavit Deus, quin ferè plus ſuperſtitione adeptus ſit malus dæmon, quam Sanctus Dei Spiritus. Omnis mundi ætas ſi percurratur, in aſſerti hujus veritatem conſentiet. *Moſen* diviniſſimum prophetam Deus multis mirandis armaverat in legatione ad Pharaonem; at ſtatim obſtitere *Iannes* & *Iambres*, ea contentione, ut aliquamdiu plus valerent falſis exorciſmis, quam ille veris miraculis. Templum ſtruxerat, & inauguraverat *Salomon*, quaſi in perpetuam veri cultus cuſto-

diam: vix quadraginta annis poſt, gregarius Jeroboam, idola collocavit Dan & Bethel, tanto profectu, ut decem tribus in idololatriæ commercium traheret. quam impetuoſa fuit *Achabi Iſabel* in ſuperſtitioſi Baal patrocinio! ut non omnem modò Dei populum cum cultu extingeret, ſed ipſum *Heliam* (qui ignem de cælo poterat provocare) ita exterreret, ut ſtationem deſerens, profugus mortem vulgarem ſibi precaretur, cui tamen deſtinatum erat, igneis bigis ut tandem ad cælum eveheretur illuſtris. Nil apertiùs eſt quam plus moliri, plus aſſequi ferè *ſuperſtitionis falſos protelatores*, quam ſolent *veri cultus architecti.*

Is malus profectus ex multitudinis vitio naſcitur; cui proprium plus opinari quam ſcire; citiùs aſſentiri quam ratione experiri. Etſi non ſererent noctu *lolia mali homines*, avita tamen maledictione terra produceret Spinas. Etſi nulli eſſent Superſtitionum fabri multitudo vanorum appetens, ſibi fingeret quod ſuperſtitioſè veneraretur. Non oritur à veritatis defectu iſta calamitas, ſed Dei juſto judicio; quia ſicuti lapſus indignatione fecit, ut plus valeat terra ſponte protrudendis Zizaniis, quam omnis hominum labos producendis frugibus; ita quoque

plus

plus valeat *Serpens*, in dementandis Superſtitione hominum animis, quam Spiritus Sancti cooperarii in vera religione propaganda.

Nulla mundi ætas fuit, nulla regio, quæ non hujus rei aliquando experimentum dederit: nuſquam apertiùs tamen id viſum eſt quam ſub magno Antichriſto, quem præ cæteris armatum fore ἐνεργείᾳ πλάνης *efficacia fallendi*, prædixerat Paulus, ut veritatis incurioſos Chriſtianos ad mendaciorum fidem proliceret. Fecit hoc (ſi quis ab orbe condito) Pontifex Romanus: qui nil quam Superſtitionum farraginem populo obtrudens, illa tamen apud multitudinem plus valuit, quam prophetæ & Apoſtoli, veræ religionis & tot miraculorum patrocinio. hi enim ad ipſum uſque Petrum, non plus valuerunt, quam quod vitam cum labore & mundana ignominia traductam, tandem inter tormenta & cruces deponerent; ille contra Superſtitione armatus, ſolo Petri nomine & Cathedræ prætextu, eo altitudinis adnixus eſt, ut coronis tribus, duobus gladiis, omniumque Dynaſtarum poliis ornatus, ſe efferat ſupra omnes dictos Deos & mundi Monarchas, in templo ſedens, & eccleſiæ obtentu ita dementans homines, ut

2. Thes. 2.

 quem

quem vident, dicunt, & clamant, eſſe mendacem, impium, & falſarium, tamen credant eſſe religionis patronum & arbitrum. tanta perſuaſionis vis eſt quæ ex ſuperſtitione oritur, ut quaſi incantamento, quod vident homines non videant, & ſe credant videre quod non vident. unde nec mirum eſt quod omnium fallentium caterva ab ſuperſtitione ſua arma promat cum fallere inſtituunt, quæ veneni inſtar animos hominum occupat, tam facili contagio, quam fuſcedo ſub ſole verſantibus; quæ inſenſili momento prius exiſtere comperitur quam veniſſe.

Non manſit ſub Papa id vitium: ſunt inter reformatos quorum animi regnandi cupiditate inflati, & quibus ſordet Eccleſiæ Apoſtolicæ ſimplicitas, ac parendi potiùs quam regnandi contentio: ut non tam in verbo Dei, fide, fidei profeſſione, & aliis cultus realibus, religionis ſanctitatem ponant, quam in horum tractandorum jure ac miniſterio; ut non theſibus modò ſed plenis voluminibus, pro ſanctitate regiminis declament, omni contentione populo perſuadentes, tantæ Spiritualitatis eſſe hodiernum eccleſiæ regendæ Choragium, ut ab illo tanquam carnalis ſeparandus ſit magiſtratus

giſtratus politicus: unde facile dein fiat miniſtris, in eccleſiæ negotiis politicorum poteſtati ſe ſubducere , ac dein ipſis quoque politicis per indirectum inſultare ac præſcribere. quam novi papiſmi ideam prævipens Clariſſimus noſter Vedelius, ediderat libellum de *Episcopatu Conſtantini Magni.* in quo de Jure politicorum quod habent in Eccleſiæ negotiis hodiernis, tam circumſpectè ſcripſerat, ut nulli moderato animum nedum bilem moveret. metuens (quod in præfatione monuit) ne contentioſorum eccleſiaſticorum animus inquies excandeſceret: jamque id aptus credebatur, dum non omnium modo manibus tereretur opuſculum, Sed D. Maconii & Riveti teſtimoniis ſtabilitum, videbatur extra livoris impetum jacere.

At ſubitò mutatis rerum vicibus non ex propinquo , ſed à tranſmarinis Zeelandiæ inſulis noſtro Vedelio allapſa eſt moleſtia; ſic ut non in faciem modo ejus ſpueretur, ſed jam in cineres mingeretur indignè, à Guillelmo Apollonio quodam, qui non ſine mali ἀπολλύοντος genio videtur adornaſſe hoc negotium,ut noſtri Vedelii manibus, ſimul cum eccleſiæ & reipublicæ pace,vim intulerit. non enim in Cl. Vedelium modo,ſed

omnes magiſtratus Chriſtianos, magno volumine, tam effuſè debachatus eſt, ut videatur non imperii tantùm, ſed maledicendi dictaturam ſibi uni vendicaſſe: multis maledictis politicos proſcindens in genere, ſed tacitè (ut creditur) in Mittelburgenſem magiſtratum omnia tela vibrans. neque invenuſto apparatu res concinnata eſt; quod quaſi caſu, primus errores & blaſphemias Cl. Vedelii noſtri deprehenderit Apollonius, quos dein indicarit Conſiſtorio Mittelburgenſi, dein Claſſi Walachræ: cujus rogatu provinciam ſuſceperit invitus.

Ornatum eſt opus ſpecioſo titulo, *Jus majeſtatis circa Sacra*, quaſi pro honore magiſtratus decertaturum: cum tamen ubique nil quam carnalitatem bioticam, & in ecclesiaſticis negotiis nullitatem ac ſervitutem injurioſè iis exprobet; ut non ſemel ſacrilegii, & calcati Chriſti ſanguinis reos faciat politicos, ſi in eccleſiæ negotiis aliquid præter præſcriptum ejus audeant. Ne tamen in Clariſſimum Vedelium noſtrum omneſque pios magiſtratus, huic Walachro liceat quod lubet, ego Philarchiæ ejus pruriginem eſfloreſcentem ſtilo perſtrinxi: veſtrarum Celſitudinum erit, altius prorumpentem Scabiem authoritate veſtra, ſi opus

In præfation.

ſit

ſit compeſcere. Fateor me aures illi alicubi acriùs perfricuiſſe, ſed ſemper debito modeſtiùs: nunquam volens cum eruditionis umbra contendere; ſed quod ſolent quibus leonis cuſtodia eſt, ut canem verberent quo leoni metum incutiant, ita latrantem plectere viſum fuit, ut leonculos in angulis muſſitantes, altiùs ſi res ferat rugituros intra caveam continerem. Non eſt certiùs ſolem eſſe lucidum, quam à Papatu ſumptum eſſe hoc Walachrum commentum, eo fine procuſum ut in Walachria aut ſaltem Mittelburgi cum paucis aliquot Claſſiariis, poteſtativè regnaret unus Apollonius. Nolim quicquam partium ſtudio tributum: mihi Guillelmus ille Apollonii nullo memorabili beneficio aut injuria cognitus; ex arbitrio ſuo quiſque addat vel demat fidem; nil propoſitum fuit, quam ad abſurdum & riſum deducere, eccleſiaſticæ Sanctitatis Apolonianæ figmentum: non modò enim veteri papiſimo tam ſimile eſt, ac ovum columbinum gallinaceo, ſed eundem quoque finem intendit; ut quod apertè ac recta via Papa facit, quod Politicis omnibus præſit ac imperet: hic per indirectum & fallaci circuitione in ſuos magiſtratus obtineat, & ſi res ferat, experi-

mento comprobet : quorum utriuſque veritatem ſi hîc in Synopſi apponam, non erit ſpero vobis moleſtum percurrere, quibus ſeriorum negotiorum occupatio, perlegendi reliqua otium fortè denegarit.

Vetus eſt & omnium orthodoxorum pedibus calcatum fermentum pontificium, de externi miniſterii viſibilis Eccleſiæ mira ſanctitate ac Spiritualitate; quam fatalis Chriſti hoſtis Antichriſtus Papa ita perpolivit, ut mundo perſuaſerit, Sacroſanctum & Spirituale eſſe clericorum negotium, & ipſos clericos Sanctos & Spirituales. unde nata eſt hominibus Superſtitio, nec fas nec poſſibile eſſe laicis quidquam illorum negotiorum obire; Solis Spiritualibus eccleſiaſticis hoc convenire divino & inviolabili jure; quod ipſis naſcatur ex vocatione & confirmatione quæ *Spiritualem Characterem animæ & corpori, clericorum imprimat indelebilem*, cujus privilegio omnibus aliis Chriſtianis ut laicis præferantur ſanctitate. quem luſum à Judæorum aliarumque gentium ceremoniis mutuatum qui non videat inter papiſtas, cæcus ſit: ut nemo inter illos verſetur, quin ſentiat, tantæ efficaciæ eſſe illum *Spiritualitatis Characterem*, ut non perſonis modo etiam peſſimè moratis, ſed ipſis

ipſis veſtibus & neſcio an non excrementis deferatur quidam Sanctitatis honos; quod privilegium quia à vocatione & confirmatione naſcitur, hinc ab ipſis Antichriſtianiſmi primordiis, de jure vocationis, & ejus dignitate acriter diſceptatum eſt, ut quiſque alteri conferendæ ſanctitatis illius prærogativam & jus præripere ſtuderet. nuſquam id clariùs viſum quam in electione & vocatione pontificis Romani: illi enim divinitùs deſtinatum erat ut hoc Spiritualitatis prætextu ſe preferret omnibus monarchis: unde fatalis illi ſedi, & Epiſcopo, typhus fuit, quod ſe Sanctitate omnibus præferret & imprimis jus vocationis ſuæ, politicis ſubtractum ſibi vendicaret; quaſi prorſùs libero & divino privilegio: quem typhum prævidentes egregii Cæſares, Juſtinianus, Mauritius, Ludovicus pius, Othones, & imprimis Henricus. III. * variis pænis & legibus, coërcuerunt; ſibi ſervantes jus eligendi pontifices; donec Hillebrandus Papa Henricum IV. ab hoc jure extruſit, aſſerens eccleſiæ hoc totum ut Sacrum convenire; atque ita Antichriſti apoteleſmate donatus, & oſtendere volens ſuum in omnes dominium, Cæſarem illum coëgit per glaciem & nives (canoſſam venire ſibi ſupplicem)

* *vid. Platinam in vitis.*

Plat. in vita Greg. VII. cem)quod * Platinæ verbis refero:id evincit Antichriſtici faſtus initium fuiſſe, quod homines inbuerentur ſuperſtitioſa perſuaſione Spiritualitatis; unde nata eſt dein ſeparatio eccleſiaſticorum ab aliis Chriſtianis tanquam laicis; quæ eos primo exemit imperio & poteſtati politicorum in negotiis eccleſiaſticis; unde aula & forum eccleſiaſticorum extitit: quod cùm eſſet imperium in imperio, & regnum in regno, neceſſe fuit collidi inter ſe duas has poteſtates politicam & eccleſiaſticam, quæ tanta contentione ſæpè accidit ut orbis Chriſtianus tremeret; fatali tamen pertinacia quæ Antichriſto debebatur, tandem in pugna ſuperiùs manſit Eccleſiaſticum regimen; ut jam duobus gladiis, tribus coronis ſublimis Pontifex, omnium Cæſarum & Regum Sceptra ſub deſpectu habeat:

Hic Papiſmi typus eſt, cui ut antytypon reſpondet Apollonii regimen Walachrum. nil enim antiquius illi eſt, quam miniſterii eccleſiaſtici externa negotia, pro ſanctis, ſpiritualibus, & divinis apud homines extollere; * Sic ut ubique clamet eſſe res poli non ſoli, & ad animam pertingere eccleſiæ externa negotia; denique tam ſublimis naturæ, ut impoſſibile ſit *actus juriſdictionis* *eccle-*

* *Part. I. pag. 116. & pag. 119.*

Digitized by Google

eccleſiaſtica exerceri authoritate magiſtratus, ut quaſi de non tangendis ſacris ampulletur, quoties choragii eccleſiæ negotia recenſet; quorum tamen nil tam arduum eſſe competitur, quin cuivis modicè exercitato facile ſit; ſunt enim *prædicatio & precatio publica*; *Sacramentorum externa adminiſtratio*; *legum ad externum ordinem eccleſiæ conſtitutio*; *cenſura major & minor*, quarum hæc fit *abſtentione à cœna*: illa *ſeparatione à toto eccleſiæ corpore per verborum enunciationem*; denique *electio* & *confirmatio* ad *munia Eccleſiæ*: quæ omnia negotia conſtat hodiè fieri ordinariis donis, humano ac ſæpè perverſo modo, etiam à talibus qui Chriſtianarum virtutum vacui mera vitiorum ſaburra laborant: ut ſuperſtitionem obtrudat papiſtico more Apollonius, cum tam abſtruſa ſpiritualitatis myſteria, in externis eccleſiaſtici choragii operibus rimatur, ut quaſi omni humano captu & faſtigio altius credi velit, quod in Eccleſiæ miniſterio peragunt miniſtri. cum tota horum dignitas (prout hodiè fiunt) dependeat a generali Chriſti inſtituto, & a communi ordinis lege.

Quibus latebris excuſſus, papiſtarum quoque exemplo, confugit ad *vocationem eccleſiaſticam*, & imprimus *confirmationem*

per

per manuum impoſitionem; quæ licèt hodiè multis vænis conſpurcetur, & nulla ſpiritualitatis effecta edat in illis quibus confertur; perſuadet tamen miræ eſſe efficaciæ, ut Spirituale jus conferat, & Spiritualem prærogativam, ad Sacra eccleſiæ munia obeun-
*Part. 1 da, tam præciſo privilegio; ut * Sacrilegi-
pag. 87. um admitti ſtatuat, ſi quis vocationis &
& *pag.* confirmationis eccleſiaſticæ juſtis deſtitu-
71. tus, eccleſiæ illis *internè externis* negotiis manum injecerit, quod illuſtrat exemplo Uſiæ regis lepra correpti.

Ex quibus principiis dein naſcitur ſpeciale regimen eccleſiaſticum quod licèt in mundo eſſe quivis videat, & nimis mundanis mediis exerceri, a talibus qui poſt confirmationem omnibus laicis ſæpè ſunt carnaliores: tamen hoc vult credi, illud *regimen* non eſſe *hujus mundi*, nec *ſoli*, ſed *poli, cæleſte, ſpirituale, ſanctum, independens* ab ulla poteſtate mundi, *in ſe abſolutum*, & quodammodo αὐτεκρατόρικον; *propter inſeparabilem eccleſiaſticorum* ὑπολαγὴν *tanquam legatorum ſub Chriſto*, unde illis conveniat
* Part. jus, quod ſint προεστῶτες, *duces, paſtores pa-*
2. *pag.* *tres*; quo titulo iis ſolis liceat *præire, præeſſe,*
323. *paſcere, leges promulgare, punire* idque cum *imperio, poteſtative*, & *authoritative*, in ec-

cleſiæ

cleſiæ *formalibus*. unde porrò inſociabilem diremptum facit, inter poteſtatem & regimen politicum ac eccleſiaſticum; * *quia ſubiecto fine & mediis ita diſtent, ut cælum terra miſceri putet* ſi politicus interna eccleſiæ audeat attingere. non enim concedit ut politica poteſtas ſit in, ſed tantum *circa eccleſiam*, quæ nil quam *circumſtantias* eccleſiæ tangat & tractet tanquam *accidens ſeparabile* quo eccleſia facilè poſſit carere, ac caruit ſub Apoſtolis, & tempore primæ reformationis: ut nihilò plus convenire in eccleſiæ negotiis aſſeveret pio magiſtratui & Chriſtiano, quam impio, quo ad jus: niſi in cau extraordinario, cum totus clerus irreformabilis eſt; ea tamen lege ut hujus rei judicium ſit penes eccleſiaſticos: extra quem caſum ſi magiſtratus in iis quæ ille formaliter eccleſiaſtica vocat; aliquid agat: clamat apertè ſacrilegium & rapinam admitti; jura ſponſæ Chriſti violari, pro quibus ſanguinem fudit; imò feliciorem fuiſſe eccleſiæ ſtatum ſub cruce, propter liberam qua tunc utebatur juriſdictionem, quam nunc ſi magiſtratus ſe velit eccleſiæ negotiis immiſcere. ut reipſa *Gibeonitarum* loco æſtimet magiſtratus pios; qui nunquam in ſancto *ſed circa id* verſebantur, ſan-

* Part. 1. p. 91. 93. &c. p. 95.

cti quidquam agere aut tangere non poterant, ſed neceſſariorum ſuppeditandorum ſervili obſequio addicti, fraudem & profanitatem ſuam ſemper debebant fateri.

Ex tot malis papatus radicibus, non mirum eſt ſi in Apollonio & aliquot ejus aſſeclis naſcatur hic fructus, ut politicis non modò maledicant, quotiens eccleſiaſticis videntur, in eccleſiæ jura impingere; ſed contra etiam in politicis, audeant magiſtratui præſcribere & imperare pro authoritate paſtoratus; ut nulla jam ſanctior videatur illis eſſe *Catecheſis* quam ut ſibi invicem perſuadeant, magiſtratus politicos ab iis omnibus quæ illi eccleſiaſtica cenſent, ſimpliciter arcendos eſſe; neque in *quantum magiſtratus munere funguntur*, ad minimum quidem hodiernæ ſpiritualitatis eccleſiaſticæ admittendos eſſe; cujus apicem ſi alibi attigiſſe videantur; omni conatu illis obſiſtendum tanquam profanis; directè, vel ſi, ad hoc vires deſint indirectè ac per cuniculos; privatim aut publicè ad populum declamando. videtur certè hoc opere claſſicum ceciniſſe Apollonius, & in ſe exemplum edere voluiſſe, ex quo diſcerent turbulentiores miniſtri ſi fors & occaſio tulerit, in magiſtratus ſuos quiſque audere; ac

vile

vile & bioticum illorum jugum aliquando excutere. nec incertum eſt alibi quoque ſimilia inſecta latere ; ſed torpida & quaſi intra teſtam hærentia, quorum tamen nemo tam ignavos ſpiritus fovet, quin ſi felicem ſucceſſum invenerit Walachrus pullatus, brevi ſimilium Zelotarum magna ubique adfutura ſit copia.

Nolo ulterius vatem agere : proferam nunc Apollonii & conſciorum ejus Walachrorum acta non paucis ab hinc annis edita, quæ docebunt jam dudum illis in animo ac propoſitum fuiſſe, politico magiſtratui primùm in eccleſiaſticis legem præfigere, tum quoque in politicis ; & convellendæ eorum authoritati omnem lapidem admovere.

Non ita pridem gliſcente inter regem Angliæ ; & parlamentum bello ; vicinia locorum & religionis commercium, à turbata illic republica, ſparſit per populum querelas, quæ per indirectum (ut ſolent) videbantur commiſerationem & ſuppetias poſtulare. novarum rerum jam diu appetens Apollonius cum ſuis, & quieſcentibus aliis eccleſiis, ſtudebat ſe iſtis turbis immiſcere ut Anglis innoteſceret : tantumque apud Walachros conſuetis artibus profecit, ut inter alios, provinciam ab illis obtineret, 1. *Exēplum.*

conſolandi illic eccleſias per litteras, & offerendi verbale ſolatium.

Hoc reſcito Zeelandiæ Ordines, & reputantes, quam periculoſæ id opus *plenum eſſet aleæ* ſi Zeelandiæ miniſtri Angliæ negotiis ſe inconſultò ingererent, ita ferventibus * inter regem non ſolùm & parlamentum, ſed inter parlamenti proceres; adeo ut aliqui hanc, alii verò illam eccleſiæ politiam affectare viderentur; ſtatuerunt Illuſtriſſimi d. ordines; ne à miniſtris Claſſiariis jam concepta & ſcripta epiſtola, in Angliam mitteretur, niſi primùm à ſe lecta & examinata. ubi tum demum (quod hic notandum) miniſtri ordinum nomine admoniti, ut exemplar litterarum ordinibus legendum vellent tradere: ſtatim audacter tergiverſando obſtitere; affirmantes ſe non poſſe hac in re ordinibus obtemperare, niſi primùm principales, hoc eſt claſſiarios ſuos conſuluiſſent. reſponſione non obſurè innuentes, ſe in Zeelandia alios præter ordines principales agnoſcere; uti quoque non diu poſt, ipſo facto comprobarunt. cum enim animi jam illis turgerent imperandi orgaſmo; quem ex Apollonii ſcripto de jure majeſtatis non ita pridem contraxerant: mandato ordinum ad examen revocato,

* *Regni illius diſſidiis*,

to, ſtatuerunt contra, non parendum eſſe huic ordinum decreto: ſed immiſericordiam animique dejectionem illis tacitè exprobrantes, immiſcuerunt ſe Angliæ litibus; ſcriptis ad Britannos eccleſiarum nomine litteris, ac invitis ordinibus ad illos miſſis. quod ne clandeſtinè feciſſe viderentur, Walachrorum mandato idem Apollonius dein libellum conſiderationum typis edidit ad Anglos; non obſcurè innuens, ſibi ex Hierarchiæ jure hoc animi poteſtatiſque eſſe; ut non in eccleſiaſticis modò, ſed in iis quæ reipublicæ ſtatum concernunt, ſummi magiſtratus conſilia & decreta poſſit contemnere.

Hoc Juriſdictionis eccleſiaſticæ ſpecimen dein excepit haud diſſimilis caſus. bellandi infelix pervicacia ad famem perduxerat Hibernorum populum: ut non rumore modò ſed ipſius parlamenti inditio percrebreſceret fama, jam myriades Hibernorum fame interituras ni ſubſidio promptè levarentur. res parlamenti nomine primùm ad ordines generales delata; & ab iis amandata ad provincias Zeelandiæ ordinibus quoque curæ fuit. qui in comitiis ordinarunt, ut in omnibus urbibus & pagis ſuæ ditionis ſuppetiæ peterentur, modò cuivis *II. Exemplum.*

 loco

loco convenienti : addita expreſſa lege ut collecti æris ſumma , ad menſam Mittelburgenſem tanquam ad commune ærarium deferretur: quo certius & citius ab ordinum delegatis , miſeris & anhelantibus veniret ſolatium. ibi tum ſentiens Apollonius cum ſociis , eccleſiæ juriſdictioni & ſuo imperio , collectarum diſtributionem hoc pacto deceſſuram. non clanculum modo muſſitarunt, ſed ſatis apertè teſtati ſunt, ſe ordinum decreto haud obtemperaturos eſſe. cui inobedientiæ ac rebellioni Apollonianæ, magiſtratus Mittelburgenſis nequaquam favere cupiens : & memores quoque contentionis quæ ante per Apollonium & conſcios ejus mota fuerat de accipienda & diſtribuenda collecta Sweibrugorum nomine, ubi totum illud jus tanquam ſacroſanctum & ſoli eccleſiæ proprium ſibi vendicabant : metuentes quoque ne his & aliis remoris in auxilio tam prompto ac neceſſaio ; funeſta mora injiceretur : non minùs piè quam prudenter, collectam domatim facere decrevere. neque id omnino præter urbis ſuæ conſuetudinem , qua quater in anno ; deputati magiſtratus una cum diaconis , domatim collectam facientes , pauperum egeſtati ſuccurrunt. oppoſuit hic ſe cum eccleſia-

cleſiaſticis Apollonius : non obſcurè inter-minatus , ſe eccleſiæ membris (ut ſolent) non commendaturum beneficentiam in Irlandos: ſatiùs eſſe muſſitans nunquam collectas inſtitui; quam ut nefaſto more per magiſtratus, tam ſanctum opus eleemoſinarum, profanaretur : volens etiam oſtendere quantum pro ſuæ juriſdictionis ſacris auderet; rem in conſiſtorio agitatam, ad claſſem Walachram traxit, quorum ſuffragio adjutus, magno ſcripto ſignificavit magiſtratui Mittelburgenſi, facturum *contra ſcripturas*, *Apoſtolorum morem*, *jus eccleſiæ hodiernum*, contra *confeſſiones*, & quaſi *ipſum juramentum patriæ*, denique *in totius religionis detrimentum*; ſi auderent ſacro negotio, colligendi & diſtribuendi eleemoſinas, politicas & profanas manus admovere; aſſerens hoc ſanctum opus à ſanctis h.e. ab eccleſia, poſtulatum pro ſanctis; legittimè non poſſe obiri, niſi à ſanctis eccleſiaſticis: quas pueriles venias etſi alibi cum riſu dejecerim, tanti tamen fecit Apollonius, ut apertè ſcribat exhibiti ſcripti Artic. IV. Ordinem & arbitrium collectarum, eccleſiæ *convenire*; *nec dependere ab ulla poteſtate extra eccleſiam*. quod ſi verum ſit, jam non eſt politicis jus deliberandi amplius de collectis faciendis, apud ſubdi-

tos ſuos; quorum certè maxima pars. ſunt eccleſiæ, ſub ditionibus ſuis. quia enim poteſtas magiſtratus non eſt in , ſed tantùm *circa* eccleſiam(ut accuratè alibi canet Apollonius) ex illa Hypotheſi, non licet magiſtratui ſacro eccleſiæ populo cenſum in ſacrum uſum imponere, faceret enim profanè; ſed id juris unicè convenit eccleſiæ,hoc eſt miniſtris & preſbiterio : quod ſi ratum eſſe debeat ex Apollonii Theologia : jam nullus in eccleſia ſuarum rerum certus erit; nec ulla major principis in ſubditos eſt poteſtas,quam miniſtorum eccleſiæ, in Chirſti membra : poteſtatis politicæ ſummum eſt, quod ſubditis cenſum imponat:quod ſi prædicatoribus pro arbitrio liceat in eccleſia ; ea poteſtate, quæ à politicis neutiquam dependeat: jam nemo non videt, apertam januam eſſe qua non imperent modò abſolutè; ſed rem comparent eccleſiæ rectores, Papæ in morem : quidquid enim ille jam longa principum lentitudine corraſit, per indulgentias, donationes, reſervationes, annatas, & ſimilia inventa, hoc totum hodiè obtinebit eccleſiæ miniſter eleemoſinæ ſpiritualis obtentu. non ſatis erat Apollonio id verbis declarare, ſed rem facto comprobavit: claſſis enim Walachra, ratiunculis

culis Apollonii fidens, diaconis pro authoritate ſignificavit, *ne manum magiſtratui præberent*, vel *quoviſmodo ſervirent in collecta ſic facienda*; neque id occultè fecerunt, ſed apertis litteris ſignificatum eſt magiſtratui Mittelburgenſi, 24. decem. 1643. quas conſiſtorii nomine ſubſcripſerant, *Iacobus Anſelaer*, *Guillelmus Apollonii*, *Petrus Velde*, *Anthonius Bakelier*. Claſſis vicem expleverant I. *van deynſe*. *Iſaacus Horenbekius*. I. *vanden Brande* miniſter Uliſſinganus. qui cæcam obedientiam ſe præſtitiſſe Apollonio vel hoc ſolo oſtendit; quod eam legem magiſtratui Mittelburgenſi ponere non gravatus eſt (idque ex jure Chriſti) à qua ſciebat ſuæ civitatis magiſtratum liberum eſſe. inconſultis enim, & non renitentibus ſuæ urbis miniſtris; Uliſſingenſis magiſtratus collectam oſtiatim fecit. ut apertum ſit ſolius Apollonii inſtinctu, ex odio quo in magiſtratum æſtuabat, hanc fabam in Mittelburgenſis urbis rectores eſſe cuſam; cujus ſeditionis tandem fuit hic finis, ut tempori tùm ſervire volens prudens magiſtratus Mittelburgenſis, diſſimulata indignitate, conceſſit miniſtris ut collectam in templo facerent, data primùm fide, ut totus collectus theſaurus ex ordinum decreto ſta-

 tim

tim in menſam deferretur. utcumque id Apollonius fecerit, nil certiùs tamen eſt, quam ob litem interjectam, & ex lite remoram, innumerorum Irlandorum extitiſſe caſum & irreparabilem ruinam. quanquam enim in omnium ore & ab ipſis miniſtris ſepè inculcatum eſſet; multorum exitio auctam iri cladem Hibernorum, ni promptiſſimè ſuccurreretur : plus valuit tamen apud Apollonium & novos Zelotas, de tantillo juris eccleſiaſtici apice decertatio, quam tot ſanctorum ex media interitus & mors.

III Exẽplum. Ex tam feraci contentionum hortulo *Apollonianæ ſpiritualitatis*, multi dein ſimiles protervìæ fructus protuberarunt.

Permiſerat jam ab longo tempore magiſtratus, *organi in templo concentum*, ad corrigenda pſalmodiæ crebra vitia, & diſcentus turpes; Vetere inſtituto, nec improbato à miniſtris Apollonii prædeceſſoribus.

Fluctuabat etiam tum Senatus politicus ob varias cauſas, nominatim Apollonii & cõſciorum ejus tacitis conatibus: omni ſtudio id agentium, ut ab clavo reipublicæ removerent qui Apolloniano ſupercilio non adulabantur; utq; ſoli regimen obtinerent, quos vel neceſſitudo, vel tacitus in eccleſiæ juriſdictionem favor, Apollonio devinxerat:

quem

quem colluſum, & ſpecioſæ conſpirationis fucum, felici prudentia dijiccere qui tum rerum potiebantur, remotis abreipublicæ præfectura quibuſdam, ob juſtas cauſas, aliiſq; in eorum locum ſuffectis; nil tamen agentes quod non privilegiorum juſtis reſponderet.

Acceſſit dein quod negotiorum curialium onuſtus magiſtratus, cum finiendis litibus non ſufficeret, ex ſuo & litigantium voto; ſumpto ab Amſtelodamo aliiſque urbibus exemplo, quo ſe minorum cauſarum cura liberaret ;. inſtituerit *forum parvarum rerum* (quod vocant) ubi ſine cauſidicorum interventu, cuique liceret, de ſua re contendere. quorum agendorum ſtudio cum ſepè (ut illic moris eſt) ſeorſim conſultarent conſules, & qui primaria authoritate valebant non advocatis quos tum Apollonius cum ſuis fovebat: indignatus res regiminis politici ad ſuum nutum non geri, quotidianis invectivis ab ſuggeſtu rectores urbis perſtrinxit. quos impetus cum ſentiret ab illis magno animo contemni, traxit tandem in ſocietatem audciæ omnes collegas, cum quibus fandi copima nactus apud urbis rectores, gravi ſenſura eos coram increpuit, multa objiciens & audacter carpens, ut in quatuordecim articulos excreſcerent

accuſationes: quarum hæ quoque erant.

Quod toties moniti de organi concentu ex templo amovendo : hactenus non paruiſſent.

Quod *clandeſtinis conventiculis* uterentur in conſiliis captandis.

Quod à *Reipub. clavo removiſſent aptos, ineptioribus in illorum locum* ſuffectis.

Quod *nova tribunalia* erexiſſent, eo fine, ut *adinventis* novorum muniorum beneficiis, aliquot cives ſibi devincirent etiam *cum detrimento juramenti* ſui. Denique *quod eccleſiæ adverſarentur, & factis oſtenderent ſe papiſtis favere.* cujus nævi ſi quis alibi, magiſtratus certè illius urbis creditur eſſe 'inſons. cum non ſemel compertum ſit conſules ipſos lentitudini prætoris non fidentes, manum conventibus papiſticis injeciſſe, intercepta totius miſſarii cultus ſupellectile: ſuo exemplo ſuperſtitioſum hoc hominum genus, omnes alios magiſtratus compeſcere docentes. Hæc & alia in os ſibi exprobrantes miniſtros Apollonii impulſu, tulit tum ut par erat graviter prudens magiſtratus; adnotata tamen per penſionarium accuſationum ſumma, ad pacem & modeſtiam hortatus eſt miniſtros; nil ultra verbatum progreſſus, quanquam audaciæ flabel-

flabellum cum pauculis eſſe noſſent Apollonium: reſervatis ſibi in occaſiones, acriùs corripiendi momentis. eſſent multa ſimilis farinæ dicenda: nunquam à propoſito deſtitit Apollonius; quin vel in Hollandia vel Anglia aliquam eminentiam quæreret, quam domi apud Mittelburgenſes non inveniebat quæ illi ſatisfaceret, ſolius magiſtratus obniſu: cui cum ſciret omnes malas ſuas artes eſſe notiſſimas, & de victoria deſperans, non deſiit tamen moribundi Priami in morem tela imbellia ſine ictu projicere, ad omnes occaſiones attentiſſimus: quidquid ſperaret, paci eccleſiæ, aut magiſtratus exiſtimationi directè vel indirectè obfore, non occulto modo ſed aperto conatu fovit & arripuit; ut unico exemplo addito oſtendam.

Leonhartus Cipeſteyn è cauſidicorum fece unus: jam dudum reipub. gubernaculis inhiabat; nunquam voti compos, & ſperandi tædio irritatus, jam à longo tempore magiſtratibus ſuis parum favere viſus erat: ubi tum caſus tulit, ut proditionis reus eſſet quidam nebulo Lumirius, qui ſimulata ſtultitia tormenta primùm, dein vincula ac mortem effugit: in hujus patrocinium (ut volunt) is Leonhartus ſe quoque I v. *Exemplum.*

in-

intruſit,ſpe prædæ an maledicendi ſtudio:fecit certè hoc tam impudenter, ut pleno tribunali,magiſtratui ignorantiam & injuſtitiã exprobraret;tanto auſu,ac ſi circumſtantem vulgi coronam (quæ tum litis novitate prætorium ſtipaverat) in Magiſtratum voluiſſet inceſſere. Senatus Mittelburgenſis cõmotus facinoris audacia, de relegando homine ſeditioſo diu deliberavit: nec tamẽ vindictam ulterius intendit, quam ut decreto caveret; ne ad cauſas dicendas aut ſcribendas amplius admitteretur ille Leonarthus;malens reſipiſcendi occaſionem relinquere quam præſcindere. Is tamen arte Apollonianæ ſpiritualitatis adjutus, non deſiit vindictæ in magiſtratum omnes auſas rimari; quarum dehinc inſignem nactus eſt Apollonii ope,qui ex intimis theologiæ ſuæ loculis id valuit excutere;hominem turbulentum,& ob ſeditionẽ & injurias in magiſtratum ſuum à publicis cauſidicorum ſubſelliis excluſum, neque ab hoc publico ſcandalo legittimè purgatum;in præſbyterorum numerum aſſumi poſſe. id enim potuit hic Cipeſteyn,Apollonii arte& favore;ut in ſeniorum eccleſiæ numerum allectus ſit:non quod viri virtus eccleſiæ aliquo uſu eſſet: Sed ut magiſtratui injuſtitiam exprobrarent Apolloniani eccleſiaſtæ, in

præ-

præſbyterium evehendo,quemilli infrà ſubſellia ſua depreſſerant:imprimiſq; ut naſceretur occaſio cauſidico,omnibus ex tribunali eccleſiaſtico; vindictam & injurias per indirectum referendi,politicis. Hæc me fateor ex relatu ſcribere, ſed haud dubius veri. ut qui ordinum illic acta , & magiſtratus Mittilburgenſis archiva ſcrutetur,comperturus ſit, à vero non plus abeſſe me,quam ab ratione. quæ apertè oſtendit,nil jam diu cogitatione, verbis,& factis cõtendiſſe Apollonium cum aliquot ſuis Walachris,quã ſuo exemplo docere ſimilis farinæ ſpirituales, ut audeant in politicos & principes ; & Papæ,in morem, laicorum illorum carnalem poteſtatem,prætextu eccleſiaſticæ hierarchiæ, diſſolvant ac ſibi ſubjiciant.ut jam non Vedelii noſtri manibus parentare,ſed politici regiminis,& totius eccleſiæ exequiis obſtitiſſe videar : omnium enim temporum experimenta docuerunt,veſtra poteſtate projecta , in mutuam perniciem ſtatim concurriſſe,illos ἱεράρχοντας unde nihil quam miſera ἀναρχία exiſtat neceſſe eſt,niſi alter ex reformatis Papa & Antichriſtus oriatur. prodigus eſt ubique conviciorum in vos ille Apollonius, quorum non poſtremum eſt quo valdè delectatur, quod Papas politicos & ex conſequenti Antichriſ-

tos

tos vos fore præſagiat; ſi hodierna eccleſiaſtica (quæ ſibi ſuiſque ſolis vendicat) architectonica authoritate, qua divinitùs polletis, formaliter obire aut tangere audeatis. nuſquam magis hallucinatur quam hic; quia Romanus Epiſcopus eo ipſo Papa eſt, quod architectonicam & monarchicam poteſtatem quæ vobis ſolis propria eſt, ſibi arroget Antichriſtus; quod interdicente Chriſto in perniciem regni Chriſti illa abutatur. Si Paulinam prophetiam de Antichriſto expendiſſet Apollonius, poterat vidiſſe, impoſſibile eſſe ut Princeps politicus eſſet Papa vel Antichriſtus. Is enim diviniſſimè prædixit de Antichriſto quod eſſet templi ſeſſor. vos autem principes non in templo, ſed Soli in ſummo mundi Solio divinitùs ſedetis: unde ſi majeſtatis veſtræ radios ad eccleſiam Chriſti evibretis; nihil facitis quam quod in ſole quotidiè experimur, cujus radii in cælo poſiti, terram fœcundant. illius quoque dixit futurum proprium, ὑπεραίρειν efferre & extollere ſe ſupra omnia mundi altiora; quod facit Papa, & conatur Apollonius; vos autem ad eccleſiæ negotia ſi devenitis, non attollitis authoritatem veſtram; Chriſto vos ſubmittitis & authoritatem vobis ſolis à deo con-

ceſſam

ceſſam. Denique is debebat in eccleſia ſedens ſe efferre ſupra λεγομένους θεούς, dictos deos & monarchas; vos autem eſtis ipſi dicti dii & monarchæ; ſupra vos ipſos efferamini neceſſe ſit, ſi fiatis Papæ & Antichriſti: utcumque ergo faſtu indecoro turgere poſſitis, tamen ſi eccleſiæ negotiis vos immiſceatis (quod veretur Apollonius) nil Antichriſto par facietis, cui formale eſt ſuperbire & ſe extollere: ſed contempto potius mundi faſtu & ſplendore, oſculabimini filium; & ei faſces ſubjicietis: non tamen indecoro & miſerrimo contemptu, ut à monarchis Pontifex Romæ obtinet, & ſibi Mittelburgi comparare nititur Apollonius: quam peſtem ut avertat Bonus Deus; in centones ejus quæ videtis, ſcribere viſum fuit; quorum ſummam præfatione edidi: ut jam voto finiendum ſit procœmium.

Ne ſuperſtitioſa ſanctitatum eccleſiaſticarum pigmenta metuatis: quaſi mundana carnalitas quædam, hodierni eccleſiæ choragii negotiis vos reddat inhabiles, ut garriunt novi papiſtæ. Scilicet! quibus Deus ſpiritum adoptionis largitur, ut credatis & corpus omniaque veſtra in victimam ſacram illi conſacretis; quibus Deus ſpeciali mandato verbum ſuum dedit ne

unquam

unquam ab ore veſtro decederet; quibus Deus ſummam poteſtatem conceſſit ad honeſtatem cultumque ſacrum & pietatem propagandam; non liceat ſacra à Deo inſtituta dirigere vel obire ſine ſacrilegio: quorum hodie nil tam grande eſt; quin vel profanus impoſtor, aut virgæ ſcolaris vibicibus necdum expurgatus tyro poſſit perficere.

Reſpondent vulgo; vos quidem fortè poſſe, ſed ob vocationis defectum non licere; cum veſtrum tantum ſit biotica tractare, & talia quæ viliſſimis eccleſiæ membris aptè poſſent committi: imò ſi Apollonio creditis; accidens eccleſiæ eſtis ſeparabile: qui finem veſtri muneris tantùm habetis tranquillitatem populi; religionem, Vero, pietatem & honeſtatem non niſi remotè, & impropriè. quæ totidem ſunt blaſphemiæ quibus principibus populi maledicunt. vos enim eccleſiæ eſtis cuſtodes, patres, κυβερνῆται, προϊστάμενοι, vos capita populi, vos ipſe Deus deos vocat. quis ergo non videt Dei ordinationi reſiſtere Apollonianos turbones? qui vobis dîs noſcendi terminum ponunt: qui mundanis circumſtantiolis, curam veſtram circa res eccleſiæ cludunt. Jubet vos deus ipſe oſculari filium;

prædicit

prædicit Jeſaias vos futuros eccleſiæ mutritios; veſtri muneris finem & effectum apoſtolus dicit eſſe tam religionis & honeſtatis, quàm publicæ tranquillitatis cuſtodiam ſine ullo diſcrimine. Apollonio igitur & ipſius aſſeclis non credite; nam ſi hac ſaccaria vobis ſemel imponant,ut religionis totum illis committatis negotium, derelicta eccleſiæ cura, veſtras res curabunt: ab ſuggeſtu ad prætorium tranſilient: hoc facit jam diu Papa: imitatus eſt Joannes Becholtius Monaſterii: id unicè cum ſuis venatur Apollonius Mittelburgi. contemnite contentioſorum hominum inanes bombos! Æſopici lupi ſunt: qui curam ovium ſibi ſolis poſtulant, ut ab grege canum cuſtodia depellatur. imitamini potiùs pios reges & principes, qui exemplis vobis præluxere: & imprimis Moſen, qui Aroni & toti ſacerdotio præfectus,non ut ſacerdos vel propheta, ſed tanquam Deus & princeps:ſacerdotii Aronici & religionis curam, non minùs quàm Aron in ſe ſuſcepit; non ipſa faciendo quod Aroni & ſacerdotibus divino & ſpeciali privilegio erat tributum; Sed univerſum cultum à Deo inſtitutum dirigendo & moderando eminenti poteſtate qua ſola Aroni & ſacerdotibus præpolle-

(*⁎*) bat,

bat, tanquam illorum Deus & princeps. cujus veſtigia dein ſequutus eſt Joſua populi Iſraelitici princeps, & Moſis ſucceſſor: nec non, David, Salomon, & alii pii reges: quorum Salomon ſola regia authoritate fretus Abiatha ſummum ſacerdotem relegavit, ut eccleſiaſticam pœnam illi infligeret, hoc eſt; ne amplius eſſet ſacerdos domini. quo jure Sadocum in illius locum quoque ſuffecit. Pius Joſaphat qui nec ſacerdos, nec propheta fuit; judicia eccleſiaſtica non minus quam politica inſtituit, & in iis judices & præſides, nemine ſacerdotum reluctante: imò anno regni ſui tertio, urbatim ad docendum & prædicandum miſit cum libro legis, non ſacerdotes ſolùm, ſed principes politicos. qui certè (ut Dei cultus tunc collapſus erat) maximi tamen ſacrilegii reus fuiſſet: ſi vel victimas Deo offerre, vel arcam geſtare, vel ſanctuarium ipſe ingredi voluiſſet; vel quidquam eorum perfeciſſet; quæ Deus ſpeciali privilegio ſacerdotibus conceſſa, omnibus aliis interdixerat. Contemnite igitur Apollonii & ſimilium ejus impoſturas, quas vobis ſtruunt exemplis Uſiæ regis, & Uſæ. puerilia crepitacula ſunt, quæ hactenus adhibuit ſceleratus Antichriſtus ad terren-
dos

dos δεισιδαίμονας ſuperſtitioſos. futilia ſunt! quæ uſus & ratio vos doceat contemnere. Si enim publicè orare, verbum dei prædicare, prædicatores mittere, judices eccleſiaſticos eligere, ſacerdotem à miniſterio removere, alium in ipſius locum ſufficere, res ſunt & negotia tam ſpecialis juris, quam ſanctuarium ingredi, Thus adolere & alia quæ levitis ſpeciatim addixerat Deus non ſolus Uſa cecidiſſet, nec Uſias lepra correptus eſſet, nec Philiſtæi hæmorrhoidibus laboraſſent, ſed innumeri pii reges & principes Dei vindicta jacerent. Etſi enim ex legis præſcripto ab omnibus leviticis negotiis abſtinerent curioſè: tamen ut impoſtores deriſi eſſent Levitæ, ſi hoc prætextu, illos ab omnibus cultus operibus arcere voluiſſent. intra legum præſcripta manebant, nec poterant pro ſanctis non tangendis illis obtrudi; quæ Deus expreſſa lege non ſeparaverat. deleta nunc eſt vetus levitica & templaria ſeparatio: & tamen hic novus levita Walachrus perverſa Judæorum imitatione, pro ſanctis & non tangendis in ſuo Choragio venditat, quæ ipſi veteres Levitæ ſi adeſſent, non interdicerent vobis. indigniſſimum enim fuiſſet olim à ſanctis alibi arcere pontificem, cui licebat ſanctum ſanctorum

ctorum introire; hoc privilegio donato ; nil erat tam ſacrum quod tangere non liceret : quam injurium eſt ? hos novos ſacerdotes prætextu ſanctitatis , ab externis & hodiernis eccleſiæ negotiis abſterrere vos, quibus divinitùs ſpeciale jus eſt , in hodiernum Chriſtianorum ſanctum ſanctorum quotidiè introeundi. Nil nunc eſt in eccleſia & toto orbe ſanctum & infallibile , quam ſacra ſcriptura : hæc nobis ſanctum ſanctorum , hæc propitiatorium , arca , cherubim ; hæc lorica multò nitentioribus margaritis quam illa Judæorum conſerta ; hæc Urim & Thummim : & quidquid olim Judæis erat venerandum quod interiit , hæc longè ſuperat, nec interitura , ſi cælum ipſum ruat : in illa de rebus ſalutis , non ſacerdotibus ſolum , ſed vobis non minus reſponſum dat Deus , certum ſemper & infallibile : hoc introire vobis cum liceat , ipſe Deus ſpeciali lege mandet : quantæ veſaniæ eſt ? à minoribus choragii ſanctis , quaſi non tangendis , ob ſanctitatis prætextum vos abſterrere : Chriſtianæ felicitatis & libertatis eſt , quod omnes nunc ſub Chriſto ſumus prophetæ , Reges , & ſacerdotes : quod generale Chriſtianitatis

tis privilegium tam amplum eſt, ut neminem à ſacrorum hodiernorum adminiſtratione excludat, modò donis ſit inſtructus. decoro obſuerit & ordini, ſanctitatem muneris haud violabit, ſi quis miniſterio hodierno, ſine vocatione manum immittat: vocatio hodierna humana eſt, & ſæpè vitioſa: ordini conſulit, nihil ſpecialis ſanctitatis confert: factum Apoſtolorum imitatur hodierna manuum impoſitio, non effectum: adeo ut confirmatus idem ſit poſt qui fuerat ante manuum impoſitionem.

Sed gloriantur Apolloniani ſe Chriſti legatos eſſe; Arrogantiæ hoc mendacium eſt. non enim docendi munus in eccleſia obtinent (ut olim Chriſti legati) divino & ſpirituali modo; ſed humanis donis, & humana vocatione; quæ generali Dei & Chriſti inſtituto inſervit eccleſiæ nunc collapſæ, ac iis donis deſtitutæ, quibus Apoſtolorum tempore pollebat. Vos Dei legati eſtis & eccleſiæ patroni, quibus in perpetuum ſpeciali præcepto, eccleſiæ cura ſub Chriſto demandata eſt: quam non ſuſcipere flagitium eſt; vobis autem eripere ſacrilegium: quod nunc politicorum generoſis dixerim. Vobis

pietatis verè amantibus miniſtris, poſtremo dicam. contemnite Appollonii & conſciorum ἀυθαδέιαν. Seditioſi ſunt & novas res quærunt: Papalem hierarchiam moliuntur, cum veſtri honoris jactura: mundi gloriam venantur, honorem verum Chriſti vos amittere facient: omnis honos verbo Dei debetur, non propriè vobis. miniſterii & oneris debet vos admonere vocatio, non imperii: quis veſtrum ita cum Apollonio ſuperbiat? ut inſeparabilem jactet ſub Chriſto ὑποταγὴν, qua audire Chriſtum verum ſit qui vos audiat: pudeat Apollonium, toties falſitatis convictum, ita infallibiliter ſe ſubordinare Chriſto, ut quaſi cum illo authoritate identificetur, auſcultate potius Chriſto totius eccleſiæ domino: qui mandato & exemplis vos docuit, non querere imperium hujus mundi, nedum per eccleſiam: utrumque querit Apollonuis, & dominatum in eccleſia; & per eccleſiam, in magiſtratus & mundum.

Regum & Politicorum dixit Chriſtus eſſe dominari; veſtrum non ita. non quod poteſtatem eminentem quæ cum imperio exercetur ab eccleſia exterminarit; ſed magiſtratibus à Deo conceſſam, vobis

vobis interdixerit. Papa hoc mandatum Chriſti ſic corrupit, ut ejus detorſione, principes primò extruſerit dominio eccleſiæ, dein mundi, ſibique compararit imperium eccleſiæ & totius orbis. hoc quoque ab illo mutuatur Apollonius: imperium & dominatum in eccleſiam nunquam principibus à Chriſto interdictum, ab eccleſia exterminat; dominatum contra & regimen in eccleſiam & politicos, nunquam ſibi à Chriſto conceſſum, ſed apertè vetitum, affectat, & ſibi comparare nititur. non eſte imitatores malè feriatorum Apollonii aſſeclarum. pollebant architectonica poteſtate Chriſtus & apoſtoli, & quod hodie magiſtratus gladio facit, poterant verbis & intentione; hoc eſt occidere & punire corporaliter. Habebant jus & aptitudinem omnibus imperandi in eccleſia, nuſquam parendi; attamen ita rexerunt eccleſiam, ut præeſſent ſubeſſent; docerent diſcerent, regerent regerentur, mitterent mitterentur; deniquenil magnopere affectabant, de cujus jure nunc hi inflati & contentioſi,tanquam pro aris deceptant. Servivierat eccleſiæ, bonis ſuis Stefane cum familia: vulgares erant & forte

 (ut

(ut nunc loquuntur) laici; jubet tamen Paulus omnem eccleſiam quæ tot donis ſpiritualibus eminebat, illis & talibus ob id factum *ὑποτάσσεσθαι ſubjectos eſſe*: quàm abſimile fuit illud regimen Apolloniano! qui à magiſtratu chriſtiano omnibus beneficiis cumulatus; ſolo dominandi deſiderio, docet iis non ſubeſſe, ſed abſolutè præeſſe; non revereri eos, ſed propriè contemnere. Simoniacum enim & impium ex ſuo Calder-
Part. 1. wood pronunciat, ſi cui ob beneficia &
pag. 30. expenſas eccleſiæ præſtitas, poteſtas in
31. eccleſiam deferarur. manifeſta in Apoſtolum & magiſtratum blaſphemia; quam tamen ut venuſtam illi Walachri inaugurarunt. Sed aiunt regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo. fateor, ſi de regno interno id intelligant, quod intra nos eſſe Chriſtus docet, Luc. 17. 21. externa verò quæ iſti regno ædificando inſerviun, propterea mundana vel de hoc mundo non eſſe, Chriſtus nunquam docuit; & rem certè à ſui regni natura alieniſſimam ipſe feciſſet, cum flagello ex funiculis facto puritatem divini cultus vindicaret. Imò fruſtranea fuiſſet admonitio qua filium oſculari jubentur, novi teſtamenti reges & principes. Sed ne diutiùs, meis verbis utar, loquatur ad nos

Joannes

Joannes Calvinus, qui hunc in modum *In Comment.* ſcribit; Poſſet carere Deus gladii adminiculo ad religionem tuendam: non vult. quid *Deut.* autem mirum ſi magiſtratus jubet Deus eſſe 13. 5. gloriæ ſuæ vindices, qui furta, ſcortationes, ebrietates, à pæna eximi non vult, nec patitur? in minoribus delictis fas non erit judici ceſſare: ubi violatur Dei cultus & tota pietas, diſſimulando tantum crimen fovebitur? &c. dein quid magis prodigioſum? verum rationibus pugnare ſupervacuum eſt, ubi Deus ſemel pronuntiavit quid ſibi placeat: cujus inviolabili decreto ſtare neceſſe eſt. quæritur tamen an hæc lex ad Chriſti regnum quod ſpirituale eſt ac remotum à terrenis imperiis, pertineat. & ſunt quidam non improbi alioqui homines, quibus videtur abſimilis noſtra conditio ſub Evangelio, quam fuerit veteris populi ſub lege: non tantùm quia regnum Chriſti non eſt ex hoc mundo; ſed quia exordia regni ſui Chriſtus noluit gladio adjuvari. atq; dum promovendo Chriſti regno conſecrant ſuam operam terreni judices, nego propterea ejus naturam mutari. quanquam autem adverſante totius mundi potentia Euangelium ſuum voluit Chriſtus promulgari à ſuis diſcipulis,

 eoſque

eoſque ſola voce armatos expoſuit tanquam oves lupis: non poſuit ſibi æternam legem, quin tandem reges ipſos in obſequium cogeret, ac manſuefaceret eorum violentiam, atque ex infeſtis perſequutoribus efficeret eccleſiæ ſuæ patronos & cuſtodes. Tyrannidem exercuerunt initio magiſtratus adverſus eccleſiam, nempè quia nondum venerat tempus quo filium Dei exoſcularentur,& depoſita violentia, eccleſiæ quam oppugnaverant, fierent nutritii, ſecundùm vaticinium Iſaiæ: quod certè ad Chriſti adventum refertur. nec verò fruſtra Paulus, dum præcare jubet pro regibus & aliis mundi judicibus cauſam addit: ut ſub ipſis tranquillam vitam agamus cum omni pietate & honeſtate. Chriſtus quidem ut mitis eſt, ita diſcipulos ſuos (fateor) vult eſſe imitatores ſuæ lenitatis: verùm id non obſtat quo minus eccleſiæ ſaluti & tranquillitati in pietatis defenſione conſulant pii magiſtratus: quia hanc partem negligere, ſumma eſſet perfidia & crudelitas. Hæc ille didicerat certè magnus vir ſuo exemplo, calamitoſum eſſe, magiſtratum non in ſummo honore habere, cum quo Genevæ primò ob circumſtantiam panis fermentati in cæna utendi acerrimè contenderat, ut

ſe

ſe urbe cum collegis pateretur extrudi priuſquam in re adiaphora cederet : non obſcurè dein errorem confeſſus , cùm Genevenſes & alios per litteras moneret, de circumſtantiola hac aut ſimilibus poſt hac non litigare. Nil prius habuit, quam in neceſſariis verè ſanctis , ad ſanguinem uſque infractum eſſe : non neceſſariorum facilem ſe præbuit arbitrum. contrarium prorſus ſpirat Apollonius: verè formalia & ſubſtantialia religionis corrumpit & negligit ut accidentia : circumſtantiolas & levia regiminis ac choragii accidentia, pro ſubſtantialibus,ac quaſi religionis forma extollit : ego illius commenta in progreſſu exploſi;genium & intenta pateſeci, nec deerit ſtudium (ſi vita cum bono Deo permiſerit) de optimo Eccleſiæ regimine, poſt hac latiùs differendi: laboris pretium non poſco: niſi ut benè ſentienti adſentiamini : benè monenti adſtipulemini; omnium ſuperſtitionum hoſti & veræ religionis amico ut faveatis. Valete.

Benevolo

A Dſtanti pridem in bibliopolio, incidebat in manum, libellus cum inſcriptione, jus Majeſtatis circa ſacra. *Cujus argumentum, vicinum erat inſigni tractatui Clariſſimi noſtri Vedelii, quem ediderat* (de Epiſcopatu Conſtantini:) *avidiùs cum perlegerem, ad paginas aliquot ita ſtans, & ſperans aliquid, de laudibus* Vedelii *noſtri, ac* Magiſtratus, *deprehendi* ſtatim εἴρωνα, *& ſimulatorem eſſe authorem operis,*

——— qui fronte politus: *ut Poeta ait,*
Aſtutam vapido *ſervans* ſub pectore vulpem,

ſimulans ſe pro Magiſtratus dignitate ac Majeſtate, *ſcripturum, hoc unicè videtur intendiſſe, ut Politicis una cum C L. noſtro Vedelio malediceret: acuebat certè animum; quod homini tam imperito, licuerat impunè, tot convitiorum ſaburram, plenis quaſi plauſtris, in principes, tantique viri caput exhaurire: ut, quaſi alter Ephesini templi incendiarius, ex maleficio gloriam queſiviſſe videretur: occurrebat illud poetæ;* ——— multi,

Committunt eadem diverſo crimina fato
Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic (diadema.

Nec tamen fugiebat ratio, cur nemo hactenus bacchæ bacchanti non adverſatus eſſet: quis enim ventos perſequatur? quis ſtatum colorem in chama-

chamælionte quærat? leptitavarum ſyrtium faciem habet hic author, quas cum ventis mutari *ait Saluſtius: ut non ſine momento ſtatuerem, ſuo ludibrio relinquere hominem; ratus ſui ipſius opprobrio abunde ſufficere probroſum. Non ita multò poſt in Walachri conſortium adductus, percontabar inter cætera, quid hominis eſſet Guillelmus Apollonii? ille pro candore in laudes viri primùm exſpatiari: doctiſſimum, dici myſtarum Mittelburgenſium: ea fama eſſe, ut non apud Walachros modò ſed Zelandos, non inveniat, ſubtilitate, eloquentia, & memoria lectionis parem. Veriani oppidulo maritimo, oriundum, patre conſule illius urbis editum, ac tandem in Mittelburgenſis Eccleſiæ præfecturam adlectum: dein, (ut ſolet) civica æmulatione urbis natalis imbutum; per cuniculos primò curiæ Mittelburgenſi inſidias ſtruxiſſe; mox fruſtrante ſpe, indignatum; ut in rectores urbis tum rerum potitos quotidianis invectivis pro concione fureret: vitam, mores, acta, dicta, improbaret: quidquid ſciſcerent, privatim ac publicè pro ſuggeſtu exploderet: ad poſtremum eò audaciæ prorupiſſe, ut fandi copiam poſtulans, in os exprobaret diſceſſionem ab Eccleſia, & clandeſtinas in illam inſidias; nil commotis ad hæc Mittelburgenſis reipub. rectoribus, indignatione turgidum, in Vedelii caput hæc exſpuiſſe:*

ne

ne quidem hac machina contentum; ad Britannos quoque eruditionis, & ſuarum conſiderationum ſpecimen tranſmiſiſſe: ſpe fama apud omnes ubique celebritate affectatæ diu profeſſionis beneficio ſe potiturum; vel ſi hæc ſpes falleret, animo ſaltem obſequuturum; dum politicis omnibus in genere ſervitutem exprobrans, ſuo magiſtratui tacitè malediceret. De privato vitæ inſtituto, aiebat civem, maritum, patrem, myſten pro more: id carpere moroſulos, quod majoribus ferè rebus detineretur, contemptis minoribus: rariſſimè pauperum querelis, morbis, lectis adeſſe: minoribus fraticellis hæc committere: ſibi ſervare ditiorum curas, menſas, de rebus ſæcularibus conſilia, pupillorum tutelas & pædagogias: ne quidem ad aulæ ſchenam inhabilem, ſi pretio juſto, civilium & eccleſiaſticorum muniorum fiat permutatio: denique nil deeſſe quin omnium horarum homo ſiet: niſi quod ad lancem auream diligentius ſingula appendat, ad rem adtentior, ut Euclionis Plautiani in morem jocentur, Follem noctu ad gulam adligare, ne quid forte animæ amittat dormiens. *ſed hæc rumoris fercula eſſe; quæ quis ſeraphicus evitarit? hæc tum caſu edoctus, &* *cogitans,* dum creditur faciliùs, fingi impuniùs: *indignum putavi, ut in tanti viri, adeoque amici noſtri, faciem & cineres, ſpueret*

mingeretque

mingeretque impunè iſte quiſquis Apollonius: ſi marina ἀκριδοφαγία *educato,ac maris alluviei adſueto, nilquam ſalſugo ſapit, ut inter dulce & amarum diſcernere nequeat, ideone illi liceat tam arduis rebus limites præfigere? & de tantorum virorum laboribus impudenter barrire? hæc medi tantem vicit ſententia;ut pro ordinis noſtri majeſtate,academiæ & Provinciæ noſtræ dignitate, atque adeo honore digniſſimi Vedelii noſtri paucis contenderem. non quo gloria dignum velim, Apollonio manus intentare;quid enim honoris adferat?cum impudentia rixari; & mentem ſanam in illo quærere, à cujus ſtylo & labris non ſapientia modo, ſed ipſa* pavida veritas fugit. *nil intendebam, quam ut videas bone lector, falſiſſima eſſe quæ de* C *l.* Vedelio *noſtro, & ſua ſpiritualitate mentitur Apollonius. Veriſſimum autem non eſſe Apollonium, quem ſe apud Belgas & Anglos jactat ſuis ampullis. Vale.*

Venuſto

Digitized by Google

GUILL. APOLLONII
G R A L L Æ.

Venuſtè olim in Thraſonem poeta : *labore alieno magno partam gloriam, verbis ſæpè in ſe tranſmovet, qui habet ſalem! quod in te eſt.* Apolloní non inter Walachros modò vere Anus, ſed Battavos, Friſios noſtros, atque etiam Britannos ampullaris : ut nil jam Salmaſiis Triglandiis, Polyandris, Spanhemiis, Lugdunenſes ; Sibrandis, Ameſiis Maccoviis noſtri Friſii : aut Voetiis, Matiis Trajectini : ne quidem, *Wittakeris, Rainoldis*, *Morthonis, Foxijs Iuwellis* (quibus hactenus luxerant) Angli, tutò rem Eccleſiæ concreduant, ni omnium ἐπιστάτης. Apollonius omnium curæ præfuerit, & quaſi Apollonium jubar alicundè affulſerit. Terent.

Pol tu homo es perpaucorum hominum ! quem non proceres modò Parlamenti, *ſed Rex ipſe, perpetuò in oculis geſtare! credere conſilia omnia! ac ſi noſtin! miſeriam exſpueret ex animo, te convivam ſolum adducat ſibi*: Diffluxerit ſitu noſtrum Belgium ! corruerint tribunalia ! omnis Chriſti ſponſæ vigor marcuerit ! ſcilicet, ni phuſignathus Apollonius ubſique coaxârit.

Poſſent certè contemni tua enthymemata ; poſſent diffluere, Apolloní, tui ineptiarum fumi ! nec quicquam tam nervoſium eſt in tuis ſchedis, quod non ſponte corruat ; attamen quia pergis cornicari ; & ſola impudentia fe-

rocire; non committam ut lateat qui vir ſies, vel ſecure ex *hoc muſtaceo laureolam* captes. quod digneris ab anoymo tibi aurē velli, nihil eſt: ſunt latendi ſæpe juſta momenta: animum addebat
Ioſ. 5. imbellibus regibus, quod bellicoſi Joſuæ manibus caderent: glorioſiùs ſæpè eſt ex occulto perſtringere, quem quis infra iram ponat: non quis dicat, ſed quid dicatur attende atq; aures arrige!

Principio hoc notet lector, non eſſe nivibus oppletiores hæmonias plagas, quam conviтiis in omnes hæc Apollonii farrago; ut infinitum & inutilem laborem mihi ſumſerim; ſi quotiens in hanc ſegetem luxuriat ille, ego illi par redderem: non propoſitum eſt ejus ineptias ubique ſectari: iſthumum foderet, qui ſimulationes, impudentias, ἀσύστατα tautologias maledicta, ἀκυρόλογα, dicam pæne pueriles ſolæciſmos, omnes ad numerum vocet, ne talibus næniis crebrò interrumpenda ſit juſta quæſtionis inveſtigatio: brevibus initio perſtringam, quibus ubique delectatur, facetias.

Et primò ſimplicitatem ac modeſtiam, nemo Davus unquam apertius cum ſe Ædipum velit ubique haberi:

Terent. in Eun. En quod principium dedit adveniens!

Librum inſcripſit *Ius Majeſtatis circa ſacra.* quaſi dignitatem & poteſtatem Magiſtratui circa Eccleſiæ hodierna negotia aliquam conceſſurus; cum contra nil ubique contenderit, quam conviтiorum quadam procella, Politicis, nullitatem, carnalem inhabitudinem circa Eccleſiæ
Vid. præfat. regimen, & fœdam ſervitutem exprobrare.

Fatetur ſtatim initio, *ſe inadſuetam ſcriptioni ma-*

Digitized by Google

manum admoviſſe. cœpti temerarii nota (inquit) *mihi ſubeunda fuit, quod me infero in cauſam, cui melior debetur defenſio, quam quæ mearum eſt virium.* ea quoq; ſpecie modeſtiæ fabulam orditur, quaſi invitus ſcripturiendi impetum ſuſceperit. Narrat caſu ſibi allatum & lectum libellum Cl. Vedelii noſtri, *& virum quendam doctum* (ſe procul dubio intelligens, quis enim hoc honore dignus niſi Haman?) *ſtatim multa falſa annotaſſe & prælegiſſe Claſſi* Hoſt. 6. 6 *Walachræ*, & (ſi vera ſunt quæ refert) tam facilè conſenſiſſe in ſuas nugas Walachros claſſiarios, quam *ſe muli mutuò ſcabunt*: ommes enim judicarunt *Vedelii libellum eſſe noxium, in Chriſtum injurioſum, inconſideratèque minus ab authore vulgatum*: Vid. præfat. quinimo, *privilegia ac jura ſacra Eccleſiæ à Vedelio indignè calcari*: decreviſſe ergò claſſem, ne longiùs *ſerperet virus*, ut ſtatim ſcripto aliquis reſpondens illi malo obſiſteret. Quis jam non videat quorſum hæc fabula evadat? nemo ad hanc comœdiam aptior hiſtrio reperiebatur, quam Apollonius, qui tanquam alter *Soſia pugnos jam ponderabat* in Plaut. Amphitr Vedelium. Addit ergo *Claſſiarios, quibus non parere* illi *religio erat*, ſibi impoſuiſſe hoc onus, ut pulchellos hos centones in lucem ederet: nec quicquam omittit, quod commento fidei & verecundiæ colorem addat; Claſſis Walachræ deputatos (ait) cum attentione (ſcilicet!) utrumque tomum perlegiſſe, & rotundis calculis omnia comprobaſſe. Vid præfat. in Tom. 2. Nomina enim adſcripſere. *Iodocus Larenus, Iſaakus Horenbequius, Cornelius Beukelaer, Iacobus Heckius, Melchior Burſius, Daniel Suavius*: *quorum* patrocinio ferociens dein Apollonius, libello *Conſiderationum* conatus

eſt Anglis ſimilia portenta obtrudere; eorundem fautorum Syngrapha utens, niſi quod hîc acceſſerit nomen I*acobi d' Herde* præſidis claſſis, & *Maximiliani Ieeling* eccleſiaſtis Mittelburgenſis: ut jam nemo dubitet.

Ex jovis cerebro natum eſſe Apollonium. qui meritò ſibi dicat

Terent. *Nimia eſt miſeria* eruditum *eſſe nimis!*

Plaut. *Moleſti ſunt mibi, orant, ambiunt*

Videre ut liceat ad ſeſe accerſi jubent. Neſciat certè *cui maledicat viro.* qui muſſitet Davum Vereanum *omnia* finxiſſe! venuſtè olim in Cavillatorem Rullum orator.

Quis cauſam dixit? Rullus: quis legem tulit? Rullus: quis ſuffragia contulit? Rullus: quis comitiis præfuit? idem Rullus.

Si figmenta non promit Apollonius, oſcitantiam prodidit Walachrorum Claſſiariorum manipulus. Scilicet! quieſcebant aliæ claſſes, ſilebant Provinciæ, dormitabant Academiæ, laudabant docti: unus inventus eſt Apollonius, una Walachra claſſis, cui placuerit *irrequieta inertia, deſidioſa occupatio, iners negotium.*

Vid. præfationes. Nec tamen Walachræ parmulæ ſuam rem commiſit Apollonius, totius Synodi & ordinum Zeelandiæ, clipeo ſe tutatur, præfixit enim ſuis commentis aliquoties,

Videt lucem hic tractatus ex præſcripto 46. articuli, eccleſiaſticæ politiæ, authoritate &c. ordinum Zeelandiæ ſtabilitæ: quaſi totius Synodi ipſorumque ordinum decreto, hoc rapſodon prodierit: ſcilicet: ante notum & natum Apollonium, præſanxit prædecrevit Synodus uti Vitilitigator

tor Apollonius, in omnes bonos imprimiſque magiſtratus ſuos injurioſus, hodie ſua deliria & ampullas projiceret impunè! non ſi avium pulcerrima Phænix ſit Apollonius, hoc verum fuerit, quam ſeptuagenis annis apparere alibi ſcribit Herodotus: Ætnæ potiùs morem exprimere credemus, quem totidem annorum peridromo ardeſcere aiunt, & flammarum globos evomere:

Nemo certè maledicentiſſimæ linguæ, ejus naphtam effugit! Cl. Vedelium noſtrum alibi D. Profeſſorem, D. Doctorem. Cl. Fratrem indigetat honeſtis titulis pro forma inſigniens: alibi, *Sacrilegum*, *malignæ lolliginis plenum*, *gnathonem*, *mendacem*, *petulantem*, *qui Eccleſiarum labores*, *jura & Chriſti ſanguinem calcet*, *virus ſuum ſpargat* & ſexcenta ejuſmodi, ad quæ jam multò ante reſpondiſſe videtur Apoſtolus. *an ex eodem ore prodibit benedictio & maledictio?* & *num fons ex eodem foramine fundet dulcem & amaram aquam? non eſt iſta ſapientia ſupernè deſcendens*, *ſed terreſtris carnalis & dæmoniaca.* Vid. præfat. & poſſim Iac. 3. c.

Ad hæc alibi Apollonius; *ob minimas de politia Eccleſiaſtica quæſtiunculas excitare turbas, nec fas nec tutum exiſtimamus*: *ſed jam diſſipabat ſacroſancta Eccleſiæ jura Vedelius, & libertates quas Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit, extraneæ poteſtatis jugo* (intelligit pii magiſtratus) *ſubjiciebat*; *virus occultè ſpargens*, *auſam præbebat principibus minus religioſis* (taxare videtur magiſtratum Mittelburgenſem) *ut tyrannica libidine*, *in Eccleſiæ jura involarent.* ibid.

Dicet aliquis cur aliæ omnes Eccleſiæ, & ibidem in præf.

 claſſes

claſſes deſidebant in tanto eccleſiæ periculo?

Quaſi unum ſe omnibus præferens, reſpondet audacter:

Equidem non amo de noſtris, quibus ita refrixit zelus domus Dei, ut in tanti momenti cauſa tepidi & tacentes ſedeant, quaſi unus ex tot inſignibus Zelotis domus Dei fervore abſorberetur, quem nil quam effrenis maledicendi libido & mentiendi conſuetudo impulerit; quam dein multis locis oſtendam: inſigni exemplo id ſtatim initio hoc loco comprobat.

Vid. ibidem. Fingit enim Daventrienſem Magiſtratum ſuppreſſiſſe hunc tractatum Vedelii anno CIↃ DC IIXL. quem dein ut crambem recoctam protruſerit in publicum in noſtra academia Vedelius. Apertum hoc figmentum eſſe, docent litteræ Cl. Riveti de hoc tractatu, quas ſcripſit Haga Comitis, prid. Kal. Mart. CIↃ DC IIXL. ut hic Davus tempora non benè diſtinxerit: quomodo enim initio hujus anni vidit & probavit hunc tractatum Cl. Vedelii D. Rivetus Hagæ ſi tum Daventriæ ſuppreſſus erat à Magiſtratu aut enim! clam Magiſtratu ediderat & invito, Vedelius; quod abſurdum: aut propoſitum ſupprimendi citiſſimè retractavit Magiſtratus; quo d æquè temerarium & abſurdum fuiſſet: aut falſum eſt quod Apollonius dicit unquam ſuppreſſiſſe, & voluiſſe ſupprimere, uti omnes circumſtantiæ evincunt.

Si enim tam exitiabilis Eccleſiæ Chriſti lupus erat Vedelius, ut tum ſcripta ejus virulenta ſupprimeret magiſtratus, quantæ audaciæ fuit ex Apollonianæ hierarchiæ principiis, quod magiſtra-

magiſtratus tam gravem rem, non collapſo nec conſulto clero, auſus fuerit aggredi: quantæ oſcitantiæ? quod Daventriæ, & in omnibus academiis tacuerint, ut canes muti, omnes Theologi; donec ἀκριδόφαγος hylax ex remota Walachra inſula primus in limine latraret ad Eccleſiæ Chriſti rapinam! ut non lentitudinis modò & prudentiæ accerſat noſtræ Academiæ Profeſſores, quod virus Vedelianum non advertentes, tam blaſphemum & ſacrilegum Vedelium facultati Theologicæ præfecerint, ſed inprimis perverſitatis Macovium & Rivetum, qui apertis litteris tractatum & ſententiam Cl. Vedelii probarint & laudarint.

Ni alterum oculum malitioſè clauſiſſet Apollonius, peperſiſſet honori tot inſignium virorum.

Sed in igne alimentum quærat, qui in Apollonio verecundiam. Præfixit ipſe Vedelius ſuo opuſculo litteras Makovii & Riveti, quas videre noluit Apollonius: ego tamen ut videat invitus; & quivis bonus, pauca ex illis adſcribo.

Vir clariſſime, diſputationem tuam de magiſtratu politico adverſus Bell. eo diligentiùs legi, quo vidi accuratiùs eſſe ſcriptam &c. non dubito quin rem gratiſſimam feceris iis, qui materiam hanc accuratiùs pernoſcere cupiunt &c. fateor me hoc tuo tractatu doctiſſimo in iis, quibus fluctuabam ante, expeditum eſſe & quæ neſciebam edoctum &c. Hæc Macovius:

Vid præfat. Cl. Vedelii & litt. MACOV.

Riveti judicium luculentius eſt, quod appono.

Vid. litt. Rivet. in præfat. Vedelii

Legi & expendi diſputationem Theologicam de magiſtratu adverſus Bell. quam hoc anno Daventriæ

edidit Clariſ. & Doctiſſ. Vir. N. *Vedelius &c, teſtor autem nil à me animadverſum eſſe in ejus reſponſionibus & ſolutionibus, quod non judicem convenire cum omnium Eccleſiarum reformatarum, de eodem argumento doctrinâ.*

Specialiter autem in iis quæ ex meis in dekalogum commentariis citavit, nil illum mihi affinxiße, ſed mentem meam expreſſiße, & ſententiam quam veram judico &c.

Proinde hac mea Syngrapha omnibus teſtatum volo: virum illum de Eccleſia benè meritum, & qui doctiſſimis lucubrationibus ſatis probavit, quam alienus eſſet ab omnium novatorum molitionibus &c. *Veritatem aſſerit ſine præjudicio eorum, quæ verbi divini miniſtris & eccleſiarum rectoribus, juxta canonem ſcripturæ, & eccleſiaſticos ex eo deductos canones, competunt; nullamque me videre rationem cur orthodoxus quiſpiam, ei circa hoc negotium litem ullam intendat hæc Rivetus.*

Reviſat lector hinc an Apollonius inſaniant? pugnant enim ex diametro:

Hic Cl. Vedelium laudat ut *orthodoxon*: ille ut ἑτερόδοξον damnat. hic *alienum à novatoribus dicit*: ille novam *lolliginem & virus* ſpargere eum clamat.

Hic veritatem aſſerere ait: ille *falſa & ſacrilega defendere*: hic *benè meritum de Eccleſia eße Vedelium* ſua ſyngrapha teſtatur. Ille *proditorem jurium Eccleſiæ, & ſanguinis Chriſti calcatorem* eſſe multis ſyngraphis oſtendit.

Denique hic indignum eſſe dicit, *ut aliquis orthodoxus illi litem intendat.*

Ille contra, ex decreto Claſſis Walachræ, & to-

& totius Synodi litem acerrimam quaſi funeſtiſſimo Eccleſiæ lupo, & vaſtatori intentavit. Si non hic participavit aliquid Apollonius, *de ſpiritu illo fallaci qui reges decipiebat*; ut plus ſcripſerit de claſſiariis illis fratribus, quam ipſi ſciverunt; (quod Apollonianæ ſpiritualitati non infrequens) alterutrum neceſſe eſt: vel inſcitiæ, oſcitantiæ & ἀπροσδοξίας convictos eſſe Apollonianos Walachros: vel toto cælo erraſſe Vedelium Makovium, & Rivetum:

Ego certè cum his in Theologia *ægrotare malim*, quam Apollonii Walachra *ſanitate eſſe ſanior*: quaſi unus ſit,

Qui norit juſtum gemina ſuſpendere lance. Plaut.
Vel poſſit nigrum vitio præfigere theta. Perſ.

Omnes præ ſe contemnit, & ad ſui judicii trutinam appendit.

Waleo & Thyſio præceptoribus ſuis, fatetur ſe Multum debere, & tamen eos cum Junio apertè rejcit. *Muſculum* contemnit: *Paræus & Gualterus germanizant* (inquit) *A germanis & Helvetiis* *cauſa hæc ita implicita eſt ut accuratioris theologiæ ideam non invenias: Anglorum judicia, magnatum aſſentationi ferè ſunt emancipata: ex noſtris paucos invenias, qui hanc cauſam ita egere, ut confuſionem, & collateralem combinationem utriuſque poteſtatis non admittant*. alibi. Part 1. p. 17. p. 11.

Hoc nos malè habet, quod vir Clariſſ. (intelligit p. 101. Vedelium) *doctrinam reformatæ Eccleſiæ æſtimat ex teſtimoniis quorundam doctorum* &c. *Ameſii Martyris, Sibrandi*, hunc honorem ſolum tribuit, *confeſſionibus Catechiſmis, & formulis concordiæ*. Et tamen idem Dordrechtanæ Synodi decreta p. 173.

quoque contemnit ut *Humana* & *nolentibus Eccleſiaſticis extorta*, ut certe veluti

——— *coluber mala gramina paſtus*, omnia pro libitu exſibilet! Quarè non eſt quod jam indignentur manes C l. noſtri Vedelii, in quos mingat Apollonius; quem non pudeat in omnium doctiſſimorum faciem ſpuere:

Rom.13. Ind. 8.9. Vid. præ. Nil eſt quod ſacræ & profanæ omnes leges magis deteſtantur & puniunt, quam contemptum principum, & potentatuum ſupereminentium: neque id ignoraſſe videtur: hic tenebrio; qui ſtatim in præfatione benevolentiam magiſtratuum captat: dicit enim *ſe pro majeſtate illorum aſſerenda liberos ſpiritus gerere*, & (quaſi Deum vocans in ſuæ ſimulationis patrocinium) *ferventiſſimis precibus Deum venerari.* cum tamen ubique plenis buccis in contemptum Procerum & Magiſtratuum boet: quaſi enim alter Radamantus, Vid.præfat. 1. p. 28. 31. aſſumit ubique ſibi jus, ſtatuendi *limites*, *intra quos præciſe ſe debeat continere* Poteſtas magiſtratus, extra quos ſi audeat exire, dicit eſſe *ſimoniacos & impios*, ac veluti *principes minus religioſos, tyrannica violatione & libidine*, involaturos *in jura* Vid.præfat. *& privilegia Eccleſiæ*, pro *quibus ſanguinem ſuum ait* Chriſtum effudiſſe: dicit fore *Papam politicum*; in partitione autem hujus prædæ & *poteſtatis* verè leonem Æſopicum agit; qui venationem dividens cum aſino & vulpe; occiſo aſino, exterrita vulpe, totam ſibi ſumſit. Totus certè in hoc eſt Apollonius, ut quaſi præſtigiator ludicrus, fucata ſuperſtitione, magiſtratus abſterreat ab omni contactu rerum & negotiorum eccleſiaſticorum hodierni choragii:

Docet

Docet enim poteſtatem pii magiſtratus non Part.1.p. eſſe *in* ſed *circa* Eccleſiam, ne quidem *Inter-* 24. p.36 *na* Eccleſiæ ad eum pertinere; *vel formaliter*, vel *eminenter*, vel *totaliter*, vel *partialiter*: ſola tantum Externa poſſe tangere: ne hæc quidem omnia, ſed tantum *externè externa* non autem *internè externa*: in his enim diſtinguendis ad- p. 87. modum accuratus eſt; & quaſi de *conſcientia* p. 72. politicorum ſollicitus, monet eos, ne *doctorum* p. 72. *judiciis & authoritati humanæ credant*, in poteſtate ſua exercenda; ſuas deciſiones quaſi ſcripturis ſacris conſonas unicè inculcans: quarum inter cæteras ſunt,

Poteſtas gladii politici eſt extra ſphæram juriſdi- p 78. *ctionis Eccleſiæ, magiſtratus pius non eſt primarium* p 52. *Eccleſiæ membrum, ſed ex vilioribus*, immò viliſſimis.

Periculoſum eſſe magiſtratui tribuere titulos, p 72. & quod ſit *cuſtos & nutritius Eccleſiæ*, quia impoſ- 32. ſibile illi ſit vero lacte nutrire Eccleſiam, ſed hoc ſolis Eccleſiaſticis eſſe proprium.

Magiſtratum *tantum eſſe accidens ſeparabile Ec-* p 95. *cleſiæ, quod poſſit abeſſe & adeſſe ſine ſubjecti interitu.*

Finem & intentum magiſtratus politici non eſſe animarum ſalutem, ſed propriè & tantummodo temporalia bona & commoda hujus ævi. Magiſtratus negotia propriè eſſe *ſoli*, hoc eſt *terrena*; non *poli* aut cæleſtia & ſpiritualia.

Magiſtratum *qua talem non poſſe aliquod opus ſpirituale & Eccleſiaſticum* exſequi, quia impoſſibile ſit, ut *extollatur ſupra naturam ſuam* quæ tota βιωτικὴ eſt, carnalis & corporalis, vel ſi maximè

me videatur aliquid eccleſiaſtici agere, id faciat
P. 42. tantum *objectivè* non *formaliter* : *imperativè*, non *elicitivè*:quoad Βιωτικὴ *circumſtantias*,non quoad *ſubſtantialia Eccleſiæ*, qui plus Magiſtratui tribuunt, *ad Pelagianiſmum deflectere* :

Denique ſic ubique loquitur de Magiſtratu, tanquame ho mine *psychico & carnali*, quem dicit Apoſtolus legi *dei non ſubjici nec poſſe quidem*: nec *comprehendere quæ ſpiritus dei ſunt*. Multus
1. Cor. 2. 14. eſt in citatione Gerſſomi Buceri; qui prudentius in his tricis verſatus, tamen ſuo tempore iram Jacobi regis Britanni in ſe adtraxerat, non ſine corporis periculo, niſi præpotentium ordinum patrocinio fuiſſet protectus : hic noſter, nulli cedere volens (ut eſt audax inſcitia)omnes Buceri terminos tranſiliens, in ipſos magiſtratus ſuos ac Ordines, invehitur; nullius ſententiæ ſubſcribens, quam Calderwoodi cujus ſummam alibi ex illo citat;

P. 31. P. 100. *Regiam authoritatem* (inquit) *ſolum metimur Eccleſiæ commodis*: monet tamen Eccleſiaſticos, ne nimis fidant politicis; comparat enim eos *ſervo doloſo*, Eccleſiaſticos autem *equo generoſo* apertè monens ſuos ſymmiſtas, ne politicos patiantur ſuo tergo inſidere; nil aliud intendere eos quam ut per ſe victoriam reportent; ſed ſi ſemel eorum imperio ſe ſubjecerint, nunquam id frenum politicum dein excuſſuros: ut nil ſanctius fuerit huic Apollonio quam perpetuam litem, & diremptum inter Politicos, & Eccleſiaſticos ſerere; quaſi ſacroſanctum eſſe velit Eccleſiaſticis, à piis magiſtratibus benificiorum cumulos quidem poſcere & accipere; ſed tamen

men ab eorum fraudibus & inſidiis, perpetuò intentiſſimè ſibi cavere: non erit admodum munctæ naris lector, quin facilè odoretur, his ludibriis & convitiis in pios magiſtratus, totum opus Apollonii ubique ſcatere; quorum non nulla ſtatim appono; ut quiſque videat quid inſecti genus Apollonius ſit, cui ut crabroni, propoſitum fuit, non Cl. Vedelium modò, ſed Makovium, Rivetum, Præceptores ſuos, præſtantiſſimos theologos ubique terrarùm, Synodum nationalem, ipſoſque adeo præpotentes Ordines, infeſto ſtili acumine ferire & perſtringere. & tamen (qua eſt vertigine) homo virginalis verecundiæ, in fine præfationis ſcribit.

Hoc ſeriò aſſero me in hac cauſa de meo fermè nihil attuliſſe, ſed aliorum lucubrationes & ſcrinia compilaſſe, & quidquid ſparſim de hac cauſa dixerunt Theologi collegiſſe! Vide ſinem præfa. 3. ut Protei in morem nunc leonis, nunc damæ formam promiſcuè obtendat: non eſt obſcurus ſuarum vertutum ubique prædicator; ſed imprimis hoc loco; ubi ſe infra omnes doctos ſubmittit; cum ſe paſſim omnibus præferat, ac neminen ferè non præ ſe contemnat: utcumque non invideam huic Locuſtæ honorem, quem vulgò affectant; quod multorum hortos inſultarit, & roſerit, id liberè dicam, plus laboraſſe, ut humana ſcripta indiligenter volveret, quam divinam ſcripturam diligenter; cujus rei documenta non ſemel poſt edam: fateor certè eum vel porci vel galli æſopici in morem, Paparum, ſcholaſticorum, Jeſuitarum, Apoſtatarum & ſophiſtarum ſterquilivia operosè invertiſsè; fortaſſe ut veritatis gemmam inveni-

inveniret: quam ſi in propinquis & puris ſcripturæ ſacræ viretis invenire, inglorium putavit & minus ſpirituale (quod ſuſpicor) dignus eſt, qui illorum fœtore & illuvie ſpurcus, deridiculo ſit omnibus doctioribus & piis. mihi abundè eſt oſtendiſſe, modeſtiam & verecundiam ſimulare Apollonium, ſed revera κυνώπα, & in omnes impudentem eſſe: poſſet tolerari Hominis veſana arrogantia, ſi vera alibi ſermocinandi vel ratiocinandi virtute eniteret, ſed cui otium aut animus fuerit (quæ mihi defuiſſe fateor) omnes ejus centones evolvendi, comperiet, centies ad nauſeam, ut cantorem ridiculum, chorda eadem oberrare: ac ne quidem ad Phraſiologiam ita exercitatum ut Priſciani ferula dignus, difficulter deſinat σολοικίζειν: utitur enim paſſim voce *coerciva* pro coercitiva. alibi inquit:

p. 4. & 117.

p. 14. Dona gratiæ, quæ unicuique membro *impertiuntur*: deponens vox eſt qua utitur paſſive, alibi,

Poſtquam enim Deus, ad *Sonandam* Euangelii vocem &c. facit gerundivum à neutro, cujus farinæ multa legenti occurrent.

Abſurdis quoq; phraſibus paſſim acurologiſat, ut latinitate quadam Vereana videatur gaudere, quam nemo Quintilianus olim cogitarit, facile (inquit) judicabit lector, quam *debili tibicine fulciatur ſententia Vedelii*, quis enim dicet inter diſputandum, ſententiam tibicine fulciri?

p. 285.

p. 263. alibi refutans argumenta Cl. Vedelii, dicit: Vedelium laxis *ſoccis vel cothurnis frigidam* ſuffundere. ridiculus etiam eſt ſuarum nugarum oſtentator: probationes enim ſuas frivolas, vocat rationes

nes

nes non *levidenſas*, *ex intima theologia petitas, ſanctificatas*, *Theologicas*, qua ſi per excellentiam, *irrefutabiles*, *irreſiſtibiles*. fateor nonnullibi ſtilum aſſurgere ut proferat

——— *veteris ramalia fagi*: unde veriſimili Perſ.
conjectura adducor, non mentiri rumorem, quod barbariei ſibi conſcius, aſſumſerit ſuorum centonum Ariſtarchum: qui nolens amicum tam *ἀυθαδῆ* & glorioſum temerè offendere, deletis quibuſdam quædam grammatica vitia prudens reliquerit: ni credendum ſit *ſimiles inveniſſe labra lactucas*.

Utcumque eſt nemo tam rudis litterariæ fuerit, quin facile videat, ex *Homine natum hunc* & in hoc *Thraſone eſſe Atticam elegantiam*. Terent.

Ad ratiocinationem dein ſi devenitur, utcumque magno hiatu grandia promittat, nil tamen apertius agit quam quod *Saccariam* ludat, ut Plautianum paraſitam paſſim æmuletur.

Logos ridiculos vendo: agite licemini! Plaut.
Cavillationes, *aſſentatiunculas*,
Ac perjurationes paraſiticas.

Non eſt animus omnes ejus labyrinthos percurrere, nuſquam ipſe ſufficit ſuo filo ſervando: ad ſummam contraham quidquid inepta circuitione parturit; eſt hæc:

Ecclesiam Chriſti eſſe *ſanctam & ſpiritualem* 1.
ideoque omnia ejus negotia & inprimis *regimen eſſe ſanctum & ſpirituale*, unde colligit hoc poriſma. ergo,

Regimen & negotia (quæ vocat Choragium 2.
Eccleſiæ) convenire tantum *ſanctis & ſpiritualibus*, *Eccleſiaſticis*; quippe ad hoc *ſpeciali jure vocationis*,

cationis, *ſanctificatis*, & *conſecratis*. ex quibus dein alterum conſectarium exſculpit.

3. Non pertinere ergo hæc negotia Eccleſiæ, ad *Magiſtratus pios politicos*, quippe ad hoc opus non *ſanctificatos*; ſed prorſus in habiles; qui *vilia membra ſunt Eccleſiæ*, *mundana*; quorum poteſtas eſt *deſpotica*, *architectonica*, *corporalis*, *ſoli* non *poli* quæ nullum *ſpiritualem effectum*, *poteſt producere*, aut animam tangere. Hæc crambe eſt quæ millies debacchando reponitur: de ſingulis agam ordine: ubi primùm præmomonitus ſit lector, totam Apollonianam fabulam, quam pro regno eccleſiaſtico ſuo orditur, tam ſemilem eſſe pontificiæ ſchenæ, ut in nullo ferè differant quam quod apud Papam Romanum ſit *comedia vetus*, & res poſſeſſa; apud Apollonianos Walachros tantum novi actoris, & res ſperata. En certè eſt principiorum, aſſertionum & argumentationum utrubique cognatio, ut qui inter ſe comparet veterum, & horum novorum papiſtarum figmenta facilè viderit, quod eadem mater Eccleſia Romana utrumque partum enixa ſit. Non eſt fateor tam imperitus veteratoriæ Apollonius, ut non alibi papatum pro forma exſibilet, à qua arte quoque mutuatur, quod Arminianiſmi, nævo, ab ſe longè remoto, Cl. Vedelium conetur alicubi onerare; vetus hoc eſt hereticorum omniumque novatorum commentum, ac veluti purpuriſſum à meretriculis deſumtum, quæ infames faciei cruſas purpuriſſo pingunt. Nil eſt certè quo veteres Papiſtæ magis luſerunt, quam ſub *Eccleſiæ ſanctitatis* & *ſpiritualitatis* nominbus, quorum ſuperſtitioſo obtentu,

obtentu, regnum totius orbis ſibi comparavit Romanus pontifex: quam telam de novo exorſus hic noſter, iiſdem filamentis totum ſubtemen concinnavit, ut fere ſingulis paginis eccleſiaſticæ ſanctitatis & ſpiritualitatis hodiernæ ampullas projiciat. quare non inutilem laborem ſumam, ſi paucis harum vocum acceptiones delineem, ne ſub auratis his boletis latitans deleterium incautos ſtrangulet.

CAP. I.

De Eccleſiæ acceptionibus.

E*Ccleſiæ* vox in ſcripturis denotat aliquando in genere omnem hominum conventum & concionem, quocumque modo vel ſine congregatum. Ita enim videmus, ſeditioſum illum concurſum hominum, qui Epheſi exſtitit contra Paulum, vocari ab Luca *Eccleſiam*: bis enim illic vox Eccleſiæ tribuitur concioni & tumultuariæ coitioni hominum ſeditioſorum. [Acceptio vocis eccleſiæ. 1.] [Act. 29. 38. 39.]

Specialius vero vox *Eccleſiæ*, denotat congregationem hominum congregantium ſe ad deum publice colendum, ſive is conventus ſit magnus ſive parvus, uti videmus Paulum Eccleſiæ nomine ornare domeſticos conventus qui in Stephanæ & aliorum domibus clanculum conveniebant ad Chriſti cultum exercendum: Forma autem harum Eccleſiarum non conſiſtit proprie in unione myſtica & interna cum Chriſto; ſed tantum in externa unione, quam habent iſtihomines inter ſe, cum conveniunt ad fidem [2.] [1. Cor. 16. 19.]

profitendam, & ad cultum Chriſti. cujus præcipua capita ſunt, quod verbum dei inter ſe prædicando, legendo; narrando vel quovis modo meditentur. quod occaſione data Sacramenta interſe celebrent; Denique charitatem ut Chriſti diſcipuli inter ſe mutuo exerceant, ex præſcripro legum Chriſti viventes:

3. Specialiſſime vox *Eccleſiæ* denotat congregationem omnium ſalvatorum & ſalvandorum ab intio mundi uſque ad finem, quam vidit Joannes Apoc. 21. ut Cæleſtem Hieruſalem ad quam pertinebant multi ex judæis, & innumeri ex gentibus.

Apoc 21. de Catechud. d. c 20. Ita de hac Eccleſia quoque ſenſerunt Patres: Auguſtinus enim alibi dicit, *Cæleſtis Hieruſalem cives ſunt omnes ſanctificati homines, qui fuerunt, ſunt & futuri ſunt.* Hujus Eccleſiæ forma conſiſtit in *unione vera cum Chriſto per fidem*, ſpirituali, myſtica & indiſſolubili: quam variis modis explicat Spiritus ſanctus, imprimis quod dicat eam eſſe *Corpus Chriſti* myſticum cujus, ipſe caput ſit, ſinguli autem vere credentes membra, *& quaſi caro de ejus carne*: ſæpe etiam hæc Eccleſia vocatur Chriſti *ſponſa & uxor*, ut denotetur inſeparabilis conjunctio, & ferventiſſimus amor Chriſti erga vere credentes.

Huic poſtremæ Eccleſiæ proprie conveniunt inſignia encomia, quod ſit, una, catholica, *ſancta*, ſpiritualis, *munda, ſine macula* & ruga, quod non ſit de *hoc mundo*, ſed cæleſtis, quod pro ea ſanguinem effuderit, quod pro oret Chriſtus non pro mundo, quod non poſſit errare aut deficere, quia ne portæ inferoram contra eam poſſint præ valere.

lere.Papiſtæ veteres & Jeſuitæ, ut ſuæ eccleſiæ romanæ dignitatem concilient apud imperitos confundunt has acceptiones; & nullam eccleſiam agnoſcunt quam externam viſibilem, cujus formam ſtatuant in externa profeſſione & regimine, imprimis in hoc quod *coadunatæ ſunt ſub uno capite Papa Romano per regimen*, quæ certe nil quam Chimera eſt & commentum, ab theologis diu exploſium; non eſt de nihilo quod de hac re comminiſcuntur Papæ ſatellites; ea enim arte homines adducunt in ſuperſtitioſam admirationem & venerationem ſuæ Eccleſiæ, quod ubique clament, eam eſſe corpus, ſponſam, domum ac regnum Chriſti, quæ deficere & errare non poſſit, extra quam nemo ſalvari queat: & infinita alia, quæ de Vera Catholica inviſibili quidem vera ſunt: ſed neutiquam de ulla externa & viſibili, ne quidem de omnibus viſibilibus, ſi per impoſſibile coadunarentur.

Bell. de eccleſ. militante Lib. 3. c. 2.

Externæ enim & viſibiles Eccleſiæ ſæpe non minus differunt à vera & inviſibili, quam hara porcorum à puro grege: vel nitida & caſta ſponſa, ab impuriſſima meretrice. Omnia enim tempora docuerunt, externos cætus colentium deum ſub veteri ac novo teſtamento nunquam tales fuiſſe, quin multis vitiis & erroribus ſcaterent: quod non modo in Corinthiaca, & Galatica Eccleſia videre fuit tempore Apoſtolorum; ſed in Aſiaticis illis, ad quas ſcripſit Ioannes in Apocalypſi: quæ non modo tum errorum & impietatis ſaburra laborabant, ſed non multo poſt prorſus defecerunt; ut ne exiguus

Apoc. 2. & c. 3.

quidem duodecim Apoſtolorum cætus à Chriſto ſelectus tam purus fuerit, quin etiam noviſſime compertum ſit, inter illos fuiſſe unum qui *diabolus* & *filius perditionis eſſet.*

Certe, ſi Eccleſiæ externæ & viſibiles, vel ſingulæ vel omnes, ſunt corpus & ſponſa Chriſti; næ illi Chriſto dabunt ſponſam admodum impuram ac difformen, quæ tot putridis diaboli membris onerata ſit. Bellarminus, ut hoc abſurdum diluat, fingit hos impios non eſſe proprie membra vera Eccleſiæ, ſed æſtimandos eſſe, ut *ungues vel capillos*, (mirum quod non dicat eſſe pediculos inter crines ſponſæ Chriſti decurrentes) Certe minus inconcinne fabulantur Jeſuitæ de Eccleſia & ſponſa Chriſti, cum illi tribuunt tam infandum capillitium, ex impiis & filiis gehennæ contextum inſtar plicæ polonicæ:Si enim impii ſunt crines ſponſæ Chriſti,tum ſequitur crines Chriſti ſponſæ æternis ignibus eſſe adurendos: quod certe portentoſum eſſet & abominandum,Chriſto ſponſam talem affingere, quæ caput haberet ſimile capiti Meduſæ, de qua finxerunt poetæ, quod crines habebat ſerpentibus implexos. Conſtat enim in Eccleſia viſibili ſepiſſime reperiri non laicos modo ſed clericos,qui viperarum vera progenies ſunt:qui ſi omnes ſunt in Eccleſia & ſponſa Chriſti ut crines, non eſſet pura & ſpecioſa Chriſti ſponſa, ſed difformis, & Horrendo capillitio ex diaboli filiis onuſta.

Alii Jeſuitæ dicunt,hos impios eſſe in Eccleſia & corpore Chriſti ac ſponſa, non ut membra aut partes, ſed ut *pravos humores & Apoſtemata,*

mata. Sed eadem oritur abſurditas: hoc enim conſtat viſibiles Eccleſias maxima parte conſtare ex hypocritis & impiis: quam autem hoc inconveniens eſt, Chriſto affingere tale corpus, talem ſponſam, quæ putrida humorum illuvie perpetuo ſcateat; cui quotidie apoſtemata, & fædi abſceſſus ſubnaſcantur; cui ulcera ſordida, & δυσεπούλωτα, indies recrudeſcant?

Fateor externis Chriſtianorum congregationibus nonnunquam tribui titulos *ſanctitatis*, & inſignia elogia; ſed hoc fit improprie, vel propter cultum dei quem inter ſe exercent, vel ex judicio Charitatis, propter electos & vere credentes, qui in iſtis cætibus reperiuntur; uti tritici acervum dicimus, etſi maxima pars nil quam palea, lolium & ſordes ſint, modo frumenti boni aliquantillum adſit: qui tamen de talis acervi puritate & dignitate jactet aut glorietur, æque ac de acervo tritici, puro & à paleis, lolio & ſordibus prorſus expurgato, is certe impoſtorem aget, & ab omnibus digne ridebitur.

Hæc fraus prima eſt, quam Jeſuitæ admittunt in voce Eccleſiæ, ut homines in Romanæ viſibilis Eccleſiæ ſuperſtitioſam reverentiam abripiant.

Novus ille papiſta Walachrus cum ſua cohorte, eadem proſus chorda oberrat, ut in ſuæ Eccleſiæ viſibilis admirationem homines adducat: diſtinguit quidem accurate inter Eccleſiam inviſibilem & viſibilem, & multis paginis oſtendit, inſignia illa privilegia proprie & tantum convenire Eccleſiæ *inviſibili* & non *viſibili*; ſed

Vid lib. Conſider ad Anglos p. 7. 8. 9. 10. &c.

hoc videtur veteratorie tantum feciſſe, ad Anglos decipiendos, quaſi a pontificiis diſſentiret, cum tamen ubique in caſtris Papæ militet & eiſdem armis decertet: omnes enim laudes & privilegia Eccleſiæ inviſibilis transfert ad Eccleſiam viſibilem: Tota enim farragine in Vedelium loquitur de jure regiminis Eccleſiæ *viſibilis*: de poteſtate & functionibus *Eccleſiæ viſibilis*, ut ſunt publica *prædicatio* & *precatio*; *ſacramentorum adminiſtratio*, *vocatio* ad miniſterium, *cenſura* & *excommunicatio* publica, legum promulgatio, denique totum Choragium miniſterii externi, quæ certe nemo neſcit eſſe negotia externa & viſibilia viſibilis Eccleſiæ: attamen in hujus Eccleſiæ laudes divertens, ubique dicit hanc Eccleſiam eſſe, *domum*, *corpus*, & *ſponſam Chriſti*, eſſe *ſanctam* ac ſpiritualem, quam *Chriſtus ſuo ſanguine emit*: de externo quoque hujus Eccleſiæ choragio & miniſterio differens, dicit eſſe *privilegia* & *jura ſacra* Eccleſiæ, *quæ Chriſti ſponſa & corpus* eſt: immo alibi tam immoderatus eſt in externis Eccleſiæ viſibilis negotiis extollendis, ut aſſerat Chriſtum *effudiſſe ſanguinem pro privilegiis illis* & *jure Eccleſiæ*: ut non aliter quam præſtigiator merus conetur perſuadere Magiſtratibus, quidquid auſuri ſint in negotiis Apollonianæ & viſibilis Eccleſiæ præter illius præſcriptum, id ſacrilege commiſſurus eſſe in Eccleſiam veram & *inviſibilem*; quæ *corpus & ſponſa Chriſti* eſt: nec modeſtius illos ab externis Eccleſiæ ſuæ negotiis abſterret, quam ſi mundanorum lenonum inſtar ſanctæ Chriſti ſponſæ lenocinium & vim eſſent illaturi, ſi alicubi præſcrip-

Vid. præfat in Vedel.

præſcriptos ab illo limites tranſſilirent : ut non modo ſibi contradicat, ſed pontificia techna juriſdictionem ſuam eccleſiaſticam conetur adornare, perſuadens ſuam Eccleſiam, quæ certe viſibilis eſt, eſſe habendam pro ſponſa Chriſti ac proinde ſibi & ſolis eccleſiaſticis convenire miniſterium illius ſponſæ, quaſi ſpiritualibus paranymphis.

Alter error papiſtarum veterum eſt, quod Eccleſiæ viſibilis ſanctitatem & dignitatem, ita ampliatam, tandem contrahant ad regimen & rectores Eccleſiæ: illos enim vocant proprie Eccleſiam repræſentantem, hoc eſt, rectores & clericos : ut ſi quæras ex illis, quinam ſint Eccleſiaſtici & quænam proprie ſit eccleſia catholica? in qua eniteat illa dignitas ſpiritualis; non intelligent totum corpus Eccleſiæ, & omnes *vocatos ſanctos, qui nomen Chriſti adorant* (ut loquuntur Apoſtoli) ab hac enim dignitate excludunt omnes Chriſtianos ut ſeculares & laicos: ſolis Clericis & Eccleſiaſticis, tanquam charactere ſanctæ vocationis conſecratis, ſervant dignitatem ſpiritualitatis Eccleſiaſticæ, ut qui eccleſiam catholicam quærat inter papiſtas, nuſquam eam inventurus ſit, quam in clericis, hoc eſt presbyteris, Epiſcopis, archiepiſcopis, cardinalibus & ultimo Papa (cujus regimini & imperio niſi quis ſubſit, etſi mandatorum Chriſti obſervantiſſimus ſit, non cenſetur ad Eccleſiam Chriſti pertinere: Bellarminus enim loco citato ad formalitatem Eccleſiæ refert regimen Eccleſiæ, ſub paſtoribus & Papa.

2 Error.

1. Cor. 1. 1. &c.

Non eſt multum diſſimilis Jeſuitis Grallator

Walachrus cum ſua cohorte : clamat ubique ſe decertare pro privilegiis & ſacro jure Eccleſiæ Chriſti ſponſæ ; cujus formam ſtatuit in externa profeſſione : ſed quia videbat hanc dignitatem eſſe toti Eccleſiæ corpori communem , cui accenſendus ſit etiam magiſtratus pius , & politici,qui Eccleſiæ membra ſunt : ne ſanctitatis Eccleſiaſticæ privilegium myſticum communicetur mundanis, carnalibus & Βιωτικοῖς magiſtratibus, *ſoli* tantum,non *poli*,procuratoribus ; accurate diſtinguit papiſtarum more inter Eccleſiam *repræſentatam* , quam ſtatuit Corpus eccleſiæ abſtractum à rectoribus Eccleſiaſticis ; & *repræſentantem* , quam facit rectores , ſeparatos à corpore & reliquis Eccleſiæ membris. Dum enim cuique tribuit proprietates incommunicabiles, prorſus à ſe invicem diſcriminat : hos enim ob miniſterialem & regendi dignitatem ſtatuit eſſe , *oculos* , *aures* , *manus* , &) ſi auderet cum papiſtis) diceret capita , principes & reges Eccleſiæ ; quorum ſit *præire*,*præeſſe* , *regere cum imperio* , *poteſtative mandare* : *authoritative punire* ; neutiquam , ſubeſſe , regi , aut duci , ne quidem politicis magiſtratibus piis in Eccleſiaſticis ſubjici ; ſed à Chriſto immediate dependere , eique inſeparabiliter ſubjungi. Corpori vero & *repræſentatæ* Eccleſiæ , ut ovibus & ſubditis ; imprimiſque magiſtratibus *tanquam vilioribus membris* (quod ubique exprobrat) tantum tribuit , *modeſte ſubjici* , duci,doceri, *Spiri-*
Part. 1. *tualem Eccleſiæ poteſtatem agnoſcere* , *ei ſe & ſua ſub-*
p. 31. *jicere* : ut revera miniſtri Eccleſiæ caput ſint & monarchæ in Eccleſiaſticis ; magiſtratus vero

cum

cum omnibus Eccleſiæ membris, tantum cauda & meri vaſſalli. Quam hoc remotum ſit à regimine Apoſtolicæ Eccleſiæ, nemo non videt qui Acta Apoſtolorum attente legerit. Fuit enim, ſi unquam, inſigne & ſanctum Eccleſiæ regimen ſub Apoſtolis: erant enim ſanctiſſimi tunc rectores, qui jura & privilegia ſui regiminis optume tenuerunt: ſed tamen ita rexerunt Eccleſiam, ut totus cætus eſſet *cor unum & anima una*: tantumque aberat ut de privilegio juriſdictionis litigarent, vel negotiorum Eccleſiæ miniſterialium tractationem Eccleſiæ corpori interdicerent; ut cuique apto ſine vocationis ſolemnibus ea concederent, totique Eccleſiæ corpori, hoc eſt omnibus Chriſtianis, permiſerint, de ſacratiſſimus Eccleſiæ negotiis, una deliberare & decernere: nec erat abſurdum (quod nunc ita explodit hic tenebrio) illis maximis Eccleſiæ luminibus, quod iidem, vocarent vocarentur, mitterent mitterentur, docerent diſcerent, præeſſent ſubeſſent, regerent regerentur, juvarent juvarentur. ut non ab Apoſtolis mutuatus ſit Grallator, accuratum illud jus imperii Eccleſiaſtici & prærogativam poteſtatis Eccleſiæ *repræſentantis* in Eccleſiam *repræſentatam*, hoc eſt in corpus & membra eccleſiæ: ſed à Papa Romano antichriſto. Is enim fatali ἐνεργείᾳ & efficacia decipiendi, primum Chriſtianos imbuit immodica ſuperſtitione Eccleſiæ viſibilis & cultus externi, ut plus ei tribuerent quam par erat: cujus curam dein ad Clericos ſolos, transferens, quaſi huic operi conſecratos, omnem illam reverentiam dedu-

Act. 4. 32

Act. 15.

2. The. 2.

xit ad Eccleſiaſticos & rectores Eccleſiæ,quaſi his ſolis omnia, reliquis Chriſtianis ut laicis nil in Eccleſiæ negotiis liceret: quorum Clericorum dignitatem dein gradatim ad ſe transferens, factus eſt tandem compendium totius dignitatis & ſanctitatis Eccleſiaſticæ,ut jam diu habeatur & dicatur caput Eccleſiæ, immo ipſa Eccleſia repreſentativa, in quo ſe antichriſtum eſſe aperte oſtendit.

Non ſimul ſed ſenſim ex parvis *Myſteriis* prodiit ille Romanus baſiliſcus: cujus ovis quia de novo incubat ille Vereanus, ni aſtum providerint Politici pii,naſcentur tempore non unus ſed multi antichriſti.

Si enim Eccleſiæ catholicæ ſanctitas in viſibili Eccleſia eſt: ſi Eccleſiæ viſibilis ſanctitas in Eccleſia repræſentante, hoc eſt, rectoribus eſt: puta conſiſtorio aut Claſſe &c. Si conſiſtorii dignitas reſtringitur ad miniſtros, tanquam oculos & duplo honore dignos in Eccl eſia (ſeniores enim ſuppedanei fere miniſtrorum habentur) ſi plurium paſtorum dignitas tandem reſidet in uno primipilari paſtore, cujus commentis omnes alii paſtores, vel inſcitia vel lentitudine ſubſcribant (uti in Walachra claſſe videre eſt)quis non videt tandem, omnem ſanctitatem & juriſdictionem totius Eccleſiæ ad primipilarem paſtorem, tanquam ſentinam,confluere? cujus impudentiæ & deliriis ſi nemo Eccleſiaſticus audeat aut velit, nemo Politicus, ſub pæna ſacrilegii poſſit obſiſtere, an non is futurus eſt Papa iſtius inſulæ vel provinciæ?

Accedat tertius error à papiſtis quoque deſum-

ſumtus: illi enim de Eccleſia agentes, pro Ec- 3 Error de Eccleſia.
cleſia *catholica* obtrudunt *viſibilem* Romanam: & dein pro tota Eccleſia partem tantum regentem & regimen Eccleſiæ, commendant pro Eccleſia, ultimo quoque ſub titulo regiminis & Eccleſiæ Apoſtolicæ venditant omnis generis commenta & febricitantium paparum ſomnia; ut jam Eccleſiæ regimen & Choragium non magis ibi ſit ſimile Apoſtolico, quam larvæ & lamiæ vivis hominibus: nec dum tam impudens eſt Grallator hic;ſed quia perpetuo cum magiſtratibus, tanquam mundanis hominibus rixatur de jure leges faciendi in Eccleſiaſticis, non obſcure indicat hunc ſibi animum eſſe qui Papæ ſemper fuit; ſub prætextu Eccleſiaſticæ dignitatis, hoc jugum Chriſti populo ipſiſque adeo magiſtratibus imponere, ut quidquid collegium Apollonianum in Walachria judicabit ſanctum, & Eccleſiæ Chriſti ſponſæ neceſſarium ac conveniens, ſub pæna excommunicationis, obedienter ſit recipiendum: quam Eccleſiaſtici conventiculi licentiam ſi non poſſit ſine ſacrilegio compeſcere Pius magiſtratus, (ut hic perpetuo clamat) quis non videt, centauros & infamia antichriſti monſtra, ex illis dedaleis labyrinthis cito proditura eſſe?quales partus jam aliquot in lucem editos Mittelburgi, in præfatione monſtravi:

Ut hic jam pateat multimodis papiſſare Apollonium ſub voce Eccleſiæ; cum pro Catholica Eccleſiæ, *vera Chriſti ſponſa, ſancta, inviſibi i*, ſubponit, *viſibilem Eccleſiam* multis nævis ſpurcam, Dein promittens ſe decertaturum pro dignita-

te

te totius Eccleſiæ,contempto & neglecto corpore Eccleſiæ, in ſolius regiminis & rectorum laudes & jura exſpatiatur : Denique ſub prætextu regiminis ſancti & Apoſtolici conatur obtrudere vitioſum, humanum & Papæ tyrannico admodum cognatum, uti in ſequentibus oſtendam. Quam ſaccariam Apollonii Jeſuiticam velim obſervet lector : non aliter enim ludit quam ſi impoſtor clamet ſe aurum aſſerre, dein deflectat in ſtannum, paulo poſt in mercurium, ultimo deſinat in ſcoriam vel venenatum auripigmentum.

CAP. II.

De Sanctitatis acceptionibus.

VTi Eccleſiæ,ita *Sanctitatis* quoque vox illuſtris ſed ambigua eſt. Nemo fere tam parum religioſus eſt, quin nomen ſanctitatis in pretio habeat : unde non exigui ponderis eſt apud omnes,maxime δεισιδαίμονας ſuperſtitioſos, rem vel perſonam eſſe *ſacram* aut *Sanctam*:ut non papiſtæ veteres modo, ſed hic novus,quoties de *Eccleſia* & Eccleſiaſticis loquuntur, tam effuſe ampullentur, ut perpetuo *ſacri* & *ſancti* nomen habeant in ore; ſub cujus velo authoritatem mundanam querentes, imperitis ſæpe fucum faciunt, quod jam paucis ediſſeram.

Sanctitatis vox proprie denotat internam & perfectam rei integritatem, qualis in Deo eſt *eminenter*, unde apud Eſaiam dicitur *Sanctus,ſanctus,ſanctus* : ad cujus naturam quia proxime accedunt

cedunt Beati angeli & animæ quæ in cælo ſunt, merito dicuntur quoque *ſanctæ*. Et ſi autem ob corporeitatem (ut ſic dicam) humana natura Chriſti à divina diſtet; tamen hypoſtaticæ unionis incomprehenſibili privileg io, qua cum divina natura perſonaliter unita eſt, non dubium cuiquam eſſe poteſt, quin ineffabilis quoque majeſtas & dignitas in glorioſo corpore Chriſti ſit in cælo ad dextram patris ſedentis, ut quoque merito dici poſſit ſanctiſſimum id corpus: qualia etiam cenſenda ſunt corpora Henochi & Heliæ, ſed gradu inferiori: infra quæ ſubſidere multum veriſimile eſt ipſum cælum & locum beatorum; de quibus tamen omnibus verum eſt, quod vere,inhærenter & ſuo modo perfecte ſancta ſint & libera ab omni pollutione.

Transfertur dein hæc vox *ſanctitatis* ad multas alias res; imprimiſque ad cultum dei. Quia enim is tendit ad gloriam *ſanctiſſimi dei*, & fere medium eſt,quo Homines perducuntur tandem ad poſſeſſionem illius veræ & *perfectæ ſanctitatis*, qua in cælo fruemur, hinc fit ut ipſe *cultus dei*, & *modus* ac *media* illius cultus, denique *homines ipſi* circa illum cultum verſantes, dicantur & ſint ſuo *modo ſancti*.in quibus tamen diſcriminandis cautione apprime opus eſt. Harum enim rerum confuſio facillime in præſumptuoſis faſtum, in ſuperſtitioſis idololatriam parturit.

Nil eſt certius,quam ſanctitatis nomen optume mereri quidquid in ſe perpetuam habet & inhærentem perfectionrm, & ordinationem ad cultum dei hominumque ſalutem promovendam:

dam: tam ſanctus enim eſt deus, ut quidquid eum authorem habet &ad ejus ſanctitatem ordinatur, pro ſancto ſit habendum.

Qualia ſunt virtutes Chriſtianis per ſpiritum ſanctum infuſæ, ut *ſapientia*, *ſpes*, Charitas, & imprimis fides vera juſtificans, quæ propterea in ſcripturis dicitur *Sanctiſſima*, quia non modo in ſe ſancta & diviniſſima eſt, ſed quicumque ea donatur, etſi ante profaniſſimus fuiſſet, & apud mundum indigniſſimus, fit apud deum ſanctus & electus; quia Chriſto inſeparabiliter unitur ſed myſtice per *fidem*: licet enim non ſtatim immutet hominem *fides*, ut ſanctitate inhærente donetur; tamen in ſpem certam adducitur adipiſcundæ tandem perfectæ ſanctitatis in cælo, cujus initia hic per ſanctificationem adſequitur poſt fidem veram infuſam; ut certe *ſanctitatis* nomen *fidei juſtificanti* optume conveniat, quippe quæ ſolum Deum, ſanctiſſimum authorem habet, & ubicumque infunditur *ſanctitatem* in homine inſeparabilem cauſat; quæ cauſa eſt quod ita paſſim vere credentes in ſcripturis vocentur *Electi ſancti*.

His virtutibus ſuccedit *Verbum dei*, quod Deum ſanctiſſimum authorem habens, in ſe quoque perfecte *ſanctum* eſt: quomodo enim profani aliquid reperiri poſſit in illo verbo, quod Spiritus ſancti *actu* & *pulſu* dictum ac ſcriptum eſſe conſtat? ut vel ſanctiſſima *fides* ex hoc tanquam immortali ſemine generetur: Hoc tamen differt, quod non ut fides juſtificans, cuicumque committitur & donatur id *verbum dei*, ſemper eum *ſanctum faciat*, quia profaniſſimis

quoque

quoque & impiis ejus cognitionem & præconium Deus committit: ut ne ipſe quidem *cultus dei* totus ſanctior ſit *fide vera*, & *verbo Dei.* ad illam enim ingenerandam totus ſpectat; hoc vero totius cultus origo & unica menſura oſt:

Inferiorem ergo gradum *ſanctitatis* obtinent externa opera & *media cultus*, ad fidem hominum promovendam: quæ verſantur circa *res*, *perſonas*, *locum*, *tempus* & varias circumſtantias; nec conſiſtit in *perpetua* aut *inhærente aliqua perfectione* aut interna dignitate, ſed in ſolo dei *ſelectu & ordinatione* ad cultum: pro tempore & loco.

Rubus, ex quo loquebatur primo cum Moſe Ex. 3. 5.
Deus, vocatur *Terra ſancta*: non quod mutata fuerit natura illius rubi, ut inhærens aut permanens eſſet illic perfectio, ſed conſtabat tantum in externo hoc modo, quod Deus illic præſentiam ſuam oſtentabat, qua poſt ceſſante, non dubium eſt totam quoque illius loci ſanctitatem deſiiſſe: longius duravit in monte *Sinai*, ubi tot diebus Moſes fuit in Dei præſentia: longiſſime in tabernaculo Moſis, & templo Solomonis, quod cultui ſuo quaſi in perpetuum ſelegerat: ibi enim erat *arca*, ſedes *propitiatorii*, *Cherubum ſacra lorica.* ibi erant urim & thymmim, ubi reſponſa dabat Deus, & præſentiæ ſuæ ſigna edebat tam illuſtria ut non pateretur ordinem ibi a ſe conſtitutum perverti, uti videre fuit in Mirriam; Core, Datna, Abiron: in Philiſtæis cum arcam ceperant: in Uſa quem morte punivit cum arcam tangeret: denique Uſia quem lepra percuſſit, cum ſacrificare vellet: Hæc totius templi ſanctitas, ut cumque

que inſignior fuit & diuturnior, non tamen mutavit naturam illarum rerum: conſtabant enim ex auro, argento, margaritis & aliis naturalibus rebus; nec dubium eſt quin tandem fuerint ignis pabulum, aut impiorum raptorum præda. Narrat enim Joſephus in Titi triumpho etiam inter ſpolia delatam eſſe *legem duarum tabularum*, quæ tanta Veneratione in arca & ſancto ſanctorum fuerat occultata: ut nec inhærens nec perpetua fuerit hæc ſanctitas, ſed relativa & temporalis: quam non melius exprimam, quam ſi comparetur domui cum utenſilibus, in quam divertit pro tempore Princeps: quamdiu enim ibi verſatur, propter majeſtatis pompam nihil illic eſt quod non dignitatem & ſplendorem inde mutuetur, qui tamen nec in domo aut ſupellectile proprie eſt; ceſſat enim ſtatim poſtquam inde migrat principis majeſtas:

Idem ſtatuendum de *perſonarum ſanctitate*, quos ad cultus ſui curam & negotia adhibet Deus. ſi enim ipſi *loco* & *rebus* cultui dicatis non ineſt perpetua & inhærens dignitas, quanto minus hoc ſtatuendum de *perſonis*, quæ illis cultus rebus tractandis ordinantur? hoc aperte videre eſt in Levitis: quorum totam ſtirpem ex omnibus Judæis ſelegerat Deus & conſecraverat ſui cultus negotiis; qui propterea erant & dicebantur *Sanctus* populus; non tamen inde exſtabat in illis inhærens aliqua perfectio, aut integritas; uti ex Heli filiis videre fuit, qui impii nebulones erant, & ipſi Samuelis liberi, ob vitia, à ſacerdotii ſucceſſione removebantur; ut hinc evidens ſit, ſanctitatem illam perſonarum

narum cultui vacantium, nec inhærentem nec perpetuam eſſe, ſed relatam & ordinatam, quatenus explendo muneri ſufficiunt: fateor, Deum aliquando tam liberalem eſſe, ut cum munere ſancto quoque contulerit dona & virtutes; ut quando cum diademate dedit bonum ſpiritum regiminis Sauli, imprimis cum ſanctos Prophetas & Apoſtolos inſtruxit fidei, pietatis, & miraculorum donis inhærentibus: hoc tamen firmum eſt, nunquam ſe ita hominibus obſtringere Deum, ut quos externo muneris ſancti negotio conſecret, eos quoque intus ſemper ſanctificet. adhibuit enim quoque ad docendi munus *aſinam* brutam; ad prophetandi officium incantarorem *Bileam*, ad Apoſtolatus dignitatem proditorem *Iudam*. Par ratio eſt quoque in *tempore*; ſicut enim Deus ſuo cultui conſecravit *res*, *perſonas* & *locos*, ita quoque dies, qualis erat olim dies Sabbati, & alii inter Judæos feſti: quorum nullus in ſe fiebat ſanctior, ſed ſola Dei ordinatione eminebat, qua is cultus negotiis deſtinabatur, extra quem caſum vulgaris erat.

Hæc de *externa* & *relativa ſanctitate* paulo fuſuis delibare viſum fuit, ne temere imponant incautis, quotquot de hoc *ſanctitatis* privilegio tam ſuperbe anhelant, ut quoties ſanctitatis titulus obtenditur, credi velint, ibi inhærens & perpetuum ac permanens eſſe dignitatis & integritatis firmamentum.

Id comprobavit experientia in veteribus Papiſtis: non obſcure enim fatetur Bellar. omnem cultum imaginum, mortuorum, & reliquiarum,

in Romana Eccleſia inde natum eſſe quod perſuaſum eſſet, illos quos colunt *fuiſſe ſanctos*, ac proinde habuiſſe aſſiſtentiam dei; quam quia aliquando habuerint in vita, putant perpetuo illorum etiam cadaveribus, ſepulcris, reliquiis immo imaginibus eſſe affixam; ita ut merito illis, vel aſſiſtenti ibi Deo, honorem ſe putent deferre. Non dico quot modis illudant ſuperſtitioſis hominibus illi falſarij, cum ſæpe nebulonum, furum, canum & ſimiarum reliquias pro ſanctis obtrudunt; hoc tantum dico; illos in hoc errare, quod aſſiſtentiam Dei ſuo arbitrio mancipant, dum fingunt, illis rebus & perſonis omni loco adligatam eſſe Dei virtutem, quibus conſtat, aliquando adfuiſſe: tunc enim omnibus rebus & perſonis inhærens & perpetua ineſſet virtus & perfectio, quoties eas ſuo uſui & quidem ſacro ſemel conſecrat Deus: quod quam falſum ſit, in templi judaici caſu, omniumque ejus utenſilium diſſipatione, apparet. quis enim niſi ſuperſtitioſus ſanctitatem nunc rimetur in loco illo ubi primum Moſem compellavit Deus? aut in cacumine montis Sinai? ubi legem tanto miraculo proclamavit! quis ſanctitatem quærat in Templi judaici ruderibus? quibus ita maledixit Chriſtus, ut cum in ejus contumeliam ea reſtau-
Math. 24 rare conaretur Julianus, erumpentibus ex *terra flammarum globis & elemento pertinacius obſiſtente*,
Ammian Marcell. opus cogeretur omittere. Si vel arca vel propitiatorium, ſi Cherubim & tabulæ legis, ſi ipſa ſacra lorica, & quidquid in ſancto Judæorum tam venerandum fuit, nunc adeſſet, non plus

plus ſanctitatis in illis eſſet ſtatuendum , quam in vulgaribus mundi utenſilibus , quippe quæ conſtat tandem ignis pabulo vel raptoris prædæ ceſſiſſe.

Non eſt,fateor,tam effuſus in ſanctitatis præconium novus iſte papiſta Walachrus , ut mortuis & reliquiis tribuat cultus & venerationis jus. ſed hoc tamen habet cum ſuis pædagogis Jeſuitis commune , quod in externis cultus rebus,perſonis, ac negotiis, omni tempore tam ſublime collocet dignitatis& perfectionis myſterium , ut non modo ſui choragij eccleſiaſtici ſanctitatem externam ſupra omnia mundi negotia extollat ; ſed tam miram faciat Eccleſiaſticorum ex vocatione dignitatem , ut aperte clamet,bioticos magiſtratus, etiamſi Eccleſiæ Chriſti membra ſint , non poſſe, etiam ſi maxime velint, ad illam myſticam dignitatem pertingere :

Impoſtorum Delphicorum & idololatricorum ganeonum illa ſunt figmenta , hominibus ſemper perſuadere , in relignonis externis negotijs occulta eſſe & non tangenda myſteria , quo admiratione ſui & ſuperſtitione imperitos imbuant. Hæc ars veterum papiſtarum eſt, de ſui choragii ſanctitate mira perſuadere hominibus , quo myſticam ſanctitatem collocent ubi nulla eſt : etſi enim multiplex ceremoniarum operoſitas, quam in Eccleſiæ negotiis affectant clerici , ſuo labore non careat ; tamen nemo laicus tam ineptus fuerit , hiſtrionicarum nugarum, quibus utuntur, farraginem quin facile poſſit imitari. Ab levitico & ceremoniali

 ſacerdotio,

ſacerdotio mutuati ſunt Papiſtæ magnam partem ſui Choragii & *ſanctitatum*, ab utriſque mutuatur Walachrus iſte tenebrio : Et ſi enim
Ioan.4. ex Chriſti inſigni prædictione & tota Epiſtola ad Hebræos apparet, externam illam cultus *pompam*, *præciſitatem*, & *muniorum ſecretionem* cum templi caſu cecidiſſe; tamen ex horum ſacerdotio ubique metitur hodierni miniſterii jus, & ex Levitarum veterum prærogativis extruit ſua ſanctitatis & præeminentiæ privilegia ſupra omnes Politicos: licet autem conſtet, in hoc pueriliter eum Judaizare, (quod omnes orthodoxi explodunt) tamen haud difficile ſit, ex ipſo Iudaici cultus præſcripto Walachros illos turbones, novitatis & θρησκείας convincere.

Nam ſi ex Iudæorum inſtituto & cærimoniis debent ſui cultus negotia metiri Chriſtiani, neceſſe eſt, aut *in omnibus imitentur* eos, aut aliquis accedat Oedipus, qui nobis hoc ænigma hactenus inſolubile ſolvat; quid in illis cærimoniis morale & imitandum præciſe ſit, quid non? Papa Romanus per fas per nefas, hoc ſolo privilegio, quod ſit Antichriſtus, ſibi ſumit licentiam, ex Iudæorum & gentium cærimoniis aſſumendi quidquid judicat ad pompam & commodum ſuæ *Sanctitatis* habere pondus: Reformatorum theologorum alii aliis operoſius in hoc Siſiphi ſaxo volvendo laborarunt: Walachrus Grallator, præ cæteris inſcitia turgidus; quaſi ex tripode multa definit: inter alia, Judaizare turpiter magiſtratum Mittelburgenſem, quod ad pſalmodiam dirigendam, organi concentum in templo admittit, & alia de

quibus

quibus alibi dehinc latius: contra; ut ſuo cultus Choragio dignitatem, ac ſibi ſuiſque commilitonibus prærogativam myſticæ ſanctitatis conciliet adverſus & ſupra omnes pios principes & magiſtratus, hoc cenſet eſſe *perpetuum* & *morale*, ut præciſa ſit ſeparatio & diſtinctio inter Eccleſiaſtica munia, ipſoſque Eccleſiaſticos, & politicos, ut hi, velint nolint, nil ſpirituale poſſint facere, quod animæ ſalutem tangat aut intendat, illi vero ſanctitatis privilegio omnem ſpiritualitatem, & animarum ſalutem curent, operentur & exhauriant: ut ſi in hæc negotia manus immittat politicus, non aliter peccet, quam ſi olim ſacrificaſſet, qui Levita non erat: ut crebro in ore habeat exemplum Uſiæ regis, & minetur, magiſtratus hoc ſupplicio multatos iri, ſi alicubi hodierni Choragii negotia audeant obire, aut miniſtris remoram objicere, quo minus libere omnia Apolloniano zelo exſequantur. Rationum, quibus hoc perſuadet, frivolam farraginem in progreſſu disjiciam; palmariam tantum hanc nunc explodo, qua ubique ſuperbit, quod ſub cultu veteris *teſtamenti Levitico* tam exquiſita horum munerum & functionum *ſeparatio* fuerit; unde concludit; ſi hoc ita factum eſt ſub carnali populo Judaico; multo magis hoc diſcrimen nunc debere obſervari ſub ſpirituali Chriſti populo Chriſtiano. Si non conſtaret, huic nugoni familiare eſſe, falſa ubique ſupponere, reſponderem, inconſequentia puerili laborare ejus collectum: perinde enim ratiocinatur, ac ſi dicat: Carnalis ille Judaicus populus, hoc habuit, quod

unum templum habebat, unam urbem, ad quam debebant confluere quotannis cultus gratia, ubi ſanctum ſanctorum habebant, ex quo reſponſa Deus aperta & indubia edebat. Ergo multo magis hoc nunc convenit Chriſtiano populo ſpiritualiori. Rurſus, ſub carnali judaico populo nemo ſerviebat templi ſacrificijs, quam una ſtirps Levitica, quibus peculiaris erat iſta ſanctitas, ut in id privilegium omnes naſcerentur, & nemo extra illam ſtirpem illa dignitate gauderet; ergo nunc ſpiritualibus Chriſtianis magis convenit, ut illa Eccleſiaſtica ſanctitas miniſterij non ſit omnibus promiſcua, ſed quoque ad unam ſtirpem reſtringatur: quod aſſertum non ingenioſi modo, ſed ipſi Papiſtæ, & Apollonius ſat ſcio negaverit. Apud illos enim nimis noxium fuerit dignitatem Eccleſiaſticam ad unam ſtirpem adſtringere: quia fere clericalis illa ſanctitas paupertatis & omnis nequitiæ eſt aſylum, ut nil referat unde natus & qua proſapia editus ſit aliquis, modo artem ſimoniacam calleat, facile eam adſequatur; ac ſi omnis quoque temporalis ſpes eum deſtituat, nunquam obſtabit progenies, quin facile *disſperatio faciat monachum*, uti videre eſt in ipſo ſummæ ſanctitatis faſtigio, quod eſt cathedra Petri, quæ utut tam ſancta ſit & efficax, ut Papam etiam impijſſimum, *ſanctum inveniat ſemper vel faciat*, (ut loquuntur) tamen, non fuit unquam tam levitice delicata, quin omnis nationis, proſapiæ & ſexus monſtra admiſerit tamquam publicum proſtibulum, modo artem tenerent, adeundi illam Laidem, ut Platinæ relatu conſtet,

ſtet, Gallos, Germanos, Aſiaticos, Græcos, Afros, nec viros modo, ſed feminam Joannam & meretricem circa annum ɪɪcɪↄ. ſeſſores ejus fuiſſe: qua ſpe certe excidiſſent omnia illa portenta Romanæ ſedis, ſi verum eſſet Apollonij commentum, Chriſtianæ Eccleſiæ regimen ab levitico peti prorſus debere & uni ſtirpi adligari: ut ne ſibi ſuiſque ſocijs bonam operam hic navare videatur Grallator, ſi ex levitarum præſcripto omnes miniſterij ſui ritus velit æſtimari: cum non modo ipſe ex conſulari familia politica ad cathedræ Eccleſiaſticæ ſanctitatem proreptarit, ſed hoc conſtet alios ex piſtrino, alios à textrina ac ſutrina ad ſuggeſtum ſubſultaſſe, vel quaſi ex tegularia mechanica in ſanctitatem Eccleſiaſtici miniſterij decidiſſe. Fateor, in hoc nil aliud accidere, quam quod in Apoſtolis ipſe Chriſtus oſtendit, cum piſcatores, publicanos, ſcenopægas & omnis generis mechanicos in Apoſtolos adlegit: hoc tantum adſero, ſi levitarum exemplo & lege debet hodie ordinari choragium, ut garrit Apollonius: male præiviſſe Chriſtum, & præpoſtere ſequutum eſſe Walachrum novatorem, quod exterminatis aliis proſapiis, non ad unam ſtirpem adliget *miniſterialis Eccleſiaſticæ ſanctitatis* ſpem.

Sed hic jam liberalitate utar adverſus Walachros, ut concedam illis in patrocinium ſumere quidquid olim levitis veteribus fuit peculiare. Qua arte tamen exſtruent, ut *ſpecialis juris & ſanctitatis* eſſe perſuadeant in Chriſtiana Eccleſia, quod inter levitas non ſpecialis, ſed

communis cum politicis juris fuiſſe conſtat? Levitæ certe, naſcebantur omnes in hoc privilegium, ut templi res poſſent tractare & tangere, ſacrificia adolere, veſtes ſacras induere, panes ſacros edere, & alia quæ Deus expreſſe in lege declaraverat: Pontifici maximo ſpeciale jus erat in ſanctum ſanctorum introeundi, Cidarin ſacram & loricam induendi: hæc non populo modo & politicis, ſed ne Prophetis quidem ipſis niſi extraordinario caſu licebant: ſed quis pontificum hoc prætextu omnes alios ſacerdotes ex toto templo auſus fuiſſet excludere? quis hoc tuliſſet non Politicorum modo ſed totius populi? ſi prætextu templarii operis, & ſacrificandi juris, Levitæ illi omnes alias ſtirpes, totumque populum Iſrael auſi fuiſſent ab omnibus alijs cultus negotijs quaſi immundos & profanos excludere, non minus abſurde feciſſent, quam ſi totum populum ut leproſum voluiſſent extra caſtra ejicere & ab omnibus ſanctis arcere: debebant ergo intra legum Dei præſcripta manere ipſi Levitæ; nec ſanctitatis prætextam latius extendere quam Deus præceperat. Nolim certe aſſeverare, non fuiſſe aliquando tam immodicos in ſuarum ſanctitatum prærogativis protelandis, quin ſibi vendicarent aliquid quod Deus non expreſſe definiverat; (*innatum enim videtur eſſe Eccleſiaſticis malum ambitio!*) hoc tamen dico aperte, numquam tam audaces fuiſſe veteres Levitas, quin Regibus & omni populo promiſcue concederent multa, quæ ad cultum & religionis exercitia pertinebant, qualia erant: quod in templo *privatim ac publice*

publice prædicarent & *precarentur* : *quod ſacramenta celebrarent* : *leges & ſtatuta de* Eccleſiaſticis promulgarent,*cauſas eccleſiaſticas dijudicarent* & *definirent*,Sacerdotes immo *pontifices* ipſos ab officio deflectentes *compeſcerent & punirent* : ipſis deniq; Eccleſiaſticis muneris ſacri obeundi *Ius conferrēt & auferrent*;quæ omnia poſt exemplis oſtendam. Hæc ſi bene expendiſſet ille Walachrus circulator,non ita audacter obtruſiſſet incautis Levitici veteris cultus exemplum in ſui choragij patrocinium: non aliter enim agit, quam ſi turbulentus aliquis in domum irruens oſtenderet tabulis, parentibus ſuis aut proavis fuiſſe ex contractu jus poſſidendi ſeorſim in illa domo aliquot ſellas,ſic tamen ut ex ipſis tabulis pateret, vel corruiſſe illas ſellas,vel deſiiſſe jus eas poſſidendi;is tamen facta impreſſione non ſellas modo occupet, ſed totam domum ſibi vendicet, extruſis poſſeſſoribus.Certe quidquid Levitis & veteris legisEccleſiaſticis ſpeciali jure olim conveniebat,ceſſaſſe conſtat:quidquid hodie ſacrorum muniorum ſuperſt,id certum eſt,Levitis ipſis non peculiare, ſed omnibus commune fuiſſe. Ut ſi hodie apud ipſos Levitas cauſam diceret Grallator, tota earum Synagoga ſit damnandus.Sed quia poſt latius hæc dicenda ſunt,deſinā nunc de *Sanctitatis* acceptione & conditionibus dicere, ubi unum errorem adhuc ſignificavero.

Ultimo enim notandum eſt, in *ſanctorum* ordinatione nemini jus convenire quam Deo : extra cujus præſcriptum ſi abeatur, utcumque res aut ritus ſpecioſo prætextu ornetur, non habendus eſt pro vere ſancto

aut ſacro. Ut enim omnis inhærens ſanctitas & perfectio in Deo eſt & ab eo fluit, ita quoque ab illius ſolius ordinatione aliquid fit *relative* ſacrum ac ſanctum, in cultu.

Ab hac regula multum deflectit Papa Romanus, qui ſolo privilegio, quod *exlex* ille
2. The. 2. Paulinus ſit, & Antichriſtus, ſuperbiens; ſumſit ſibi licentiam, *Homines*, *locos*, dies & *res* pro arbitrio ſanctificandi, & (quod vocant) *canoniſandi.* ut jam apud ejus ſubditos ratum ſit, quod ille declarat ſanctum & ſacrum hoc pro tali eſſe habendum. Hinc fit, ut non contentus ceremonijs & ritibus judaicis & veteris Eccleſiæ, quotidie comminiſcatur alios, quoties honori & commodo ſuo judicat eſſe utiles; ut jam immenſo ceremoniarum & rituum ſacrorum jugo prægravarit diu Chriſtianos: neque hoc facit ſine aliquo æquitatis prætextu. Ipſe Bellarminus alibi ſtomachoſe pro Papa aſſeverat, nil eum unquam introducere in Eccleſiam pro ritu & cærimonia ſacra, quod non in ſcripturis ſacris contineatur; ſed hic triplici fere cautione utitur: *primo* ut ſcripturæ conveniens habeatur quidquid frivola aliqua interpretatione Papæ illuc rapitur: quem morem deridens Philippus Marnixius in ſuo Alveari, oſtendit ex Lindano (quem Blindaſinum vocat) nullum eſſe tam ridiculum ritum in Hiſtrionico choragio Papæ, quin aliquem ſcripturæ locum invenerint, ex quo ſit procuſus, adveniente nimirum alchymiſtica vi interpretationis Papæ, qua putidæ nugarum ſcoriæ mutentur in purum ſanctitatis aurum:

Qua

Qua via ſicubi moleſtius incedat, ſumit ſibi pro generali axiomate *ſecundo loco*, pro ſacro ritu & cerimonia haberi debere quidquid fit *intentione bona* & *ad cultum ſacrum*: ac ſi ne hoc quoque ſufficiat refellendis Lutheranis, addit *tertio*, pro ſacris ritibus & cærimoniis haberi merito poſſe, quæ Eccleſia judicat ex primarijs ſacris, in ſcriptura expreſſis, *dependere* & *quodammodo* fluere: qua arte mundo mirifice imponit Papa: ut quotiens novi aliquid producit ad libertatem Chriſtianorum opprimendam, quod conſtabat in ſcripturis non contineri, oſtendebat hoc conſequentiola aliqua inde fluere, aut connexione quadam inde dependere: quia autem nuſquam definit ſcriptura, quatenus dependentia trahi poſſit; hinc factum eſt ut nullus illic *dependentium ſacrorum* finis ſit. Cuique enim pontifici manet jus integrum, ad ſacras cerimonias & ritus novas ſemper addendi *appendices*. hic luſus eſt papiſtarum veterum in ſanctitatibus Eccleſiaſticis procudendis.

Novi Papiſtæ Walachri prorſus eadem via incedunt: ſi enim quæraTur ex Apollonio, quænam habeat pro ſacris cærimonijs & ritibus Eccleſiæ, non contentus eſt iis quæ in verbo Dei aperte continentur (tunc enim nullus eſſet uſus nomotheticæ Eccleſiaſticæ!) ſed pro ſacris Eccleſiaſticis vult quoque haberi quidquid voluntate religioſa inſtituitur.

Utcumque enim ſolita vertigine alibi præciſius rem definiens ſibi contradicat, tamen initio ſui operis, ita deſcribit *cærimoniam aut ritum* Part 1. p. *ſacrum*, quod ſit *actio, quæ non eſt aliunde bona &* 2. 3. &c.

lauda-

laudabilis , niſi quia fiat ad Deum colendum : quia enim accommodatur ad cultum divinum, in ordine ad illam voluntatem religioſam, habet ſufficientem honeſtatem, in qua fundari poſſit cerimonia aut ritus ſacer: quod cum intentionali papiſtica ſanctitate ad amuſſim conſentit. Addit quidem, Eccleſiæ *diligenter ſcrutandum eſſe*, ut ſecundum *verbum Dei ritus & cærimonis ſacras inſtituat.* ſed hoc intelligendum eſt phraſi & dialecto Jeſuitica; videlicet ut penes Eccleſiaſticos ſolos judicium maneat, utrũ aliquid verbo dei cõveniat nec ne: notum eſt jam diu, Romanam Eccleſiam ſcatere erroribus & totum Choragium cultus papalis non eſſe Apoſtolicum ſed Apoſtaticum: attamen aperte clamant Ieſuitæ mentiri Lutheranos: Eccleſiam Romanam nec defeciſſe , nec poſſe deficere; nec imparati ſunt ad hoc probandum , ſed ea lege tantum ſi Papa judice inſtituatur lis : ut nunquam erroris poſſit convinci Romana Eccleſiæ, niſi per impoſſibile ipſa fateatur, ſe errare. Non multo aliter cretizat ubique Apollonius. Fatetur, leges in ſacris non poſſe facere Eccleſiam, aut ritus promulgare , niſi ad ſcripturæ amuſſium : id tamen ita interpretatur, ut penes eandem Eccleſiam & Eccleſiaſticos abſolutum judicium ſit, utrum aliquid ſcripturæ conveniat. ſi enim aliquis politicus audeat pro authoritate in ſtatuta Eccleſiaſtica inquirere, vel res Eccleſiaſticas definire , vel Eccleſiaſticos impedire ne libere ipſi pro arbitrio ſtatuant & definiant; clamat, *Tyrannicum* hoc eſſe, *ſimoniacum* & *ſacrilegum.* ſed politicorum eſſe ut ovium ſe *modeſte ſubmittere*, excepto caſu, ſi clerus *irre-*

for-

formabilis ſit; utrum autem hoc ſit, judicium tamen vult eſſe penes eoſdem Eccleſiaſticos. Neutiquam enim reſpondet Theologiæ Apollonianæ, ut de Eccleſiaſticis judicet magiſtratus pius. Hæc ſi vera ſunt, jam videmus, apertam viam patere novis his papiſtis, opplendi Eccleſias reformatas ritibus & cærimoniis *ſacris*. Nil enim facilius eſt iſtis veſpertilionibus, quam nova ſemper commenta *ſanctitatum* ſomniare: ad quæ ſi conniveat lentitudine pius Magiſtratus, nemo tam abſona ſcripturis ſacris comminſcetur, quin apud Eccleſiaſticos aſſenſum ex affectu inveniens, quidvis portenti populo Chriſtiano ſit obtruſurus. Exemplo ſit Claſſis Walachra, ubi vertiginoſus rabula tot falſa, profana & ſeditioſa in Cl. Vedelium & pios principes effutiit, & tamen (ſi verus eſt) non conſiſtorium modo Mittelburgenſe, ſed tota Claſſis Walachra omnia expendit, probavit & laudavit.

Alterum in quo ſimlis papiſtis eſt, hoc erit: quod de ſacris Eccleſiæ agens, diſtinguat eas in *primas* & *primarum appendices*. ſub quo latet papiſmi veteris myſterium: licet Eccleſiaſticis licentia non ſit prima *ſacra* inſtituendi, tamen illorum juris eſſe, multa Chriſtianis imperare ſub pœna excommunicationis, quæ *conſequentia* inde fluant, aut à *primis* illis videantur *dependere*.

Id ſi ſemel detur Apollonio & Apollonianis Eccleſiæ dynaſtis, nil erit tam abſurdum & profanum, quod non *ſanctitatis* titulum & ſpeciem induet, quoties primorum ſacrorum

docebitur eſſe appendicem. Exemplo res fiet planior.

Primarium ſacrum in Eccleſiæ Choragio eſt, *prædicatio* Evangelij. hinc ſi colligatur, ſacra quoque eſſe, quæcumque ab hoc dependent neceſſario, næ infinitus orietur ſacrorum pullatus. Non poteſt enim prædicatio fieri niſi aliquis *Prædicator* ſit: inde conſequentia neceſſaria ſequetur, *Prædicatores* omnes uſque ad Apollonium ipſum eſſe ſacros: quod ſat ſcio is non diffitebitur; nil enim magis toto hoc opere laborat, quam ut *ſanctitatis* prærogativam præ profanis politicis ſibi vendicet: ego autem hanc telam longius pertexam:

Impoſſibile eſt *Prædicatorem* prædicare ſine *lingua, labris* & *dentibus*: ergo ſequetur, lingnam, labra & dentes Prædicatoris quoque eſſe ſancta.

Lingua, labra & dentes non poſſunt formare conceptus ſine *cerebro*. ergo (niſi peculiare ſit Apollonio, cerebro carere) cerebrum quoque Apollonii prædicatoris erit ſacrum.

Cerebrum non poteſt edere functiones, niſi cor illud *vivificet ſpiritu vitali*: cor ergo & ſpiritus vitales quoque fient ſacri.

Cerebrum, cor & lingua non poſſunt operari, niſi nutriantur per *Hepar, venas, inteſtina* &c. ergo hæc quoque in prædicatore erunt ſacra: Nolo ad corporis ſordes inferius deſcendere, & eas quoque ex *dependentia* ſacras facere: hoc tantum addo,

Non poſſe accedere aut ſtare ad prædicandum Apollonium, niſi pedes habeat: inde ſequetur

tur, pedes quoque ejus eſſe ſacros.

Iam quam hoc fuerit inconcinnum, ut nudis pedibns veniret ad concionem! decori ſervandi cauſa pallio, femoralibus, caligis & calceis debet eſſe indutus: annon inde ſequetur, hos quoque eſſe ſacros?

Quid ſi inevitabilis neceſſitas cogat propter viæ ſordes, ut *luto* & *ſtercore* perſperſis calceis, ſuggeſtum aſcendat prædicator, annon quodlibeticus hinc nodus orietur Walachris theologis? lutumne & ſtercora tunc fiant ſacra?

Nolo convitium facere veris & genuinis ſacris; futiles Apollonii appendices & conſequentiaria ſancta tantum explodo hoc uno exemplo. cui libitum ſit eum deridere poterit in aliis experiri. Id ratum eſſe velim, non concedendum eſſe ulli homini, nedum vertiginoſo Grallatori, ut pro ſacris & ſanctis authentizet, quidquid ſomniat à primis & veris ſacris fluere & dependere. Quid mali inde naſcatur inter *veteres papiſtas* videre eſt, ubi totus populus impia ac ridicula hac ſuperſtitione infatuatus eſt. Non modo enim monachos ibi habent pro ſanctis: ſed hoc conſequentiario incantamento eorum quoque manus, pedes, togas & caputia oſculantur mira veneratione, ut miræ ſanctitatis & meriti illic ſit, ſi moribundus aliquis togæ aut interulæ pediculoſi monachi immoriatur, vel femoralibus ſanctis Eccleſiaſtici caput involvat ſuperſtitioſa femina, ſcilicet ut ſanctitatis illius primæ dependentias ſentiat vel ſaltem adoret. Utcumque res habeat, ego hoc ratum eſſe puto, inter externa Eccleſiæ

non

non ſtatim ea habenda eſſe pro ſacris; quæ *ordinem* habent ad *religionem* & cultum.

CAP. III.

De Spiritualitate.

SVpereſt, ut *Spiritualitatis* vocem examinemus: Et ſi enim ſuas carnalitates nimis quam prodant veteres & novi papiſtæ, tamen ſuam Spiritualitatem plenis ubique buccis deprædicant. Reciprocant fere eam cum *Sanctitate*: quæ tamen in hoc differunt, quod vere *Sanctum* ſemper bonum ſit, *Spirituale* aliquando *malum*; loquitur enim Paulus de *ſpirituali malitie in aere*.

Eph.6.12 Ego hic in bonam partem capio: & ſtatuo formam ſpiritualitatis in his tribus, quod quid Deum aut *Spiritum ſanctum authorem habeat* ac ordinatorem: quod *ad cultum Dei vel animarum ſpiritualem ſalutem* tendat: denique ut id fiat *Spirituali modo*.

Part. 1.p. 87.& alij

Grallator in hujus exegeſi multus eſt paſſim, & inprimis ex Parkero tot corradit, ut qui vera eſſe credat, quæ de Eccleſiaſtico choragio ibi garrit, merito ſuſpicetur, an adhuc carnem habeat Apollonius, & non totus in purum ſpiritum jam diu mutatus ſit cum ſua cohorte Walachra: nil enim in ſuo choragio invenire poteſt uſque ad res & verba, quin perſuadeat omnia eſſe ſpiritualia. quis autem modice doctus non ſuſpicetur, nil illic carnale ſupereſſe, ubi ex officio & vocationis ſpeciali jure tot ſpiritualia

ritualia concurrunt: non eſt vanus metus quem propono: videmus hujus rei exemplum in veteribus Papiſtis: ubi non modo, ex officii Eccleſiaſtici & vocationis jure mira ſpiritualitas tribuitur Clericis; ſed, imprimis ſi ad ſpiritualitatis caput Papam devenitur, tanta ſuperſtitione homines imbutos eſſe apparet, ut Pontificem credant & dicant *Deum* & quaſi *merum ſpiritum* eſſe; ut ſi pejeret, dejeret, pergræcetur, ſcortetur & aliena cubilia inſulret illa Romana locuſta, nemo tamen adduci poſſit niſi difficulter, quin credat ſanctum & ſpiritualem manere. quia enim officii dignitate cenſent eum prorſus deificatum & ſanctificatum, non facile in ſuſpicionem adducuntur, ſpiritualitate illum deſtitui poſſe: hæc veſania mirabili Dei judicio hominum mentes illic paulatim occapavit: quam ne de novo inter reformatos parturiat Apollonius, ſingula quæ dixi latius excutiam.

Principio hoc ratum eſſe debet, ſpiritualitatis titulum non mereri, quod ſpiritum ſanctum *vel deum authorem* non habet; quantoque immediatius & illuſtriori modo aliquid a Dei ſanctiſſimo ſpiritu prodit, tanto juſtius ſpirituale dici. Uti enim regium imprimis cenſetur, quod Rex immediate facit, ſuo ore loquitur, & ſua manum ſcribit; ita divina, ſancta & ſpiritualia merito cenſeri debent quæ Deus immediate agit. ſic Chriſti vocatio & inauguratio ſpiritualiſſima eſt: illi eum ſoli dixit cælitus, *filius meus es tu*. ſic legem Deus ipſe pronunciavit in monte: talis fuit vocatio Apoſtolorum immediata per Chriſtum; ſic imprimis ſpirituale cenſen-

dum eſt *verbum Dei* in ſacra ſcriptura & *fides vera*, quæ ex illo ſemine naſcitur: licet enim circa hanc hominum opera utitur, tamen effectum
1. Cor. 3. proprie ſibi ſervat Deus & operatur: non tamen hoc ita præciſe accipiendum eſt, quin pro *ſpiritualibus* quoque cenſeri poſſint, quæ Deus etiam mediate facit per organa; modo ea organa talia ſint, ut conſtet, Dei & ſpiritus ſancti eſſe amanuenſes & legatos, quales videmus fuiſſe Prophetas & Apoſtolos: qui ut erant vere Dei legati, ita quoque divina, ſancta & ſpiritualia fuerunt, quæ per illos dixit, ſcripſit & fecit Deus: unde non modo Prophetis ſollemne fuit in docendo dicere, *Hoc dicit dominus*: ſed de talibus legatis verum fuit quod Chriſtus dixit Apoſtolis, *Qui vos audit, me audit*. Sicuti enim regium habetur, quod legatus regis agit nomine & ſecundum præſcriptum Regis; ſic quoque quidquid egerunt & docuerunt illi immediati Dei legati Prophetæ & Apoſtoli, non aliter habendum eſt, quam ſi ipſe Deus ex cælo dixiſſet: ut in his vera fuerit *ſpiritualitas*. ubi autem dona & requiſita illius legationis ceſſant, ibi certum eſt quoque illam dignitatem legationis & *ſpiritualitatis* ceſſare, aut ſaltem multo inferiorem eſſe. Dignitas autem divinæ legationis conſiſtit in duobus: primo, ut tabulas habeat legationis; quas, vocant *credentiam*: Et ſi enim Regis mandatum exequeretur aliquis, nec haberet apertum mandatum legationis, non eſſet habendus pro legato regis, ſed (quod ſæpe factum eſt) puniretur tanquam falſarius. ſecundo hoc requiritur in legatione divina; ut legatus

legatus *plene ſit inſtructus* de omnibus quæ ad legationem requiruntur, & extra præſcriptum ſuæ legationis non abeat: qui alterutro horum caret, non eſt diguns titulo divini legati. his conditionibus plene inſtructi erant Prophetæ & Apoſtoli, ac proinde fuerunt vere Dei Legati & ſpirituales. Infra hanc dignitatem multum ſubſidunt omnes doctores Eccleſiæ, qui hodie ſunt: quia utroque hoc privilegio carent, ut poſt oſtendam. unde apparet falſitas Papæ, qui etſi tabulis legationis careat ob vocationis vitium, ac fere per poſticum irrepit ut fur; atque etiam legationem ita obit, ut Chriſti præſcripta tranſiliat & conculcet; tam audacter tamen jactat ſe legatum eſſe, ut non contentus *legati* titulo, ſe vocet *Oeconomum generalem*, *Caput* Eccleſiæ, immo Chriſti *vicarium in terris.* in quo ſe impudentem, & Antichriſtum oſtendit. Noſter novus Papiſta Walachrus audacior, nil habet familiarius, quam quod ſe dicat *legatum* Chriſti; cum tamen ſciat & fateri debeat, ſe ſua legatione ita fungi, ut ſæpe heri ſui mandata adulteret. Videmus quoque in hoc libro multa convitia, abſurda & aperta mendacia ab illo obtrudi lectoribus; quæ certe non habet à legatione ſui Heri Chriſti, ſed potius ſumſit à ſuo prædeceſſore Papa, à quo etiam mutuatur ſuam ſuperbiam, quod ſe tam aperte inflet titulo *ſpiritualitatis*, ut non Apoſtolis modo ſe æquiparet, ſed iis in multis præferat. Dicit enim, tam ſpirituale eſſe ſui choragii opus quod tractat, ut aperte clamet, magiſtratum ad ejus *ſpiritualitatem* non poſſe pertingere:

tam abſolutam faciens poteſtatem ſuam in Eccleſiam, ut multis aſſeveret eſſe *regiam* & alia de quibus Apoſtoli nunquam ſomniarunt: quod poſt latius oſtendam.

Altera conditio ſpiritualitatis a fine Atque hæc quidem prima conditio eſt ſpiritualitatis, ab authore ſumta. Non tamen ſpirituale cenſendum eſt, quidquid ſpiritus S. facit aut præcipit, per ſe vel mediate. Sic enim creationis opus, & naturalia omnia eſſent ſpiritualia. nulla etiam politica ac naturalis virtus eſſet in hominibus, quin ſpiritualis eſſet dicenda.

1. Cor. 12 Alterum ergo requiritur, quo quid ſpirituale ſit: ut ſpectet *cultum Dei*, & *animarum ſalutem*, qualia *Spes; ſunt charitas*; imprimis *fides* & ejus ſemen *verbum Dei*, dein ejus lectio, prædicatio, preces, ſacramenta, & eorum uſus, & quidquid Deus inſtituit ad ſe colendum, & ad fidem ingenerandam vel corroborandam;

Atque hic odium iterum Apollonii, quo in Magiſtratus, more papiſtarum æſtuat, obiter indicabo.

Veteres Papiſtæ perſuaſerunt jam diu populo Chriſti, quod res ſalutis. & negotia cultus ſacri non pertineant ad reges ut laicos, quia non poſſint ad illum finem pertingere, ſed hoc ſolis Eccleſiaſticis ut ſpiritualibus convenire: qua arte ſe primo exemerunt poteſtati politicæ & tandem ipſos politicos & reges ſubjecerunt ſibi: ut omnibus notum eſt:

Novus hic Papiſta Walachrus iiſdem grallis incedit: aperte enim dicit.

Part. 1. p. 47. 49. 52. & aliis. *Nos exiſtimamus, politicam poteſtatem nunquam poſſe extrahi ex ſuo genere, & elevari ad alium finem*

per

per ſe ipſum producendum , *qui non ſit totus naturalis*. paſſim quoque aſſerit, magiſtratus etiam pii *finem* non *eſſe*, immò *nec poſſe aut debere eſſe*, ut *ſalus æterna animarum procuretur*; quinimo Pelagianum eſſe aſſeverat, ſi quis ſtatuat, magiſtrarum qua talem aliquid poſſe efficere ad *beatitudinem æternam* homini procurandam, ſed ut bioticon circa res mundanas & hujus ſæculi ſempere hærere : hoc enim opus Eccleſiaſticis ut vere *ſpiritualibus* ſolis convenire : in quo non papiſſat modo, dum magiſtratus pios tam longe removet ab hoc fine ſpirituali ſalutis promovendæ, ſed veritati aperte repugnat ; ut vel ſolo Calvini judicio id potuiſſet diſcere : is enim comparat magiſtratus Terræ ; & aperte dicit, non aliter ab illis promotionem religionis dependere quam à *terra productionem frugum* : Vid præfat. & alibi. Cal. 2. in 1. Tim. 2. 2.

Nemo autem neſcit, terræ finem & effectum proprium eſſe, producere fruges, ut qui hodie perſuadeat hominibus, non proferre terram fruges, nec quidquam ad illas conferre, nec eſſe ullo modo finem aut effectum terræ productionem earum, ab ipſis agricolis & pueris ſit ridendus. Non tamen fit ſpirituale quidquid per conſequentias ab illo fine dependet vel per ambages ad illum finem tendit.

Videmus hanc conſequentiariam dependentiam *ſpiritualium* rerum fuiſſe ſub levitico ſacerdotio : Sanctum erat & ſpirituale templum : ab hoc fluebat ſpiritualitas Levitarum, qui templo ſerviebant: ab horum ſpiritualitate ſpiritualitas veſtium eorum : ab iiſdem quoque ſpiritualitas utenſilium templi : ab his dein contactus

omnium rerum, quæ ſacræ fiebant, quia templario cultui ſerviebant: quæ licet præſcripto Dei eatenus conveniebant, non dubito, quin multa addiderint poſteriores Levitæ ad ſuam ſpiritualitatem augendam, quæ conſtat non fuiſſe paris dignitatis.

Papiſtæ veteres in ſpiritualitatum multiplicatione non Levitas modo imitantur, ſed in multis ſuperarunt: ut non modo ſpirituale ſit iis, quidquid ad finem ſalutis cultuſve immediate vel primario tendit; ſed quodcumque ad illum finem è longinquo fertur, pari fere ſpiritualitatis privilegio ab illis ornatur. Exemplo ſit,

Papa apud illos eſt ſpiritualiſſimus; inde ſpirituale etiam fit, quidquid ad papam refertur ut finem. Sic corona, clavis, pallium, calcei, domus, conclave, ſervi, immo pene veneres, muli & aſinæ Papæ habentur pro ſanctis & ſpiritualibus.

Miſſa illis principaliter ſpiritualis eſt: ab hac dein ſpirituale fit, quidquid ad eam ut finem refertur: ſunt ea, locus, calix, ciborium, altare, velum, picturæ, dona, ſacrificus, diaconus, & quidquid ad illum finem è longinquo trahitur.

Novi papiſtæ Walachri adhuc incubant ſuæ ſpiritualitatis ovis; quorum pullatum ſi cum ſucceſſu excludere iis detur, mirus ſpiritualitatum orietur proventus: hoc tempore ſaltem pro non tangendis ſpiritualibus habentur, jus prædicandi & publice precandi, ſacramenta adminiſtrandi; jus cenſurandi, vocandi, leges faciendi in Eccleſia; jus Synodorum & dependentiæ, & (quod

(quod jam de novo parturit Apollonius) jus colligendi & diſtribuendi eleemoſynas; de quibus ſingulatim poſthac diſſeram. Hoc ſtatum ſit, ſpirituale eſſe, quidquid Deus ipſe ad ſalutem animarum inſtituit; ſed ſi hinc colligatur, ſpiritualia eſſe omnia, quæ huc tanquam ad principalem finem ordinantur, myrias orietur ſpiritualitatum. ut ſi dicat aliquis: Panis cœnæ ſpiritualis eſt, quia ad cultum & ſpiritualem uſum a Chriſto ordinatus: inde dubitabit aliquis argutulus, annon triticum quoque fiat ſpirituale quod deſtinatur illi pani? & annon farina? annon piſtor & furnus? annon puer & caniſtrum quo defertur ille panis ad conſiſtorium? annon ante omnia cuſtos, & patina in qua jacet panis in menſa? eadem enim via procedet ille argutator qua Apollonius, qui ſtatuens, cænæ uſum eſſe ſacrum & ſpiritualem propter Chriſti ordinationem & finem; concludit, ſe quoque ſupra omnes prædicatores, proponentes, doctores Theologiæ, ſeniores, & diaconos eſſe eminenter ſpiritualem; quia putet ſibi ſpeciali jure proprium eſſe, illum panem ſumere, frangere & diſtribuere: hæc ſpiritualitatis intenſio ſi oritur à propinquitate finis principalis, tum certe neceſſe erit ut vel Scotus aliquis novus naſcatur Walachris; aut Apollonius ſeraphico ſpiritu Scoti induatur; quo quodlibetarias tricas expediat, quæ orientur in Walachria, de principio, fine & gradibus ſpiritualitatum: cujus rei exemplum do in pane Cænæ: quæret enim aliquis, quando primum ille panis cænæ fiet ſpiritualis? videlicet an tunc cum in conſiſtorium

defertur? ſed ſic piſtoris puer deberet fieri ſpiritualis, aut profanaret ſacra, quia tangit illum panem: an vero tunc primum, cum prædicatores ad conſiſtorium ſollemniter congregati panem & vinum cœnæ prægultant, bonæ frugis ne ſit, & ſaporis id. enim obiter ex relatu aſpergam his ſalibus, (quamquam rumoris ferculum) conſuetum eſſe Theologis Walachris, pridie cœnæ convenire in conſiſtorium, & ibi ex libis (quæ vocant) concionatoriiſi prægustare panem cœnæ, & quia nimis arida illa ſpiritualitas faucium obſtipatione interclusura facile eſſet ſpiritum concionatorium, afferri amphoras vini cœnæ, & prægustando aridam illam ſpiritualitatem blande dilui, atque etiam (ut eſt *audax Iapeti genus*) hoc audebat aſſeverare rumor, aliquando in illa ſpiritualiſſima Claſſe accidiſſe ut in prægustando tam liberales eſſent Paſtor cum ſenioribus pridie, ut abſumpto omni vino, poſtridie nullum cœnæ ſupereſſet, aut ſi novum adfuiſſet, propter ebrietatem Prædicatoris & ſenorum non potuiſſe celebrari cœnam: ſed hæc inter fabulas rejecimus: ego certe non puto Apollonium hoc fateri velle, panem illum etſi cœnæ propior tum factus ſit prægustando, tamen eſſe ſpiritualem; quia cuſtos deberet fieri ſpiritualis aut profanaret ſacra. ille enim cum femina proculdubio nihilo ſegnior eſt prædicatoribus prægustando pane & vino. quæram ulterius ergo, an tum ſpiritualis fiat, cum menſæ imponitur ad cœnam? quia tunc multo propior eſt ſuo fini. Sed hic rurſus abſurdum orietur. cuſtos enim deberet eſſe ſacer & ſpiritualis, aut pro-

profanaret ſacra: quia ab illo panis affertur & menſæ impoſitus tangitur. Videtur ergo nil reſtare, quam ut ſpiritualitas tantum naſcatur illi pani tunc cum Apollonius (verbi gratia) illum tangit & frangit: tunc enim ſuo fini videtur eſſe proximus. attamē ſi cui ludere ſit volupe, novum iterum ordietur quodlibetorum catalogum: ex propinquitate enim principalis ſanctitatis, quæ in pane eſt, orientur varii iterum ſpiritualitatum gradus. qua quæque enim pars illum ſpiritualem finem propius aut immediatius attinget, eo certe cenſenda erit ſpritualitati vicinior, & proin ab objecto ſpiritualior. ut jam apertum ſit, pedes, tibias, immo ne humeros aut caput Apollonii, ſanctitate comparanda eſſe manibus; quia non illa ſed hæ ſolum immediate tangunt illud objectum ſpirituale. ac ſi quis ſubtilius rem perſequatur; dicet quoque ipſas manus non utrobique ſpirituales æque eſſe: non enim tota vola, ſed extremis credo digitis tangitur & frangitur panis; ubi rurſus, objecto immediate admoti, ipſam manum reliquam ſpiritualitate ſuperare videantur. ne hic quidem ſubſiſtet ſpeculandi curioſitas; ſed quia digitorum extremum eſt cutis quæ panem immediate attinget, merito dubitabitur, annon hæc cæteris omnibus à contactu ſpiritualiſſima tum fiat? ego in hoc inclinarem; niſi conſtaret cutem etiam ipſam epidermide ac cuticula veſtitam eſſe: ut jam evidens ſit, objectiva & finali ſpiritualitate ſpiritualiſſimam eſſe tunc cuticulam digitorum Apollonii; quippe quæ objectum ſpirituale propriiſſime immediate tangit, niſi

 caſus

caſus ferat, ut ob excoriationis vitium manicis involuta ſint digitorum extrema, quæ ſi ex aluta conſtant, næ tum ob immediatum contactum in manicis exſtaret quædam ſpiritualitas: non eſt tam rudis quodlibeticæ Philoſophiæ, ſat ſcio, Apollonius, quin facile videbit, ex finali illa objectiva ſpiritualitate ob viciniæ diverſitatem diverſos quoque oriri ſpiritualitatis gradus in illo, qui circa illa objecta verſatur; quorum ænigmatum ſolutionem ſi volet ex intima theologia proferet Apollonius. Ego dimiſſis tricis ad ſpiritualitatem requiri dico tertium: quod eſt *modus*.

Tertium ſpiritualitatis requiſitum *Modus.*

Etſi enim ſpirituale nil poſſit dici niſi quod Deum vel ſpiritum ſanctum habet authorem, ſive inmediate ſive mediate, quodque ad cultum Dei ac animarum ſalutem proprie tendit vel ordinatur, tamen non recte explicari poteſt, quanto res re aut perſona ſpiritualior ſit, quam ex *modo*, quo ſpiritus ſancti ſcintillas præfert. uti enim maxime regius eſt, quem rex plurimis inſigniis ſuæ majeſtatis ornat; ita ſpiritualis maxime eſt, in quo maxime elucet ſpiritus dignitas & ſanctitas. Quod apparet in Prophetis & Apoſtolis, de quibus nemo dubitat quin ſpiritualitatis privilegio omnes ſuperarint: ſed hoc quoque evidens fuit in illis, quod ſpiritualibus donis à Chriſto maxime eſſent inſtructi; erant enim veri ejus legati. quam abſurdum eſſet Regem legatum aliquem proprie mittere quem non inſtrueret ad legationem requiſitis; ita indignum fuiſſet Deo, legatos habere, quos non ornaſſet donorum omnium ſpiritualium copia: unde

unde patet diſcrimen inter Levitas & Prophetas; illi enim ordinariæ ſacerdotii functioni deſtinati, externam tantum ſanctitatem habebant; carebant ſæpe ſpiritus & ſanctitatis internis donis; erant enim impii, imperiti, fallaces, nec quidquam miraculoſi edebant: dabat quidem reſponſa Pontifex per Urim & Thummim, ſed hoc magis dependebat à lorica, arca & propitiatorio, quam ab ipſo Pontifice. In Prophetis & Apoſtolis contra res ſe habebat; Mittebantur à Deo, *non ab hominibus, nec per homines*, ſpiritualiſſima vocatione: unde ornatiſſimi quoque erant ſpiritus Sancti donis; vivebant enim ſancte: docebant & ſcribebant infallibiliter: abundabant vi miraculorum; denique nemo erat tum in Eccleſia qui non malitioſe oculos clauderet, quin videret illos eſſe vere ſpirituales, & Chriſti legatos: ut his propriiſſime convenerit titulus quod ſpirituales eſſent. quæ conditiones cum deceſſu Apoſtolorum ſtatim minutæ ſunt & tandem deſierunt. Unde apparet iterum impudentia veterum Papiſtarum, qui tam ſuperbe ſe ſpirituales jactant, & tamen omnibus fere ſpiritus inſignibus carent: quod in Papa videre eſt, omnis ſpiritualitatis Romanæ compendio: quem conſtat non tantum per fraudem fere occurpare ſuam ſedem ſpiritualitatis, ſed omnibus Spiritus donis carere; quoad vitam impius eſt: quoad doctrinam fallax ac mendax: denique nil miraculoſi facere eum conſtat, niſi quod ob vitia & faſtum ipſe per ſe ſit orbis portentum ac miraculum.

Novus papiſta Walachrus totum hunc libel-

lum

lum de ſua ſpiritualitate & politicorum carnalitate conſcripſit: & vix tres paginæ excurrunt quin ſe legatum Chriſti & ſpiritualem jactet: quem faſtum didicit à ſuo prædeceſſore Antichriſto: nec aliis præceptoribus uſus eſt quam Jeſuitis, unde facile mihi eſt paris impudentiæ illum convincere.

Ut enim de vocationis ſpiritualitate taceam quæ vere nunc humana eſt, dicat nobis, ubi nunc ſint inſignia legationis Apoſtolicæ & ſpi-
1. Cor. 3. ritualis?

Paulus dicit *carnales*, negat *ſpirituales* eſſe *contentioſos* & *inflatos*: at quod vitium Walachris Eccleſiaſticis magis vernaculum? quod vel uno
1. Cor. 14 hoc ſcripto Apollonii apparet,
37. 38. Alibi ait Paulus *carnales* eſſe qui *ignorantes* ſunt ſermonum Dei. Grallator humana ſcripta ut veteres papiſtæ videtur perreptaſſe: ſed ut cum Apollo potens eſſet in ſcripturis ſacris, neutiquam certe laboravit: denique, hoc de vita hodiernorum miniſtrorum ipſe fatetur, multis nævis fædam eſſe, ſed hoc non magni facit: id
p. 2. p. 108 ſolum regerit Cl. Vedelio, Profeſſores quoque ſuum doctoratus munus *commeſſationibus* & ebrietate polluere.

Vitæ Eccleſiaſticæ nævum imitatur doctrinæ fallibilitas; omnes enim coguntur fateri verbum ſum concionatorium: eſſe fallibile qua legationis teſſera imprimis ornati erant Apoſtoli, quod infallibiliter prædicarent & ſcriberent: multa quidem ſinguli de hoc garriunt, ut ſolet Papa, ſed uſus contrarium evincit.

Denique miraculorum donis orbati omnes ſunt,

ſunt, in quibus imprimis enitebat ſpiritualitas Apoſtolica, ut hac poteſtate omnibus prævalerent. non exiſtimo autem unquam compertum eſſe in Walachria, quod ad preces Apollonii templum commotum ſit, aut mendax Ananias & Zapphyra mortui corruerint: non eſt inveriſimile ſi, illi liceat Heliæ ſpiritu ignem è cælo deducere, tali eſſe eum fervore in magiſtratus ſuos, ut facile ſit exuſturus eos etſi quinquaginta eſſent.

Hoc ſummatim dico, nimis divitem eſſe ſpiritualium donorum regem Chriſtum, quam ut debeant pro legatis cenſeri tam inopes & nudi, qui nulla legationis ejus inſignia præferant: niſi pro legato regis cenſeri debeat, qui quovis modo legati nomen aſſumens, tabulis legationis deſtitutus & regiis inſignibus carens, tumultuarius legum Regis præco ſit, & in hoc præconio præſcripta tranſſiliat, ipſique adeo regi ad ſuum commodum refragetur, ac illudat.

Quod de perſonis dixi idem de rebus obſervandum, varios eſſe gradus ſpiritualitatis, pro ratione modi, ut hujus reſpectu res ſanctior & ſpiritualior ſit.

Id videre fuit in Judaico choragio quaſi in typo. ſanctiſſima erat & quaſi maxime ſpiritualis arca ſedes propitiatorii, lorica, cherubim & cætera quæ in ſancto ſanctorum claudebantur; quia his quaſi immediate Deus aſſiſtebat: minor erat ſpiritualitas ſancti ſanctorum, quod illa continebat: infra hoc erat ſanctum, quo omnes ſacerdotes introibant; inferius adhuc atrium,

atrium, quo populus omnis adibat, deinde, mons Zion in quo erat templum: ac tandem urbs Hieruſalem, intra quam hæc omnia claudebantur: quorum omnium non erat eadem ſanctitas, ſed multis gradibus diſtabant; fuiſſetque impoſtor, qui ſpiritualitatis generalis titulo omnes ſanctitates feciſſet æquales & quaſi ab ἀδύτοις promiſcue arcuiſſet. Quamquam autem abolitus ſit Leviticus cultus, & externa ac localis ſpiritualitas, tamen hoc manet in Chriſtiano cultu & choragio, non eſſe quoque eandem ſpiritualitatis dignitatem, ſed multum diſcriminari ratione *modi*.

Spiritualiſſimum certe eſt verbum Dei, quod Spiritum ſanctum authorem ſuum apertiſſime redolet, ut ad ſalutem animarum proprie ordinatum: hinc veriſſimum eſt, omnia quæ in hoc reperiuntur ad ſalutem, eſſe ſpiritualiſſima.

Succedit illi *fides* vera, quæ ex illo ſemine naſcens ſpiritualitatem ſemper redolet, & nuſquam reperitur quin ſpiritualem faciat.

Infra hæc ſunt, *ſpes, charitas, precatio,* & *confeſſio,* quæ ſuam ſpiritualitatem ab illa mutuantur; *ſine fide enim impoſſibile eſt aliquid Deo placere,* (Heb. 11.) ac proin ſpirituale vere eſſe: in hoc quoque differunt, quod hypocritis & impiis hæc ſunt communia, illa minime.

Infra hæc ſunt ſtatuenda illa, quæ externa media ſunt ad fidem aliaſque virtutes illas producendas; qualia ſunt, *lectio*, *prædicatio verbi*, *ſacramentorum adminiſtratio*; quæ hac prærogativa ſpiritualitatis pollent, quod ſint media propria ad ſalutem conferendam & Eccle-

ſiam

ſiam conſtituendam: multo tamen inferioris dignitatis ſunt quam ipſum *verbum* Dei & *fides*: hæc enim per ſe & ſemper ſpiritualia ſunt; illæ vero actiones tantum ſunt ſpirituales, quia circa illa tanquam objecta ſpiritualia verſantur, imprimiſque ſi fiant legitimo & ſpirituali modo.

Inferiori dein gradu cenſenda ſunt illa choragii Eccleſiaſtici quæ ad *bene* eſſe tantum pertinent vel proprie ad *male eſſe removendum*, quod orirетur ex ataxia & ſcandalis: ut ſunt hodie, *vocatio* miniſtrorum, *diſciplina*, & *legum ordinatio*. quæ omnia ab impiis obiri & tractari videmus: nec ad formam internam Eccleſiæ abſolute requiruntur, quia illis poteſt quodammodo carere. tantiſper autem ſpiritualitatem præferunt dum Sacræ ſcripturæ regulis exquiſite reſpondent, imprimiſque dum ſpiritus S. notas & inſignia aperte præferunt, ut tempore Apoſtolorum videre fuit.

Hæc de ſpiritualitatis differentiis & gradibus paucis perſtrinxi, ut fraudibus papiſtarum obſiſterem. Veteribus enim papiſtis nil familiarius, quam omnes ſpiritualitatis gradus confundere, & imprimis pro maxime ſpiritualibus venditare ſua negotia & actiones quas edunt circa illa proprie ſpiritualia: *verbum enim Dei*, quod ſpiritualiſſimum eſt, illi contemnunt: ſed contendunt tantum de jure tractandi illud verbum, unde ſibi imperium arrogant: ſic *fidem veram* & *veros fideles*, qui vere ſpirituales ſunt, flocci faciunt, de jure autem regendi: plectendi & cenſendi illos ſpirituales proprie digladiantur, &

totam

totam ſpiritualitatem in hoc collocant, ſic ut ſpiritualitatis jus ſibi ſolis inde arrogent: omnes Chriſtianos tanquam laicos & non ſpirituales inde excludant:

Novus papiſta Walachrus pari paſſu incedit: non enim ſtatuit proprie ſpiritualitatem in verbo Dei, in fide vera & cæteris vere ſpiritualibus; ſcit enim hæc communia eſſe Chriſtianis omnibus; ſed quærit totum ſpiritualitatis prætextum in *actionibus*, quæ circa illas res verſantur, imprimis iis quas putat ſibi ſuæque farinæ hominibus ſolis convenire: in quibus et ſi (prout nunc ſunt) multum carnalitatis, pauciſſimum ſpiritualitatis inſit, tamen de iis earumque obeundarum jure tam ſuperbe coaxat, quaſi omnis ſpiritualitatis apex in illis contineatur in quo perinde luditur, ac ſi olim Levita atrii vel montis Zion ſanctitatem comparaſſet dignitati ſancti ſanctorum aut arcæ, quæ in illo erat. uti enim ad hæc illa ordinata erant, ſic quoque ab iis omnem ſanctitatis dignitatem accipiebant. ſed hæc nunc de *Eccleſiæ ſpiritualitatis* & *ſanctitatis* acceptionibus præmonuiſſe ſufficiat, quæ in ſequentibus latius expedire aggredior.

CAP.

CAP. V.

Quatenus hæc Eccleſiaſticis negotiis & regiminis choragio conveniant Hodie.

DElineavi hactenus acceptiones vocum *Eccleſiæ*, *ſanctitatis* & *ſpiritualitatis*, ſub quarum involucis fraudem incautis ſtruxerunt veteres ſemper, & adhuc ſtruunt novi papiſtæ Walachri; quorum ſumma hæc fuit, quod clamoſe jactent de virtutibus & ſanctitate Eccleſiæ, ſub titulo *Eccleſiæ catholicæ* & inviſibilis, quæ procul dubio *ſancta* eſt & *ſpiritualis*: attamen ad rem cum venitur, deflectunt ad *Eccleſiam viſibilem* & particulares; quæ ſæpe tam multum differunt ſanctitate & ſpiritualitate, quam conclave regis munditie ab hara porcorum: ſcatet enim hæc fere hypocritis, peccatoribus & profanis. Dein cum de Eccleſiæ viſibilis virtutibus ampullantur, ita agunt quaſi totius Eccleſiæ corporis cauſam defenderent, cujus dignitas conſiſtit in fide & profeſſione, unde etiam *Eccleſiæ* nomine proprie indigetatur op- Act. 15. poſite ad rectores: ſed nova ſtatim fallacia deflectunt ad Eccleſiæ *miniſtros* eorumque *regimen*; ut (contempto Eccleſiæ ac fidelium corpore, tanquam laicorum & carnalium) tota virtus & dignitas Eccleſiæ concentretur in Eccleſiæ externo regimine & præpoſitis. Ultimo de ſpiritualitatibus & ſanctitate regiminis & rectorum ita garriunt, ut non maneant in

commendatione *primorum* & *principalium* ſanctorum, qualia ſunt, verbum Dei, fides, ſacramenta & alia quæ proprie & primario ſpiritualia ſunt, ſed confuſa ſanctorum & ſpiritualium acceptione, diſputant de negotiis & actionibus, quibus ipſi verſantur circa res Eccleſiaſticas, & eorum appendicibus: in quibus vel nulla vera ſpiritualitas eſt, vel, ſi aliqua ſit, valde remota & impropria nec ullo modo comparanda Apoſtolici regiminis choragio: quæ certe ſaccaria eſt Apollonii (de qua ſæpe monui) quam non didicit in ſanctuario Chriſti, ſed Papæ.

Hic enim volens homines ſui reverentia imbuere, ubique Eccleſiæ catholicæ nomen & ſpiritualitatem obtendit, cujus perſuaſu cum hominum animos occupavit, ſtatim perſuadet, ſanctiſſimum Eccleſiæ eſſe regimen, unde formalem ejus ſanctitatem contrahit ad rectores Eccleſiæ, clericos: & quia Eccleſiaſticorum omnium ſpiritualitas gradatim tandem colligitur in Papa quaſi omnium caput ſit; hinc papa dignitatem ſibi acquirit ut credatur & dicatur eſſe, ſpiritualiſſimus, ſanctiſſimus pater: quaſi vigor, forma & quincta eſſentia omnis ſpiritualitatis in Pontifice uno reſideat, ut jam nemo inter papiſtas dubitet, quin oculi, os lingua, cor, immo crines, cutis, manus, pedes, calces, humeri, coſtæ, abdomen, dicam pene ructus & crepitus Papæ ſpirituales ſint vel ſpiritualitatem redoleant: hoc ſanctitatis privilegium fatali mundi errore jam diu is poſſedit, & (quod vereor) poſſidebit ad finem uſque mundi:

mundi: ac ſi quoque hæc ſors orbi Chriſtiano obtigerit, ut ab illo primario antichriſto liberetur, videmus ex jam dictis novum Antichriſti ſentem ab Apollonio pullulare, qui cum miro Politicorum opprobrio Eccleſiæ viſibilis negotia miro ſpiritualitatis fuco pingit, ea cautione tamen, ut credi velit, hanc non in toto corpore ſed tantum miniſtris ut ducibus & προεστῶσι elucere: quo commento impreſſo, fere Eccleſiæ miniſtris ſubnaſcitur quidam præeminentiæ typhus; ut nemo ex tam abjectis juventæ & proſapiæ ſordibus, nemo tam malis artibus ad ſuggeſtum Eccleſiæ prorepat, quin ſe omni politico obſequio exemptum in Eccleſiaſticis, & in omnes imperium obtinere exiſtimet; qui faſtus ſi tandem (ut in Walachra claſſe videtur) in aliquam monedulam Apollonio ſimilem concentretur, quantum iterum orbis aberit ab Antichriſto? Non indignabitur Apollonius, ſi ubique piis mature detegam ejus artes, & oſtendam quam ſimilis Papæ Romano avis ſit: ut non miretur, ſi poſthac forte eum omnes boni mordeant. Incidet enim merito in Æſopi apologum de cuculo, quem fere ut accipitrem circumvolant omnes aves, cum tamen nonniſi imbelle animal ſit: quæſiviſſe autem ait cuculum, cur ſe ut accipitrem omnes aves morderent, cum tamen accipiter non ſit? reſpondiſſe autem aves; quia plumis tam ſimilis accipitri ſit, ut metuant ne accipiter tandem ſit futurus.

Sed his jam dimiſſis examinabo ſingulatim miniſterii eccleſiaſtici opera, quibus tanquam inſtru- *Opera miniſterii eccleſiaſtici.*

inſtrumentis fides interna, profeſſio externa ac unio cum Chriſto & eccleſia promovetur, & conſeruatur, quæ proinde habentur pro formaliter eccleſiaſticis negotiis.

S. Scripturæ prælectio publica.

Quorum primarium merito ſtatui debet, publica ſacræ ſcripturæ prælectio. Poſtquam enim Deo viſum eſt veritatis ſalutaris ectypon ſcripto comprehendere; nunquam tam multum tribuit ulli vocali prædicationi, quin ad illam trutinam Scripturæ S. voluerit examinari quod dicebatur: ut nec Prophetæ, nec Apoſtoli, nec Chriſtus ipſe, indignati ſint ſi hoc fieret: Hinc non modo ſcripturæ Sacræ lectio piis omnibus privatim fuit familiaris; ſed etiam inter publica eccleſiæ munia fuit ſolemne, legem, hoc eſt, Scripturam prælegere; ut ne præſtantiſſimi quoque indignati ſint, hoc munus aliquando obire. notatu dignus eſt locus, Act. 13. 14. Et imprimis Luc. 4.16. Ubi dicitur, quod Chriſtus Naſarethæ, Sabbati die, *aſſurrexerit, & ipſe accepto libro prælegerit locum inſignem* Eſa. 61. 1. Ut non gregariis modo (ut nunc fit) eæ partes commiſſæ ſint, ſed præſtantiſſimis: Eſt enim hodie ſcriptura ſacra non aliter æſtimanda, quam olim inter Iudæos Vrim & Thummim, ac ſacrarium ubi Deus reſpondebat: ſimulac enim deſinebat ibi reſponſa dare; nec excitabat amplius prophetas, per quos extraordinarie loquebatur, nihil quidquam habebant certi præter legem & teſtimonium, hoc eſt, ſcripturas, quas debebant conſulere. Papa hodie de ſua infallibili decidendi poteſtate multa mentitur: novi papiſtæ reformati ſuam fallibilitatem

Ioan. 5. Act. 17.

litatem agnoſcentes, ſuis interpretationibus credi volunt ſub excommunicationis pœna & gehennæ periculo.ſed hoc conſtare debet Chriſtianis, nil nunc eſſe infallibile, præter ſolam ſcripturam ſacram, quam ſi non haberemus, periret omnis veri cultus & religionis certitudo.

Tanti certe uſus & efficaciæ eſt lectio & prælectio S. Scripturæ, ut omnium temporum experientia comprobatum ſit, ſub cruce multos ſola lectione converſos & ſaluatos eſſe: quod vel ipſe Antichriſtus Papa fatalis eccleſiæ Chriſti tyrannus facile intellexit; qui primis reformationis initiis, volens curſum Evangelii ſupprimere, *lectionem ſcripturarum* ſub mortis pœna interdixit, conceſſa prædicationis conditione: ſentiens nimirum, illo muto & arcano lectionis miniſterio multos tam bene erudiri, ut non modo errores ejus taxare, ſed & puram veritatem inter flammas & tormenta confiteri ſcirent & auderent. Neque hic multum moveor Stapletoni cavillo, non poſſe per ſolam lectionem converti homines, quia dicitur; *quomodo credent de quo non audierint? quomodo audient ſine prædicante?* item *fides eſt ex auditu*: quia corporaliter ſurdis fidem & ſalutem non interdixit Paulus quod audire nequeant; ſed uno auditus ſenſu expreſſo non excluſit alios. Adde, quod auditu quoque fides oritur; cum ex privata aut publica lectione naſcitur. Ideo Auguſtinus monebat pios, ſæpe precari & legere ſcripturas: *cum enim oramus* (inquit) *nos loquimur ad Deum. cum legimus loquitur Deus viciſſim ad nos.* Rom. 10.

Sanctiſſimum ergo medium eccleſiaſticum

eſt ingenerandæ & conſervandæ fidei, prælectio ſacræ ſcripturæ, tantoque illuſtrius, quod nullius affectui vel imperio ſubſit, puriſſime divinæ veritatis ſuccum conferens, tanquam ex fonte tam incorruptæ ſinceritatis, ut vel ſolo ſacri hujus miniſterii nomine, ſcribas & Pharisæos andiendos Chriſtus præceperit in omnibus quæ dixerint. De hujus tamen ſpiritualitate & privilegio non multum rixatur Apollonius, quia nihil imperiale habet ſed ſervile eſt; nec ſi eo forte fungi vellet magiſtratus, clamaret ſua ſacra profanari, quin potius id cenſeret, politicæ ſervitutis eſſe teſtimonium; haud aliter ac olim Gibeonitis, in fallaciæ opprobrium, iniunctum erat, ligna & aquam ſuppeditare veris ſacerdotibus & levitis.

Prædicatio. Lectionem ſequitur prædicatio. Stapletonus & Jeſuitæ de hujus officii privilegio ita ſuperbiunt, ut ſibi jus ſalutis conferendæ vendicent. Ita enim colligunt: *nemo poteſt ſalvari ſine fide; nemo poteſt fidem acquirere ſine auditu verbi Dei; nemo poteſt audire ſine prædicante; nemo prædicare ſine miſſione; nemini miſſio convenit niſi eccleſiæ præfectis: ergo concludunt, a ſe pendere ſalvandi curam & poteſtatem*: quo titulo omnibus tanquam laicis inſultant, ſi velint de ſalutis rebus curioſius inquirere, quaſi ad eos ut res poli parum attinerent. Hunc errorem ubique ſpirat Apollonius. iiſdem *fere armis cum Ieſuitis certans*, prædicationem hodiernam eſſe medium ſanctificatum & ſpirituale, ac ſpirituali jure eeclesiaſticum, quod ſolis miniſtris jure vocationis conveniat, aliis autem & imprimis politicis bioticis non licitum

licitum ſit nec poſſibile.

Fateor prædicandi negotium eſſe quodammodo ſanctum, & eccleſiæ utile; ſed qui modum, qualis nunc eſt, comparet Apoſtolico, is umbram corpori comparabit: illi enim θεόπνευστοι, vere θεοδίδακτοι, omnibus ſcientiæ, linguarum ac miraculorum donis ornati, authoritate divina, tanquam legati Chriſti, prædicando myſteria Dei diſpenſabant fideliter, Deo per illos loquente: & proinde ab omnium artium & affectuum humanorum lenociniis abſtinebant. At hodie quidquid inſtar declamatoriæ artis eſt, ex mundanis & ſecularibus præceptis enaſcitur, ea pompa, ut jam nihil in eccleſia Chriſti nitens ſit, quod non Quintiliani tropos ſapiat, aut Ariſtotelis Metaphyſica. Non eſt novum hoc inſtitutum: ſtatim enim poſt Apoſtolorum deceſſum adhibitæ ſunt ad eccleſiæ ædificationem Philoſophorum ſubtilitates Apoſtolis ignotæ; ſed eo ſucceſſu, ut eorum artes, profeciſſe viſæ, plus tenebrarum tandem quam lucis dediſſe compertæ ſint: fundamenta enim jecere multorum errorum & imprimis naſcentis Antichriſti: quæ humana artificia nunc tanto faſtu oſtentantur, ut omnis verbi divini majeſtas, in ſimplicitate conſiſtens, iis obſcuretur. Ut ut enim illarum artium adverſus contradictores aliquis videatur eſſe uſus: tamen experientia doctum eſt, plus contentionum, diſſidii & errorum inde ortum quam abolitum eſſe; nec unquam felicius pugnatum, quam cum ſcripturæ ſacræ copioſa puritate omnes ictus ſunt eliſi. Hic ſi in virtutibus defectus ſit, quid de vitijs dicendum? cum id

uſus doceat, quod omnibus Epiſcopatus requiſitis inopes ſæpe, & ſola canina fronte κύνωπες (ut in Apollonio videre eſt) armati ad hoc opus prorumpant; tanto faſtu, ut ſe ſpirituales, ſanctos, Chriſti legatos, & quaſi Apoſtolorum collegas faciant; cum non ſemper in puro verbi divini lacte ſuppeditando laborent; ſed fere ſuis affectibus, inventis & commentis venditandis, tanta contentione, ut non a rixis modo, ſed conviтiis & probris ſibi difficulter temperent. Hæc ſi ad Apoſtolicum modum & exemplar correcta quam proxime accederent: dicerem tamen Antichriſtico typho turgere Apollonium & omnes novos papiſtas, qui plus ſanctitatis & ſpecialis ſpiritualitatis collocant in ſuo predicandi opere, quam vel olim ſub levitica lege, vel ſub Apoſtolis factitatum videmus: Etſi enim a Levitico ſacrificandi mumere omnes præter levitas arcerentur, tamen nemini ne quidem principibus & politicis interdictum erat predicandi officium: Moſes, Ioſua, David, Salomon, & alii principes publice docuerunt: cum Ioſaphat, Ioſias, & alii reges cultum Dei reſtituerent, miſerunt ad prædicandum *ſacerdotes Levitas*, ſed miſerunt quoque politicos: cum ſub Nehemia reſtauraretur cultus, docebat Eſdras & Levitæ, ſed adiicitur Ioſuam quoque & politicos publice docuiſſe & legiſſe. Si tam ſpecialis juris fuit hoc negotium quam munus eccleſiaſticum & leviticum ſacrificandi, ſanctuarium introeundi, leproſos diſcernendi, & alia, quæ ſolis levitis & ſacerdotibus conceſſerat Deus, cur politicis tam promiſcue conceſſum

ſum fuit? quis non dicet, irreligioſos & ſuorum ſacrorum malos calcatores fuiſſe Levitas & Apoſtolos, quod tam promiſcuam fecere docendi licentiam, ut nemini ad hoc apto privatim & publice interdicerent? id multis exemplis oſtendi poteſt. Primo, ex celebri actu quem refert Lucas, quod Chriſtus puer duodecennis Luc. 2, 46
in templo diſputavit publice cum doctoribus: etſi enim diviniſſima vocatione id juris ipſi fuerit, conſtat tamen ſcribas & Phariſæos hanc ignoraſſe, & proinde nimis ſuæ cathedræ & docendi privilegio ſuperbiiſſe, quam ut voluiſſent aliquem, nedum puerum, ſibi comparari in docendi munere, ſi hoc ſciviſſent, ſine vocationis ſolennibus id nemini convenire: ſed ſimpliciter dona & aptitudinem in Chriſto videntes, de vocatione non admodum ſolliciti, ad docendum eum facile admittebant. Similis locus eſt Luc. 4. 16
apud Lucam, cum Naſarethæ in Synagoga accepto libro lector fuit Chriſtus, & dein concionator, ſilentibus & ad mirantibus omnibus. unde colligo, non fuiſſe tam neceſſarias vocationis tabulas ad prædicandum; ſed licuiſſe id cuivis apto. certiſſimum enim eſt Chriſto ordinariam vocationem non fuiſſe: ſine qua ſi tunc tam ſacrilegum fuiſſet prædicare, ac nunc perſuadet Apollonius, haud dubie Chriſtum a pulpito deturbaſſent, quem pro extraordinario Propheta ſcribæ & Phariſæi noluerunt agnoſcere.

Non diſſimile videre eſt in Paulo, qui die Sabbathi ignotus aſſidens Antiochiæ, audivit Act. 13.
primo lectionem; dein miſerunt ad eum præ-

fecti Synagogæ, dicentes: *Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad populum, dicite.* qua occaſione inſignem concionem illic habuit. Si tunc tam præciſa fuit docendi ſanctitas, quis non miretur, Paulo ignoto ibi tam facile conceſſam eſſe docendi provinciam? Apollonius alibi multis oſtendit, Paulum notum ibi fuiſſe. Pro inſigni enim ſcripturarum peritia putat fuiſſe Antiochiæ Syriæ, ubi ſatis notus erat: ſed turpiter A. errat & mendaciis lectorem paſcit. dicit enim Lucas expreſſe, fuiſſe hoc non Antiochiæ Syriæ, ſed Piſidiæ; ubi adhuc ignotus erat. Illa enim jacet in Syria ex oppoſito Cypri circa Iſſicum ſinum, ad flumen Orontem: Piſidiæ vero ex oppoſito Attaliæ, in radice Tauri montis, & non minus diſtat in longitudine ab altera quam centum milliaribus, ut proinde erret, ac ſi Lugdunum Franciæ confundat cum Lugduno Batavorum, qui error non modo manifeſtus eſt & à pueris poſſit deprehendi, ſed certe non tolerandus in homine tam inflato & præſumptuoſo, qui tanquam ſcriba & Phariſæus auſus ſit catiſſimis Anglis præſcribere quid de dubiis & abſtruſis ſentirent, cum ipſe quæ ante pedes ſunt non viderit. Quia enim ſentiebat hoc ſuo commento obeſſe, ſi Paulus ignotus ibi ad prædicandum admiſſus eſſet, non erat illi promptior via, quam, quæ ſpiritus ſanctus accurate diſtinxit, vel malitia, vel incuria confundere, quod facile ex circumſtantiis potuiſſet videre, niſi oculos clauſiſſet: dicuntur enim *Conſediſſe*, dein, *præfectos Synagogæ ad illos dicentes* &c. Si enim fuiſſet illa Antiochia Syriæ ubi

Lib. conſider ad Anglos Pag. 79.

notus

notus erat, quomodo paſſi eſſent eum ut gregarium procul a præfectis inter populum ſedere? Sola igitur conjectura adducti in Paulo eſſe donum prædicandi, de vocationis præciſo & ſpeciali jure non multum inquirebant.ut non indignus ſit in quem aptetur apologus de aſino, qui aliquando regnum affectans inter animalia, ſe pelle leonina involverat, ad cujus intuitum ſtupidiores beſtiæ conſternabantur; ſed vulpecula callidior eum ridebat: à duobus enim ſibi non caverat, primum quod prægrandes aures non occuluerat: alterum, quod vocem edens non rugiebat ut leo, ſed rudebat ut aſinus. Non aliter credo riſiſſe Anglos eruditos, cum tenebrionem hunc viderunt tam authoritative de omnibus Sacris ſtatuiſſe, quaſi magnus eſſet ſacrorum conſultus; quem in tam apertis & vulgaribus ita turpiter mentiri comperiunt.

Simile factum Berrhæenſium, qui vocationem Pauli ignorantes, & comperientes doctrinam ejus eſſe ſcripturis conſonam, facile eum ut doctorem agnoverunt. Act. 17.

Euidentius exemplum eſt Apollos, qui Alexandrinus natione, Epheſi admittebatur ad prædicandum, nullo vocationis privilegio notus: ſed hoc ſolo commendatus, quod erat potens in ſcripturis & eloquens. niſi enim concedatur manus præſbyterii impoſitas eſſe adhuc inepto & non ſatis erudito; conſtat nec dum fuiſſe illi vocationis ſolemnia. Refert enim ſpiritus ſanctus, Aquilam mechanicum & Priſcillam uxorem ejus, poſtquam audiiſſent eum, ſeorſim

Act. 18. 24.

ſeorſim ſumptum viam Domini penitius docuiſſe: quod multum diſtat à ſpeciali prædicandi ſanctitate Apolloniana, qui non modo Apollum ad prædicandum non admiſiſſet: Sed ſi mechanicus Aquila & mulier Priſcilla eum audeant inſtruere, non grunniret modo, ſed virga & gladio paſtorali eos eccleſia, ac ſi poſſet cælo deturbaret.

Act. 11. 20. Illuſtris quoque eſt caſus Act. 11. 20. quod Cyprii quidam & Cyrenenſes diſcipuli morte Stephani diſperſi, Antiochiæ prædicarunt Græcis privato quaſi Zelo. quod inde apparet: quod Eccleſia Hieroſolymitana de hoc improviſe audiens, miſit illuc Barnabam, ut de ignota quaſi re inquireret; nec conſtat eum de vocationis ſpeciali jure inquiſiviſſe; ſed effecta doctrinæ & gratiam Dei videns, gaviſus eſt, & approbavit eorum inſtitutum: hæc ita ſub Apoſtolis acta, conveniunt cum ordinario docendi inſtituto in eccleſia: quod fuit, ut cuique apto docendi vel prophetandi partes concederentur in eccleſia, modo id ordine fieret & ſucceſſive, ſolis fæminis ab hoc exercitio remotis ob decorum. Unde liquet, ſub magnis illis & Theopneuſtis eccleſiæ rectoribus non fuiſſe tam ſpecialis inris & ſpiritualitatis Myſterium in prædicatione, quam nunc fingit cum papiſtis grallator ille Vereanus.

Lib. Confid. ad Angl. p. 92. 93. 94. Sed venuſto hic cavillo conatur elabi: diſtingnit enim iuter prædicationem *Charitatiuam* vel *ædificatiuam* (ut loquitur) & *poteſtatiuam quæ fit cum poteſtate clavium & legatorum Dei*: illam ſcribit omnibus licitam eſſe, hanc vero ſolis miniſtris

ſtris tanquam Dei legatis concedit.quod inventum licet puerile ſit, tamen nunc latius excutiam; quia non lanæ caprinæ res hic agitur, ſed ſummæ in mundo authoritatis; cujus obtentu vel ſaltem præſumptione hodierni prædicatores ſua convitia & maledicta in principes, ordines & magiſtratus ſuos evomunt, & Papa totum orbem ſibi ſubjecit: quem imitans Grallator, creberrimus in hoc aſſerendo eſt; ſe legatione fungi Chriſti nomine ad populum, ac per conſequens legatum ſe Chriſti eſſe: quo tantum ſibi poteſtatis ſumit; ut tam authoritative ſe prædicare putet, quam legatos Dei: ut qui eum audiat, Chriſtum audiat, qui eum rejiciat Chriſtum rejiciat. quem fucum ſi Chriſti populo (ut Papa fecit) imponat; jam illi promptum erit, ſomnia & maleferiati animi affectus & ludibria in quemque pro oraculis effutire: id ne fiat, excutiam ex latebris illum tenebrionem, quibus ſuas fr audes occultare nititur.

Id primo fateor, inſigne eſſe jus veri legati Dei & Chriſti; tantaque eum authoritate prædicare, ut non aliter quam Deo aut Chriſto illi ſit obtemperandum. Sed hoc quoq; nego, hodiernis eccleſiæ paſtoribus, etiam maxime piis, nedum Grallatori convenire, ut legatus Chriſti ſit; ſed audax & pæna dignum Mendacium eſſe. Ad jus enim legationis Chriſti obtinendum, duo requiruntur. primo, ut a Deo miſſus ſit ad legationem nomine Dei obeundam: Alterum, ut donis ad legationem requiſitis inſtructus ſit. quæ duo in legatis ſuis inſeparabili nexu Deus copulavit.

inde

inde enim Paulus dicit, quomodo prædicabunt niſi miſſi fuerint. Nullum quoq; ut legatum mittit Deus niſi cui dona requiſita prius contulerit: quod ratio quoq; evincit. Tantæ enim authoritatis vult eſſe ſuos legatos, ut iis abſolute velit obediri, nec in dextram aut ſiniſtram ab eorum
Deut. 17. mandato abiri, ſub pæna exitii: ut videre eſt apud Moſem Deut. 17. in quem locum commentatus Calvin. utcunque aliquamdiu ambigere aut parum hæſitare videatur, tandem aperte ſcribit: *Nec vero dubium eſt, quin deus quos, tanta authoritate pollere voluit, ſimul inſtruxerit ſpiritu intelligentiæ & rectitudinis, ne quam perverſam ſententiam proferrent. Quod etiam indicat promiſſio, reſpondebunt tibi verbum judicii: quia abſurdum fuiſſet populum fruſtra & in perniciem Deo obedire.*
1. Cor. 4. 1. 2. His conſentit Paulus: ita nos æſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. cæterum in miniſtris hoc requiritur ut fidelis aliquis reperiatur. quæ fidelitas (inquit Calvinus) *& rectam veritatis ſcientiam errore deſtitutam, & fidelem ac pium animum deſignat.* Ad hanc legatorum Dei veram normam ſi examinentur quotquot hodie reperiuntur, nemo non multis paraſangis ab illa diſtabit. Papa Antichriſtus & audax (ſi quod unquam orbis vidit) inſectum audacter aſſeverat, ſe his donis legati affluere, ſed jam diu reformatorum ſcriptis, & ipſa experientia exploſus eſt.

Grallator Papam audacia imitatur imo ſuperat: ut qui legatum Dei ſe jactat, cum tamen fateri debeat & ſcribendo probet, ſe fallibilem, imo fallacem eſſe & donis legatorum Dei deſti-

deſtitutum. dignus qui omnium quoque orthodoxorum calamo perſtringatur. Neq; hic quidquam illi patrocinabitur, quod Eccleſiam, vocando, aut manus imponendo, dicat ſe feciſſe legatum dei. Si hoc voluit vel putat ſe feciſſe hodierna eccleſia, cum deliro Grallatore ipſa quoque delirauit. Nunquam enim Deus hoc juris eccleſiæ conceſſit, ut legati jus & dignitatem conferret, cui Deus non ante dona neceſſaria contulerit. ut ne quidem præſtantiſſima eccleſia tempore Apoſtolorum, poſt cujus manuum impoſitionem ſæpe egregia Spiritus S. dona ſequebantur, aliquid plus potuerit, quam quod illum Chriſti legatum declararet electione & conſecratione, quem videbat ante donis legationis à Deo inſtructum: quod vel inſigni illa Pauli electione & Barnabæ ad gentium Vocationem apparet; ubi Deus ipſe jubet ſegregare Paulum & Barnabam, ſed addit ſtatim, *ad opus ad quod illos vocavi.* Act. 13. 2 ſic ut vocando eccleſia nihil aliud agat, quam quod vocationi Dei ſubſcribat & declaret vocatos eſſe eos, quos Deus oſtendit ſe Vocaſſe; id autem oſtendit per dona neceſſaria iis collata: quod non in extraordinariis modo vocationibus, ſed ordinariis quoque verum eſſe, Calvini potius quam meis verbis declarabo, quæ extant in commentariis in hunc locum. *Iubet Deus eccleſiæ ſuffragiis emitti Paulum & Barnabam; quo ipſos deſtinavit: inde colligimus: nullam eſſe legitimam paſtorum electienom, niſi in qua Deus primas tenet partes. nam quod juſſit ab eccleſia eligi paſtores & Epiſcopos, non ideo tantum licentiæ permiſit hominibus, quin ipſe tanquam ſummus mode-*

moderator præſideat : differt quidem ab hac Pauli & Barnabæ deſignatione ordinaria paſtorum electio, quia futuros gentium Apoſtolos cœleſti oraculo conſtitui oportuit; quod quotidie in ordinandis paſtoribus fieri non neceſſe eſt : hoc tamen commune habent, quod ſicuti Paulum & Barnabam teſtatus eſt Deus ſuo decreto jam ad Evangelium prædicandum deſtinatos eſſe; ita non alios ad docendi munus vocari fas eſt, niſi quos jam Deus ſibi quodammodo delegit. Porro neceſſe non eſt ut nobis ſpiritus e cœlo inclamet divinitus vocatum eſſe eum de quo agitur : quia quos Deus inſtruxit neceſſariis dotibus, cum ejus manu formati ſint & aptati, non ſecus ac de manu, ut aiunt, in manum ab eo nobis traditos recipimus. Hæc ille. Unde jam videat ſuas frandes Walachrus, quod non modo inſignibus *legati Chriſti*, ſed vulgaribus paſtoris donis deſtitutus, putet ſe eccleſiæ miſſione aut confirmatione *legatum Chriſti* factum eſſe; quo authoritative & poteſtative velit audiri tanquam legatus à Deo miſſus; quæ omnia totidem ſunt impoſturæ & crimina læſæ majeſtatis divinæ. Quis obſecro princeps non talem impoſtorem puniat? id ſuo tempore accidiſſe ait Pareus, ut quidam ad principem electorem adveniret titulo Legationis Angliæ; quem primo die cum pompa accepit Princeps; poſtridie detecta fraude (quia legationis teſſera carebat) in carcerem compegit: ac dein vinctum ad ſupplicium miſit in Angliam. Tali ſupplicio ſi non afficiatur hic, iſte Walachrus falſarius, credat ſe pænàs à Chriſto manere; cujus legati titulo tam contemptim abutatur: id quoque ut in cæteris, pontificium figmentum illi occaluit: in divinis

vinis vocationibus & eccleſiaſticis, rem ſe habere ut in politicis, ut habeant habentes & poſſideant poſſidentes; hoc eſt, ſi quis ad munus aliquod non aptior quam aſinus ad lyram ſit, tamen electione & legatione principis id juris divinitus acquirat, ut pro legato principis agnoſcendus, atque illi non aliter quam principi obtemperandum ſit; in quo cenſu ſua munia cenſet Papa. Sed jam vidimus, deum neminem pro legato agnoſcere, quam quem ipſe primitus vocavit & donis ad legationem requiſitis inſtruxit: quibus cum conſtet grallatorem carere, non dubitemus in illo elegendo erraſſe eccleſiam ignorantia; bis autem illum & malitioſe peccare, quod donorum egenus, ſe audeat pro legato Chriſti & altius oſtentare, quam unquam ab eccleſia potuit eligi. 1. Pet. 2 14.

Sacramentorum adminiſtratio.

Prædicationem ſequitur Sacramentorum adminiſtratio, quæ hodie adeo ſancta & ſpecialiter eccleſiaſtica cenſetur, ut ab ea tanquum a ſanctuario arceant Proponentes, prædicandi licentia donatos. quæ ſpecialis ſanctitas non ex dei verbo deprompta, ſed in Antichriſti officina primum cuſa, indelebili contagio ad eccleſias noſtras promanavit, in quibus, prout quiſque papiſticum allium magis redolet, illam plus extollit; ut in grallatore apparet; qui cum papiſtarum ſterquilinia præ cæteris curioſius perreptarit, clamat tam ſpecialiter ſanctam eſſe hanc ſacramentariam ſui choragii partem, quam olim Levitarum ſacrificandi officium.

Sed toto cælo errat. Sub Levitis enim commune erat circumcidendi jus nec Levitis pro-

prium. Paſcha mactabant & edebant nullo Levita præſente. In novo teſtamento baptizaſſe
Ioa. 4. 1. 2. dicuntur Diſcipuli Chriſti nullo addito diſcrimine. Paulus expreſſis & planis verbis dicit, ſe ad baptizandum miſſum non eſſe & gaudere ait
1. Cor. 3. quod multos ex illis non baptizaſſet. Apoſtoli Diaconias munus abdicantes, precationis &
Act. 6. prædicationis munus ſibi vendicarunt: de baptiſmi vel administratione cœnæ ne gry quidem.

Neque ſpeciem veri habet quod vulgo objiciunt; Chriſtum Mat. 28. 19. prædicationem & baptiſmum indiſſolubili nexu conjunxiſſe. Nam quæram, cui prædicationi Chriſtus baptiſmum alligaverit? an ſoli Apoſtolicæ quam ibi ſolenniter inſtituit, an ſimpliciter prædicationi publicæ? Si illud, male ergo faciunt hodierni prædicatores, quod Apoſtolice haud prædicantes, ſpeciali jure baptizandi jus ex hoc loco ſibi vendicent. Sin hoc; peccant quod proponentibus, publicis prædicatoribus, jus baptizandi adimant. Cumque jam probatum ſit, nemini publicam prædicationem divinitus interdictam eſſe, modo dona habeat: ſequitur ſolis eccleſiaſticis prædicatoribus jus baptizandi divino iure non competere.

Adeo ut vel hinc pateat, non aliter hodie Theologos ex hoc loco argutari, quam ſi olim populi Iudaici principes dixiſſent, ſibi ſolis jus circumcidendi divinitus datum eſſe, quod Ioſuæ principi à Deo ſolenniter dictum eſſet Ioſ. 6. 2. *fac tibi cultros lapideos, & circumcide filios Iſrael. &c.*

Neque alia Cœnæ ratio eſt. Chriſtus, fateor, primam cænam inſtituit & celebravit, ſed nuſquam

quam dicitur, illud factum in perpetuam legem abiiſſe; ut nemini niſi ſpecialiter ſanctificato id facere liceret: immo contrarium potius apparet in Celebratione cænæ, quæ Corinthiis tunc uſitata fuit, cum res apud illos adhuc erant integræ. Nam ut variis in locis ad cultum exercendum conveniebant, ita quoque agapas ſuas & ſacram cænam ibi celebrabant; adeo ut qui inter illos divites & in re lauta eſſent, domo adducerent cibum potumque quo primum in commune & cum pauperibus epularentur, ac dein fracto & inter ſe diſtributo pane & vino, mortem domini ſolemniter annunciarent. quæ ſimplex ac minime ritualis cænam celebrandi ratio, quamdiu ſcandalis caruit, nunquam ab Apoſtolo improbata fuit, neque poſt quidem, niſi ob ſcandala & abuſus. Unde colligo, tunc temporis necdum natam vel notam fuiſſe præciſam & ritualem ſanctitatem, cujus neglectu hodie profanatum iri autumant ſacrum cænæ ſacramentum: in eo conſiſtens, ut nemo niſi ſolus epiſcopus, qui in verbo laborat, panem conſecret, frangat ac diſtribuat. Neque enim veriſimile eſt omnibus iſtis conventibus epiſcopos adfuiſſe, quia illis præſentibus haud ita exorbitaſſent Corinthii, ut cænæ uſum ebrietate & aliis delictis ita auſi eſſent profanare, vel, ſi tale quid accidiſſet ob præpoſitorum conniventiam, Apoſtolus proculdubio ſevere illos Epiſcopos notaſſet, tanquam totius mali autores & fautores: At hujus rei cum nullum veſtigium appareat, veriſimile eſt, ſub ipſis Apoſtolis ne quidem ſemper præpoſitos adfuiſſe eccleſiis, nedum

Digitized by Google

celebrationi cænæ ſemper præfuiſſe; & proinde illis fuiſſe ignotam ſpecialis juris ſacramentariam ſanctitatem hodiernam. Unde dico, conſuetudinem effeciſſe, ut multa Chriſtianis communia tandem commiſſa ſint præpoſitis, ordinis & decori cauſa. ad quem uſum dein facile acceſſit faſtus præfectorum, ut jure ſibi vendicarent, quod ſola conceſſione poſſidebant; unde tandem nata eſt vis & ſuperſtitio, quæ Antichriſtum enixa eſt. Hoc conſpicuum eſt in Papa; qui licet in baptiſmo liberalior ſit, ut eum obſtetricibus concedat; tamen ex cæna fecit ſacrificium & Idolon: cujus myſtica ſpiritualitate ita dementat mundum, ut hujus conferendi privilegio (quod ſibi ſoli vendicat) omnes terræ proceres vere δεισιδαίμονας ſibi ſubſternat. Ab hujus inſtituto natum eſt quidquid hodierni novi papiſtæ de jure ſacramenta adminiſtrandi tam effuſe tumultuantur: ut quaſi eccleſia cæloque excluſum eſſe perſuadeant imperitis, qui ab horum uſu ſecludatur: quorum conferendorum jus quia ſibi ſolis peculiare eſſe ad aras uſque tuenrur; ut hoc prætextu dominium in omnium conſcientias & animas obtineant; quarum ſalvandarum deſiderio cogantur omnes, velint nolint, eccleſiaſticis tandem adulari, tanquam ſacrorum cuſtodibus & æternæ animarum ſalutis arbitris. haud multum diſſimili inſtituto, quam ſi audax & fallax pincerna aut annonæ cuſtos quæſtori ærario, imo totius familiæ præfecto & œconomo minetur, à victus neceſſariis arciturum, niſi viciſſim concedat quæſtor; ut in loculis argentariis pro arbitrio

Digitized by Google

trio quoque verſetur. Talibus artibus ad ſuam tyrannidem perveniſſe magnum Romanum antichriſtum, uſus docuit & experientia adhuc hodie comprobat: cujus apertum mimum eſſe noſtrum grallatorem hactenus oſtendi, & in ſequentibus multo apertius patebit.

Non eſt Apollonio tam ſanctum prædicandi, precandi publice & ſacramenta adminiſtrandi jus, quam privilegium cenſurandi, & jus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, de qua paſſim gloriatur, & imprimis Part. 2. pag. 1. 2. 3. &c. hanc enim dicit eſſe, *ſpirituale medium reformationis & juriſdictionem exterioris ſori eccleſiaſtici: cujus nobiliſſimus actus eſt major excommunicatio: vocat poteſtatem liberam, quæ nullius arbitrio ſubjacet, poteſtatem regiam, ſpiritualiter coactivam, virgam & gladium ſpiritualem: cui omnes etiam magiſtratus tenentur ſe ſuaque ſubmittere*: ut nemo in papalis Hierarchiæ archivis verſatior ſit quam hic Vereanus; proculdubio vitula donandus a Pontifice, niſi grammaticæ pulpæ ſordibus adhuc inquinatus, temere in Scoti aut Dionyſii ſubtilitates irrupiſſet. Diſtinguit enim ex Clutone Bellarmino, Ciceſtrienſi & aliis ſuæ Theologiæ patriarchis, diſciplinam Eccleſiaſticam, in *cenſuram minorem, quam vocat Publicani, interioris ſori, clavis concionalis, ſolutionis & ligationis, ſed juridicialis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ.* *Cenſura & diſciplina Eccleſiaſtica.*

Iuvarit certe Ieſuitas, ſandalio commitigari caput Apollonio ſi viderint, cum diſtinctionum portentis: tam venuſtus & creber ubique in his eſt, ut nemo trichotomus ad apicem acutius. Ut cunque me fatear in hac arte multum conce-

cedere huic grallatori, non fuerit tamen difficile, illa via ex uno Apollonio multos conſtituere. Diſtinguam enim in *Corporalem & ſpiritualem*: corporalem, *in Vereanum, & Mittelburgenſem*: Mittelburgenſem, *in ſobrium & bene paſtum*: *beue paſtum*, in τραγηματόφαγον & ἀκριδόφαγον: acridophagon, *in Iracundum & ſedatum*: Iracundum, *in ſcribentem & dicentem* : dicentem, *in ſuſurrantem & Blaſphemantem* ; Blaſphemantem, *in conſiſtorialem*, *aut Templarium* ; Templarium *in ſedentem aut ſtantem*: ſtantem, *in conſeſſu aut ſuggeſtu* , & ſic in infinitum. *Spiritualem rurſus diſtinguam*, *in Bono vel malo Spiritu actum*, Bono ſpiritu actum, *in Tironem vel Bacularium*; Bacularium, *in Paſtorem vel doctoratus candidatum*; Paſtorem, *in Prædicantem & liturgantem*, Liturgantem *in ſacramentarium*, & *diſciplinarium*: diſciplinarium, *in uſurpatorem cenſuræ majoris & cenſuræ minoris ſive Clavium*; Clavium, *in Concionalem* & *Iuridicialem*: Iuridicialem, *in prædicationis & Diſciplinæ*; & ſic in infinitum. quis enim finem inveniret Apolloniano diſtinguendi more , ſi ex uno accidenti & circumſtantiola ſtatim fiat ſubjectum aut ſuppoſitum toto cælo diverſum ? Non invidebo alteri otium & delicias ut ſimiles ejus quiſquilias paſſim perſequatur : Ego uno exemplo oſtendi ejus ineptias. Et paucis de cenſura & diſciplina eccleſiaſtica pergam diſſerere , quæ illi proprie nervum habet , quia plus authoritatis continet quam laboris. Ille enim cum Antichriſto Papa præceſſore ſuo juriſdictionem ubique quærit Abſolutam , Spiritualem , a biotica poteſtate magiſtratus disjunctam , qua putat

tat ſibi immediate ſub deo jus eſſe, omnes magiſtratus, principes & reges pro arbitrio cenſurandi. Facit autem cenſuram duplicem, majorem & minorem: de utraque agam ſingulatim.

Cenſura minor eſt, cum quis peccati ſcandalo pollutus pro eccleſiaſticorum arbitrio à cœnæ uſu arcetur; ea lege tamen, ut eccleſiæ membrum adhuc maneat: quam nihil aliud eſſe quam humanum inventum ex ſequentibus manifeſtum fiet. Primo enim quæram, quo divino inſtituto conſtet, a cœnæ uſu arcendum eſſe, qui eccleſiæ membrum ſit & adhuc maneat? Reſpondent vulgo, *ſanctum canibus non eſſe objiciendum, nec margaritas porcis.* Sed hæc blaſphemia potius eſt quam ratio. Quis enim dicet, canes & porcos eſſe qui in eccleſiæ gremio adhuc foventur? certe porci ſunt, qui in impuro ſcelerum cœno ſe volutant, & canes qui cultum Dei blaſphemando allatrant: quales fuere Corinthius inceſtuoſus, Hymenæus & Alexander, quos Apoſtolus diabolo tradidit. Cenſura minor.

Verum aliud quoque commentum ſolent obtrude: redicunt enim ſub veteri lege ceremonialiter pollutos (etſi eccleſiæ membra eſſent & manerent) non admiſſos fuiſſe ad ſacrorum communionem, quamdiu ceremonialiter polluti eſſent, idemque in morali pollutione fieri debere. quod futile quoque eſt figmentum & inconſequens. Certe ſcribæ & Phariſæi ſuæ ſpiritualitatis & ſacrorum non minus curioſi erant, quam hodie Walachri papiſtæ; & tamen ad Chriſtum adduxerunt in templum adulteram mora-

moraliter pollutam; quæ ſi leproſa vel ceremonialiter immunda fuiſſet, ſacra violaſſent: immo ipſi Phariſæi cum publicanis moraliter pollutis aſcenderunt in templum oratum: ſic ut Chriſtus dicat, publicanum aliquando ipſo Pha-
Luc. 16. riſæo mundiorem poſt preces templo exceſſiſſe. Si par ratio fuiſſet moralis & ceremonialis pollutionis, omnes hi, moraliter polluti, debuiſſent à ſacris abſtruſi eſſe.

Neque dubium eſt, quin Deus ipſe optime noverit ſuorum cultuum rationem, & quinam ac quales ad ſua ſacra debuerint admitti. Utcunque vero certum ſit, Deum noluiſſe, ut qui ceremonialiter polluti eſſent ad templum & ſacra venirent; conſtat tamen expreſſe voluiſſe, ut qui ſe moraliter polluiſſent, ſua ſacra adirent, nullo ceremoniali vel pænitentiario ritu externo præmiſſo, quo primum moraliter mundarentur. Iubentur enim qui perfidia & rapina ſe inquinaſſent, caprum offerre in ſacrificium
Lev. 6.6.7. Deo. Levit. 6. 6. 7. tantum ab eſt, ut à ſacris debuerint abſtinere. Similiter in novo teſtamento legimus, Ioannem Baptiſtam baptizaſſe Milites, Phariſæos, Saducæos & tam pollutum hominum genus, ut eis exprobrarit, quod progenies viperarum eſſent.

Præterea, ſi in cultu Dei par eſt ratio moraliter pollutorum cum ceremonialiter immundis, cur moraliter pollutos ſimiliter à toto cultu non arcent Walachri cenſores? Id enim notum eſt, excommunicatis minori imo & majori cenſura non eſſe illicitum, conciones ut adeant, Eleemoſynas dent, cænæ celebrationem videant,

deant, pſalmos canant, immo manus ad Deum precando attollant: quod certe bene conſideratum totius cultus ſacratiſſimum eſt; ſic ut hanc ſpiritualem victimam Deus jubeat offerri ab iis, qui expiatas & mundas habent manus. ut certe illi leviſſimi Levitæ Walachri in ſuis ſacris proſtituendis & conſervandis ſint inconſtantes & ridiculi, quod cæteris neglectis ſolam curam gerant ne cæna polluatur: cujus ſelectus nulla alia cauſa eſt, quam ut imperium inde ſibi quærant & dominium in homines. Perſuadent enim imperitis, tantam eſſe cænæ utendæ neceſſitatem, ut magnam ſalutis æternæ jacturam faciat qui ea careat, eccleſiaſtica interdictione: cui commento alterum delirium adjungunt, non poſſe ſub ſacrilegii pæna ſacramenta conferri niſi à manuum impoſitione conſecratis, hoc eſt, a prædicatoribus, quod figmentum alibi diſieci: qua perſuaſione cum vident veteres papiſtas ſe feciſſe mundi & rerum dominos, eandem fortunam nunquam deſinent ſperare eadem via ſe adſequuturos. Eſai. 1. 1. Tim. 2.

Sed demus id eccleſiaſticis cenſoribus, rem eodem modo ſe habere in moraliter ac ceremonialiter pollutis, iterum quæram, ubi didicerint, expiatos æque à ſacris arcendos eſſe ac pollutos? Levitis quidem licebat ceremonialiter pollutos abſtinere; ſed ex legum præſcripto tenebantur quoque illos abſolvere cum mundi eſſent. Si voluiſſent ita ludere in ſacris ſuis, ut vel noluiſſent expiare, vel expiatos ad ſacra admittere, politicus magiſtratus eos puniendi jus habuiſſet. Si par eſt ratio moralis pol-

 lutionis;

lutionis; indignum eſt moraliter expiatos à ſacris arcere. Varia erant media à deo ordinata, quibus homines expiabantur à ceremoniali immunditie: At moralem pollutionem non legimus alia ratione expiari, quam pænitentia & veniæ à Deo petitione. Id videre eſt in Davide: quamdiu dormitabat in peccato, nec veniam petebat, manebat pollutus: poſtquam peccatum agnovit & veniam petiit, audivit à Nathane, Deus tibi peccatum remiſit. Ita narrat ipſe David, quam diu non agnoſceret & reſipiſce-
Pſal. 32. ret, retentum fuiſſe peccatum, cum agnoſceret & veniam peteret, remiſiſſe Deum.

Ipſe Deus generalem hanc regulam ubique ſtatuit: quo die convertet ſe peccator à peccatis, non recordaturum ſe antecedentium peccatorum: imo ſi cocco & ſanguine rubicundiora
Ieſ. 1. ſint, & ſe convertant, lana & nive albiora facturum eſſe. quam legem Ioannes repetit: ſi peccata agnoſcimus, Deus eſt juſtus & fidelis,
1. Ioa. 1. qui mundabit nos ab omni injuſtitia. Id oſtendit Chriſtus in Phariſæi & publicani precibus: quorum hic, agnoſcendo delicta & veniam poſtulando, mundatus eſt, ille vero non agnoſcendo, ſed virtutes ſupputando, manſit immundus. Hæc omnino evincunt, moraliter immundos mundos fieri ſolà pænitentia. Unde ſequitur, fidelem, etſi graviter lapſus ſit, modo pæniteat & reconciliationem cum Deo quærat, non amplius moraliter pollutum, ſed coram deo mundum eſſe. quo ſolo fundamento Ioannes nixus, quoſuis moraliter pollutos, ſola pæ-
Luc. 16. nitentiæ confeſſione purgatos, baptizavit.

Luc. 16.

Luc. 16. Cur ergo in jus Dei involabit homo, ut immundum is habeat, quem Deus mundum cenſet? cur ſacris cultus Dei dicet indignum nugator ſacrificulus, quem Deus indignum non declarat? Ita in ſacris ludit Papa; ut non contentus ſit ea expiandi lege quæ deo ſatiſfacit: periret enim illi commodum & honos quem ex juriſdictione ſacra adſequitur: ipſe ergo ſibi ſumit judicium de pænitentia Chriſtianorum, ſtatuitque illis ſpatia & pænas pænitentiarias: quas dein per indulgentias mitigat & pro arbitrio remittit; dumque homines ſtulti credunt, hoc, ſpeciali jure, ab illo & ſancte fieri, is, tanquam ſaccarius impoſtor, theſauros illorum expilat: tales enim pœnitentiarias pænas ditibus imponit, quas maxime ſcit illis incommodas eſſe: unde id plerumque contingit, ut gravi ære ea pæna redimatur; ex qua nundinatione neceſſe eſt diteſcere in immenſum Papæ ærarium: quo morbo πλεονεξίας & avaritiæ tam diu laboravit pontifex ut ſtatim poſt Focæ tempora ante ſeptingenteſimum annum Iſaatius quidam patricius, legatus Heraclii Cæſaris, baſilicam Lateranenſem compilaverit ſub Papa Severino primo; aſſerens, indignum eſſe, pontificem plus habere in theſauris quam Cæſarem. Non dubitamus Grallatorem has Papæ artes ad ungvem noſſe; ac proin ſibi quoque pro ſpecialiſſimo privilegio ſelegiſſe hoc jus abſtinendi Chriſtianos à Cæna & ſtatuendi tempus, quam diu abſtinendi ſint, ſperans ſemper, id quoque ſe hoc artificio obtenturum ut moræ hujus impatientes Chriſtiani ditiores, ſi non pecunia, ſaltem

Platina in vita Severini. 1.

epulari

epulari menſæ liberalitate, vel politici officii promiſſo, vel aliqua alia gratulatione id ſint redemturi. Utcumque hac ſpe tandem fruatur vel fruſtretur is; nil certius debet eſſe prudentibus Chriſtianis & cordatis politicis, quam cum Papa cretizare illos Walachros, quod Walachrum ſuum tribunal rigidius faciant & præciſius ipſo tribunali Dei & Chriſti. Hi enim moraliter pollutos ſola fide & reſipiſcentia declarant mundos & ſuis ſacris dignos: illi contra, Antichriſti more, fideles & pænitentes ut immundos arcent a ſacris, donec particulari ſuo & additio juri ſatiſfecerint.

Sed hunc nævum conantur dilvere. Dicunt enim, *non ſufficere, ut quis declaret ſe peccati pænitere, ſed peccandi licentiam hac minori cenſura tanquam ferula compeſcendam, & ſcandalum datum expiandum eſſe, tanquam pæna ſpirituali & eccleſiaſtica.*

Reſpondeo, nil certius eſſe, quam peccandi licentiam in Dei populo compeſcendam & ſcandala tollenda eſſe. Id tamen nego, in hominum arbitrio eſſe, ut talia media eligant quæ velint; & quæ delegerint pro divinis eſſe habenda. Proinde hallucinantur, ac ſi veteres Levitæ ſumſiſſent ſibi licentiam ceremonialiter pollutos expiandi modo arbitrario: ſingulorum enim peccatorum expiandi modum Deus præſcripſerat, quem non poterant, ut vere divinum, tranſilire. Iam hic velim mihi legem indicet Grallator Walachrus, qua Deus mandavit prædicatoribus, ſcandalum ab eccleſia amovendum eſſe hoc modo, ut peccator pænitens à com-

à communione cænæ arceatur tempore & ſpatio ab eccleſiaſticis determinando : ita ut hoc illis hoc modo facere , divino & ſacro ſancto jure conveniat. Non magis hoc in ſacris ſcripturis inveniet , quam tot mendacia (quibus hactenus opplevit ſuos centones) eſſe divinam veritatem. Scriptura enim ignorat cenſuram minorem hodiernam; imo Apoſtolorum praxis iſti inſtituto repugnat. Id patet ex illuſtri exemplo Corinthiacæ eccleſiæ, in qua Paulus ipſe carpit turpiſſima peccata ; quibus dicit eorum pleroſque laboraſſe. Hic certe, ſi alibi , occaſio erat abſtinendi ab uſu cænæ, & quidem longo tempore , ut peccandi licentia in poſterum coerceretur & præſentia ſcandala amoverentur. Quid tamen Paulus ? Non interdicit , ſed aperte jubet eos celebrare cænam. Non præſcribit 1.Cor.11 pænitentiarias pænas , aut pænitentiæ modos, aut tempora; ſed jubet quemque ſeipſum probare, & ita edere & bibere. Ut hinc neceſſario ſequatur , vel Paulum proſtituiſſe ſua ſacra pollutis , vel ignotam illi fuiſſe hanc Walachram ſanctitatem.

Sed objicient , *Paulum accuratius præcepiſſe de Corinthio inceſtuoſo , quem jubet ut malum fermentum ejici ex eccleſia.*

Reſpondeo , Paulum hic agere de traditione ſatanæ , non autem de cenſura minori quam eccleſiaſtici finxere ; ad quam ſtabiliendam hæc proinde male adducitur. Secundo, ipſe actus, quem Apoſtolus habuit cum Corinthio inceſtuoſo , oſtendit , ignotum ipſi fuiſſe commentum minoris excommunicationis.

Nam

Digitized by Google

Nam atrox non ſolum & capitale eratſcelus, quod commiſerat Corinthiacæ Eccleſiæ membrum, uno aut altero actu ſe polluendo, ſed nullo peccati ſenſu vel dolore ductus, volutaverat ſe inſtar porci in impuriſſimo peccati cæno, conjugali conſuetudine vivens cum noverca atque eam pro uxore habens: quem proinde inpœnitentem & ſecure dormitantem in peccato Paulus ſatanæ tradidit, ita tamen, ut audita ejus reſipiſcentia, ſententiæ jam latæ exequutionem volverit inhiberi. Sed jam ſi Walachros Theologos conſulviſſet Paulus, oriebatur gravis quæſtio, quomodo ſcandalum datum amoveretur? Videbatur enim æquum, ut longo tempore abſtineretur à cæna, vel multis pænitentiariis pænis affligeretur. Paulus certe, quia omnia iſta inventa artificioſa ignorabat, audita peccatoris reſipiſcentia, ſcribit, *ſufficit illi quod à multis correptus ſit. Iubet eos peccatorem conſolari, ne abundanti triſtitia intereat.* Addit; *cui vos condonatis ego quoque condono, in conſpectu Chriſti, ne à Satana decipiamur; quia machinationes ejus nobis non ſunt ignotæ.* Divina certe Theologia! ſed multum diſpar à Walachra & Papæ! qui ob minora delicta pænitentibus non tam faciles ſe præbere velint, quin putent ſcandali amovendi intento torquendos Chriſtianos, non ut Chriſto honos, hominibus ſalus, ſed ſibi imperium & commodum indeveniat.

Fateor non eſſe novum κακοῆθις, ſed vetus & ſtatim poſt Apoſtolorum mortem prognatum. Rectores enim eccleſiæ, carentes donis Apoſtolicis miraculorum & infallibilis prædicatio-

tio-

tionis, quibus Apoſtoli tanquam Architectones divini omnes confuſiones coercuerant, & præſertim deſtituti ope magiſtratus politici; ipſi varia excogitarunt ſtatuta & remedia, quibus pacem eccleſiæ conſervarent & ſcandalis obſiſterent: quæ licet divinam & Apoſtolicam authoritatem non habebant; ſed pro loci & temporum ratione adinvenirentur; tamen conſuetudine paulatim adſequebantur vim legis, ut non modo pertinaciter iis inſiſterent; ſed plus ſæpe rigoris in iis ſervandis adhiberent, quam in apertis Chriſti inſtitutis: ut non dubitarint etiam pro iis mortem oppetere. Conſiſtebant autem hæ leges præcipue in cenſurandi jure & pænis eccleſiaſticis; inter quas vulgata erat, ſi aliquis deliquiſſet privatim vel publice, à ſacris abſtineret donec eccleſiæ de ſcandalo dato ſatiſfeciſſet, in quo tam rigidi erant, ut ſæpe tribus, quatuor, immo decem annis & tota vita a ſacrorum communione arcerent: imprimis ſi tormentorum impatientia aliquis Chriſtum abnegaſſet, ei vel nunquam vel difficulter aditum ad eccleſiam concedebant: quem rigorem ſuperſtitio ita firmabat, ut ante trecenteſmum annum Marcellinus Epiſcopus Romanus, quia Chriſtum ob tormenta abnegaverat, ſupplex venerit ad conventum Sinueſſanum CLXXX Epiſcoporum & veniam delicti poſtularit, licet poſt animum recolligens, martyr pro Chriſto is fuerit, uti & Cornelius, Cyprianus & alii: ut hoc cenſurandi jus tunc fuerit tanti rigoris, ut in multis modum excederet.

Dum enim rectores immodice honori ſuo & eccle-

& eccleſiæ caverent; vulgus etiam Chriſtianorum nimia credulitate ſuperſtitioſè legibus eccleſiaſticis ſe ſubjicerent: nil minus exiſtere potuit, quam ut illi in præcipiendo, hi in parendo modum non ſervarent. quod longe ante trecenteſimum annum poſt Chriſtum viderunt Cyprianus & alii. Ille enim, rigorem illum cenſurandi & pænitentialem improbans, dicit alibi; *opto omnes in eccleſiam redigi: remitto omnia: multa diſſimulo, ſtudio & voto recolligendæ fraternitatis; delictis plus quam oportet remittendis pene ipſe delinquo.* Et ſerius Chryſoſtomus aperte ſcribit: *ſi Deus tam benignus eſt, ut quid ſacerdos ejus auſterus vult videri?* videbant jam tum, illam licentiam cenſurandi & rigorem imperandi pænas pænitentiales in paſtoribus nimiam eſſe, ut faterentur ſe invitos conſuetudine & receptis eccleſiæ moribus quaſi torrente abripi in avia, quæ non probabant, nec poterant corrigere. Quamquam tunc talium legum aliquis poterat eſſe uſus, cum ipſi paſtores & Epiſcopi promiſcue ſe ſubiiciebant; & præmia Chriſtianorum, tum regentium tum parentium, erant tormenta, exilia & mille mortes. Poſtquam imperatores facti ſunt Chriſtiani & patrimonia Petri crevere, faſtus & κακοζηλία doctores occupavit, ut inventis eccleſiaſticis tantundem tribuerent, ac ſi leges divinæ eſſent, nec minus cogerent iis obedire Chriſtianos, quam ſi à Chriſto eſſent inſtituta: quod imprimis viſum eſt in Ambroſio circa annum 400 qui ex prætore politico ſubito à Theodoſio Cæſare factus Epiſcopus, Imperatorem illum alicujus delicti reum, pæniten-

tem

tem tamen, cenſuraria hac ferula vehementer afflixit; & quaſi oſtendere volens hero ſuo eccleſiaſticæ poteſtatis vigorem, inter pænitentes illum ſedere coegit à ſacris ſecluſum aliquamdiu, donec pænitentialibus eccleſiæ juſtis & ſuo genio ſatisfaceret; temerario certe & periculoſo auſu. Niſi enim bono eccleſiæ fato Hiſpanus Theodoſius imperator tunc communi illa ſuperſtitióne imbutus fuiſſet, ſervandas eſſe pro divinis leges eccleſiaſticas (quas, ſi prudens erat, poterat ſciſſe, non ab Apoſtolis & Deo ordinatas eſſe, ſed uſu & invento hominum introductas) potuiſſet ſuo jure in eccleſiaſticam Ambroſii Hierarchiam animaduertere, diſcuſſis illis eccleſiæ inventis, non violatis tamen divinæ religionis ſtatutis. Hæc tunc fuerunt præludia adoleſcentis Antichriſti, quæ poſt magis magiſque excrevere in eccleſiæ præfectis, maxime Romanis. Anno enim 490 Anaſtaſius Papa auſus eſt Anaſtaſium Cæſarem, Iuſtiniani imperatoris avum, excommunicare, hoc eſt, ſacris interdicere, cum Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo: quod judicium tamen contemſit ille Cæſar; rimoſa nave (ut par erat), remiſſis Papæ legatis, ea lege, ne Græciæ littus uſquam attingerent, & mandato ad Papam, ſciret, *Cæſaris eſſe non Papæ imperare.* Simile facinus cenſurarium edidit Martinus I. Papa ſub Conſtantio Cæſare, circa annum 650. Sed Cæſar, per Theodorum Calliopam, Papam illum catenis vinctum ad ſe adduci juſſit & in pontum relegavit, ubi vitam miſere finivit. Sed omnium audaciam & faſtum ſuperavit Gregorius Sept.

Hillebrandus circa annum 1080, qui Cæſarem Henricum quartum per nives & glaciem nudis pedibus coegit ad ſe venire ſupplicem, ut cenſurario illi juri Papæ ſatisfaceret, nec regno exueretur. Ut vel hinc manifeſtum fiat, utcunque minor illa cenſura in eccleſias noſtras introducta fuerit & ab Ordinibus conceſſa; divinum tamen inſtitutum non eſſe, ſed humanum inventum, quod olim ſub ſpecioſo prætextu excogitatum, ob eccleſiaſticorum typhum & ſuperbiam, multarum nequitiarum ferax fuit & erit proculdubio, ni tempeſtive provideant pii & generoſi magiſtratus.

Huc enim ſpectant & tendunt omnia, quæ à Grallatore Walachro prodita ſunt: cenſuram illam minorem à Chriſto in eccleſia ſua inſtitutam, ſpiritualem, ſanctam, & divini juris eſſe, & ſolis eccleſiaſticis rectoribus commiſſam, politicis interdictam; quam ſi attingere audeant pii magiſtratus, ſacrilegos fore & calcatores ſanguinis Chriſti: qua perſuaſione ſi ſemel ſe imbui patiantur pii magiſtratus, non aberit quin cito in illorum majeſtatem, bona & famam graſſaturi ſint novi illi papiſtæ. quod Cl. Vedelius ſubodoratus, monet Chriſtianos & Politicos, ne hic temere ſibi patiantur imponi: unde ferocior in illum Grallator, exprobrat illi *Laxos ſoccos*, mentiturque *omnes pios dolere*, quod à noſtra Academia tales libri prodeant, qui in dubium vocent ſanctitatem diſciplinæ eccleſiaſticæ: imo alibi, Propheta tam feliciter factus ac diſputator, dira imprecatur Macóvio & neſcio quibus aliis, qui audeant aſſerere *Hodiernam eccleſiæ*

Part. 2. pag. 20. 23.

Pag. 49.

eccleſiæ diſciplinam eſſe politicam rem, cujus prætextu miniſtri graſſaturi ſint tandem in bona & famam cujuſque, ni caveatur: divinaturque illum ſcriptorem aliquando conſcientiæ terroribus irretitum fore cum decumbet ſupinus. Ita de conſcientia coccizat cuculus: admonetque pietatis Cl. Vedelium grallator, ſcilicet *ſus minervam*! ſi facta & maledicta illius non oſtenderent, conſcientiam procul illi eſſe, nec aliquid ſanctum ab illo haberi, quam honores & commoda mundi: dicerem Bileami execrationes & Semeica maledicta eſſe irrita: ac præmonerem ſibi caveret, ne Joſuæ generoſi, aut prudentis Salomonis manibus aliquando pro tot malefactis pœnam lueret. Sed hæc ipſe viderit. Ego hoc ſtatuo, non repugnare modo Apoſtolico inſtituto & convenire papiſticæ tyrannidi minorem cenſuram, ſed totam in hoc conſiſtere, ut Chriſtianorum bonorum honori & commodo, ac præcipue magiſtratuum majeſtati inſidietur pro malo affectu eccleſiaſticorum. Poſtquam enim ſimulatio docuit Chriſtianos ſub religionis larva honores & commoda mundi venari, cæperunt politici Eccleſiaſticorum ſuperciliis ſervire, ut illorum encomio ornati pietatis famam adſequerentur: ipſos quoque ſpirituales clericos ætas & malus genius docuit non fine pretio operam ſuam locare, ſed licitatione paciſcuntur, pro collato eccleſiaſtico officio ut redhabeant conſortii & imprimis menſæ familiarem acceſſum; ac ſi vel ipſe prædicator vel neceſſariorum ejus aliquis eccleſiaſticæ vel politicæ prædæ inhiet, ſuffragio & opera politici juvetur. Nuſquam id

apertius olim fuiſſe dicunt quam in Walachra cohorte ; ut tali pacto inito, quivis etiam apertarum turpitudinum notus, ſub umbonem eccleſiæ reciperetur, & gladio cenſurario ita defenderetur, ut quamvis ſeditionis, fraudulentiæ, ebrietatis & graviſſimorum ſcandalorum reus, non à cæna abſtineretur aut conſortio clericorum privaretur, ſed pro malefactis notiſſimis, etiam obnitentibus piis, honorem eccleſiaſticum & dein politica commoda adſequeretur. Nec defendere tantum, ſed offendere poteſt hic gladius ſpiritualis. Si enim ad reipub. clavum ſedeat vir gravis, nec fide nec moribus culpandus, in hoc tantum deficiens, ut eccleſiaſtico ſupercilio Apolloniano non reſpondeat: primo politicorum ſuffragiorum clandeſtina corruptione damnum illi intentatur; diciturque, fallacias, perfidias & perjuria non poſſe tam impudenter exerceri, quin, ſi res ferat, juriſdictionis eccleſiaſticæ Walachræ ſanctitas eas omnes ſanctificet in Apollonianis miniſtris. Si politica via non ſucceſſit, auxilium petitur à cenſura & excommunicatione minori, aliquid fingendo quod viri illius nomini, famæ ac dignitati obeſſe poſſit apud plebem. Illorum enim ſanctitati nil derogat, quod falſa & ficta ſciant ſe populo obtrudere, modo fidem inveniant. Vero fictone crimine in illo foro quis accuſetur, nil intereſt.

Illic antiquum eſt, primo plectere, dein cauſas pænæ quærere vel fingere: ut dicebant ſcribæ de Chriſto, *niſi hic reus eſſet, non tradidiſſemus hunc vobis: nos habemus legem ſecundum quam hunc*

hunc oportet mori. Ut nemo tam caute ibi vitam agere dicatur, cui non illa Walachra cohors moleſtiam creet minoris cenſuræ arbitrario gladio. Cenſent enim ſibi poteſtatem eſſe minori cenſura ex Chriſtiano faciendi publicanum, hoc eſt, grandem peccatorem, & toti populo exoſum, quam propterea vocant excommunicationem publicani; ut nil evidentius ſit, quam hoc minoris cenſuræ genus non alium uſum illic habere, quam ut perverſos animi affectus expleant maleferiati papiſtæ novi; ac per indirectum à Clavo reipub. removeant, quibus male volunt, exiſtimationem illorum minuendo apud populum & damnum per calumnias iis creando: hoc perſuadentes imperitis, non ſine gravibus & juſtis cauſis hac ſe uti in aliquem. Non eſt tam rerum neſcius Apollonius, quin ſciat, centies hanc fabulam ſe adjutore luſam eſſe. Unde jam concludat Magiſtratus pius ac prudens; non eſſe minores cauſas cenſuræ minoris actus inſpiciendi & examinandi, quam majoris: hanc enim eccleſiaſticis ſolis non committunt ob politicos reſpectus, ne famæ ſubditorum temere inſultent.

Id quia in minori non minus affectatur: & totum intentum in eo conſumitur, ut non ſubditis modo, ſed ipſis principibus per indirectum inſidientur ac illudant veterum papiſtarum exemplo; providendum eſt, ne quid reſpublica detrimenti capiat, neu fictis ſanctitatum obtendiculis homines abſterreantur: cum nil quam humanum inventum ſit cenſura minor, papatus veteris commentis adæquatum, prout à gral-

latore Walachro defenditur. quod non modo religionis & eccleſiæ illic dedit ruinam; ſed politicæ majeſtatis mancipatum; ad quem pervenient certe & cito Illuſtrium Ord. Amplitudines, ſi Walachrorum papiſtarum exemplo reliqui Sacrorum myſtæ audeant in illos verbis factiſque ferocire.

Cenſura major. Verum hæc minor cenſura non ſufficit explendo animo Apollonii: Aiacis enim furentis in morem ſapit, qui oves ſuas mactabat ut animi iram expleret:

Et propterea cenſuram majorem maximi facit, qua putat ſibi poteſtatem à Deo datam, ex Chriſtianis faciendi Ethnicos. quæ cenſurandi ratio eſt ipſiſſima & vetus papiſtica, nec magis ſimilis Dei & Chriſti inſtituto, & praxi Apoſtolicæ, quam aurum ſcoriis. Cenſura enim vetus à Deo primum inſtituta in populo ſuo & à Judæis uſitata, ab eccleſiis apoſtolicis obſervata fuit; id que Chriſti & Apoſtolorum præceptis. Hæc conſiſtebat primo., in verbali correptione, quam exercere tenebantur omnes & ſinguli, idque jure divino. Levit.19.17. Heb. 3.13. 1,Theſ.5.11.12.13.14. Secundo, in ſeparatione, qua ſubducebant ſe a privato conſortio illorum,in quibus monendis & corripiendis fruſtra laboraverant. Matt. 18. 15. 16. 1.Cor. 5. 9. 10. 11. quæ ſeparatio facta fuit ob duas cauſas: Primum, ut hac peccati contagium vitaretur. Secundo, ut peccator, ſe contemtum videns, pudore afficeretur, atque inde reſipiſcendi anſam ſumeret. Solo hoc cenſurario jure freti Judæi tempore Chriſti,publicanos

canos & peccatores a familiari contubernio arcebant, quos templo excludere non poterant. qui propterea Chriſtum quoque carpebant, quod cum publicanis & peccatoribus ederet & familiariter converſaretur. quorum inſtitutum Chriſtus quoque non abſolute improbavit, ſed correxit; oſtendens, non ſimpliciter illicitum eſſe, cum peccatoribus & publicanis verſari, ſed id licere, ſi quis, inſtruendi, monendi & redarguendi donis inſtructus, id agat tanquam medicus, ad ſanandas illorum ægritudines & pravitates. quam doctrinam Paulus quoque inculcat 2. Theſ. 3. 6. 14. ubi docet, fugiendum quidem eſſe conſortium privatæ vitæ illorum qui inordinate vivunt, ut hoc ſeparationis comtemptu erubeſcant: ſed ab eccleſia excommunicandos eſſe, vel à cultu & ſalutis mediis arcendos, nuſquam docet, ſed contra, quos Epiſtola notari præcipit monet pro inimicis non eſſe habendos, ſed monendos ut fratres, & quidem, ut docet 2. Tim. 2. verſ. 25. cum lenitate; etiamſi ſint ἀντιδιατιθέμενοι, contraſiſtentes.

Hæc eſt cenſura vetus, divinis præceptis & veterum praxi nitens, diviniſſimi juris & aptiſſima ad peccata & ſcandala per eccleſiam tollenda: quæ ſi manſiſſet, omnis tyrannis eccleſiaſtica ab eccleſia fuiſſet remota, nec tanta oſcitantia & ſcandalorum illuvies Chriſtianos, & præſertim præpoſitos, occupaſſet. Quiſque enim Chriſtianus, de ſalute ſua & proximi ſollicitus, monendo, carpendo & ſe ſeparando, ſi fuiſſet opus, peccata & ſcandala removiſſet à

fratribus, etiam ipſis doctoribus, jure fraternitatis. uti videmus Paulum Petrum arguiſſe non recte ambulantem; & Aquilam ac Priſcillam inſtituiſſe ac monuiſſe inſignem doctorem Apollum.

Sed jam hic videmus infelicitatem eccleſiæ: Faſtus enim, qui extitit in doctoribus & imprimis papiſticis, hanc veterem cenſuram ſuſtulit; quia nimis magnum jus tribuebat omnibus & ſingulis Chriſtianis, quos habere cœperunt pro laicis: & judicarunt indignum eſſe, ut tam magnarum rerum cura concederetur ſingulis eccleſiæ membris: ſed clerici & Eccleſiaſtici hoc totum in ſe receperunt & ſpecialis juris officium fecere, quod omnibus & ſingulis à Deo fuerat conceſſum: Unde neceſſe fuit illa mala in eccleſiam incumbere, quæ hodie videmus: Primum, ut communes Chriſtiani, ſepoſita eccleſiæ & ſacrorum cura, mundanis rebus ſe toti implicent & cenſurandi munus unice committant prædicatoribus: Alterum, quod clerici de hac prærogativa adeo ſuperbiant, ut ſe æſtiment cenſuræ & morum abſolutos arbitros, ea poteſtate armatos, ut divino privilegio facultatem habeant aperiendi cælum & claudendi, ſolvendi ac ligandi, & ex homine Chriſtiano faciendi Ethnicum & profanum: quæ perſuaſio ubi ſemel hominum animis impreſſa fuit, Tyrannidem primum eccleſiaſticam in eccleſiam introduxit, & tandnm Antichriſtum, Papam peperit, qui cenſurandi hoc jure omnes Chriſtianos, ac præſertim terræ reges, ſibi ſubjecit.

Sicut in

Sicuti in peſſimo illo nebulone Hillebrando viſum fuit,de quo ſupra: qui circa annum 1080 Henricum 4. Cæſarem, abjecti animi virum & luxuriantis tunc Babylonicæ meretricis inſanum mæchum, coegit nudis pedibus per nivem & glaciem venire Canoſſam ad ſe: ubi toto triduo ſupplex (quod refert Platina) ut intromitteretur, non impetravit, donec Mythildis impuræ & ganeonum interceſſu adeptus, ut ad pedes ſcurræ peſſimi accidens veniam delictorum acciperet. Non eſt, fateor, tam effrenis hodie Papæ faſtus, quem, ex prædicto Apocalypſeos melius edocti, multi reges deſerunt & etiam expilant: ſed tamen quidquid hodie poſſidet immanis ſuperbiæ, ſolo titulo gladii & poteſtatis cenſoriæ adſequitur, cujus fulmen jactat eſſe excommunicationem: & licet ipſe, omnium ſacrorum riſor, ſciat & credat, nihil quam ventris crepitum eſſe, perſuadet tamen & credunt δεισιδαίμονες, miræ eſſe rem efficariæ & ſpiritualitatis: ut ſupeſtitioſulus aliquando videns Romæ excommunicationis pompam exclamaret non dubitare ſe quin cælo certo excluſus eſſet quem Papa ſic excommunicaret.

Non eſt enim infacetus Hiſtrio in illa fabula ludenda: fit enim miro eccleſiaſticorum ganeonum & Papæ gnathonum diſcurſu, magno campanarum boatu; mirabili ignium & facum accenſione & ſubita extinctione: & quanquam nihil agat, quam quod pari dexteritate à mimis inter tragædias quotidie luditur, tamen fatali erroris efficacia hoc apud proceres adſequitur, ut quem vident & ſæpe dicunt peſſimum ne-

bulonem eſſe; tamen ſanctiſſimum patrem credant, & excommunicationem ejus rem mirabilis efficaciæ ac ſanctitatis, etſi ſentiant non tam cælo quam terræ bonis excludere, niſi armis obſiſtant.

Præcipui loci, ex quibus olim Antichriſtici Cyclopes Papæ eccleſiaſticum cenſuræ majoris fulmen excudere, ſunt omnium confeſſione loci Matt. 16. 19. Mat. 18. 17. 18, Ioan. 20. 22. 23. 1. Cor. 5. 4. 5. & imprimis vulgo habetur pro illuſtri, quod Chriſtus promiſit Petro *Claves regni cælorum*; hoc eſt, poteſtatem *remittendi* & *retinendi peccata*, ac *ligandi in terra, quod ligatum ſit in Cælo*: quod vulgo creditur ſpeciali privilegio datum eſſe Petro & Epiſcopis Romanis, quo tituloita ſuperbit Papa, ut, tanquam infernalis ille claviger Apocalypticus, claves geſtet in inſignibus, & ſibi ſoli hoc jus clavium tribuat ut Petri ſucceſſori: cujus perſuaſionis ſuperſtitione totum mundum ſubjecit ſibi. hoc enim minatur, ſe cælum occluſurum omnibus qui ſibi parere nolint. In cujus Schola grallator Walachrus pulchre inſtitutus, poteſtatem clavium Apoſtolicarum ubique ebuccinat, tanto faſtu juriſdictionis & poteſtativi imperii, ut Papæ & Apollonii claves videantur ab eodem Vulcano eſſe cuſæ, quibus nil deſit quam limaturæ politura tempore adjicienda. Quicunque enim papiſtarum & Apollonii ſcripta diligenter evolvet, videbit, quidquid Papa de ſua Hierarchia ſuperbe jactat jure ſucceſſionis Petri, Apollonium & novos papiſtas Walachrosglorioſe venditare jure ſucceſſio-

ceſſionis Apoſtolorum. Neque diffiteor, multis reformatis doctoribus id commune hactenus fuiſſe, ut de hoc clavium & excommunicandi jure pluſculum ſuperſtitioſuli fuerint: neque hoc mirum: Cum enim reformatores aliquot orti ſint ex Romana eccleſia, cujus veteramentaria taberna talibus juriſdictionis ſcrutis eſt oppleta, vix aliter fieri potuit, quin plerique ex ea nati matrem illam redolerent: quorum veſtigia dein alii inflatiores aliquot prementes, eccleſiaſticum hoc jus clavium immodice extulerunt: adeo ut fatendum ſit, non paucis hic accidiſſe quod expurgando allio intentis ſolet evenire, qui, ut cunque id averſentur & extergant ſedulo, non deſinunt tamen id plus minuſve redolere. In multis id hactenus conſpicuum fuit, & præſertim apparet in Grallatore Walachro, qui præ cæteris Romanæ matris profluvio delectatus & fædam ejus gonorrhæam redolens, de poteſtate clauium ubique tam alte ſuperbit, ut nuſquam illi facile reperias parem. Cujus ludibria ut nunc explodam, id ſtatuo, nil certius eſſe, quam Chriſtum inſigni illo promiſſo Petro & Apoſtolis non contuliſſe rem vulgarem, ſed novam, raram & inſignem, & qua illos quaſi ſupra humanum faſtigium voluit elevare, cum eos donavit poteſtate clavium cæli. Unde non eſt veriſimile, tam facilem & levem rem ſub his intelligi, quam hodie eccleſia exercet. Quid enim hoc magni aut rari eſt, quod eccleſiæ præpoſiti aut eccleſiaſtes aliquis dicat hodie, regnum cæli tibi apertum eſt ſi credas, ſi non credas clauſum

eſt?

eſt? Non modo illa fuit vetus prædicatio, ſed nemo fere tam gregarius in eccleſia eſt, qui hoc non poſſit dicere. Imo quiſquis ſcripturam legit, vel puerum legentem audiat, per ſe id judicium exercet & hac clave utetur. Si enim videat aliquem immorigerum, judicabit cælum illi clauſum eſſe donec reſipiſcat: ſi contra converſum, judicabit apertum, & utetur hac clave. Nec eſt quod ſibi perſuadeant eccleſiaſtæ, plus poteſtatis ſe nunc habere in hac clave exercenda. Tempore enim compertum eſt, nihilo feliciores eſſe eccleſiaſticos conventus, ſive conſiſtoria, ſive claſſes, ſive Synodos, in hoc judicio ſtringendo, quam quiſque privatus, ad rem attentus & veritatis diligens ſcrutator, ut ſæpe experientia comprobatum ſit, unum laicum melius judicaſſe & hac clave uſum eſſe, quam totam Synodum. Etſi enim de ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti multum garrit Apollonius; tamen non alios effectus illius videmus, quam ſicuti Papa de infallibilitate audaciſſime jactat, & tamen mendaciſſimus falſarius eſt quem orbis unquam vidit: ita quoque illos eccleſiaſticos ſæpiſſime falli, qui de clavium poteſtate & certitudine maxime ſuperbiunt.

Exemplo ſit Apollonius; quo in jactando jure clavium, poſt Papam, nemo eſt impudentior: & tamen concionali clave tot mendacia jam produxit, ut non cæli, ſed inferni videatur clavem poſſidere, ut ille ἀπολλύων: & ne perſonalis videatur error (niſi hoc quoque fingit) in omnia illa figmenta conſenſit tota claſſis Walachra. Ut hinc pateat, fallaciſſimum nunc

eſſe

eſſe judicium eccleſiæ in uſu clavis concionalis: quia non modo privati Chriſtiani judicio non plus pollet; ſed multo minus illi aliquando tribuendum ſit. Tam corruptum enim eſt fere affectibus judicium eccleſiaſticorum hodiernorum, ut credendum ſæpe ſit, cælum certo poſſeſſuros quos illi inferno adjudicant; & contra, inferno deberi, quibus illi ſua clave cælum pollicentur. Utcunque ſe res habet, nulla ratione evidenti probabitur, quicquam plus nunc eccleſiaſticis competere, quam ſingulis eccleſiæ membris in uſu cæli clavium, dum prædicatione promiſſiones & minas de ſalute hominibus proponunt ſub conditione: quod ſolum jus ſi poteſtatem clavium exhaurit, nihil ſub hoc jure clavium nunc habent prædicatores quod non omnibus eccleſiæ membris ſit commune. Unde non ſit veriſimile, tantillum juris contuliſſe Chriſtum Apoſtolis ſub clavium cæli illuſtriſſimo titulo & tam ſolemi promiſſione: ſed rem maxime arduam fuiſſe, & ſolis Apoſtolis peculiarem: quam in hoc ſtatuo; quod primi fuerunt præcones peractæ jam per Chriſtum ſalvationis & aperti per eum cæli: quod nunquam ante vel poſt ulli Dei legato fuit proprium. Ante peractum ſalutis opus ſperabatur quidem ſalus; ſed tunc adhuc quaſi cælum erat clauſum: poſt Chriſti aſcenſum vere apertum fuit. Et hoc privilegio pollebant Apoſtoli, quod primi hujus rei teſtes eſſent. Deinde, ante illud tempus cælum gentibus erat clauſum, & intergerino muro quaſi ab ejus introitu arcebantur, ut ulli vel maximo Prophetæ

phetæ hoc fuerat ante conceſſum, ut, Iudæis relictis, omnibus gentibus promiſcue cælum aperiret. Tam rara & ardua erat hæc res, ut etiam Apoſtoli, ſpiritu Dei licet illuſtrati, ſero & non niſi miraculis edocti in hujus rei cognitionem venirent. quo intellecto tam indefeſſi fuere, ut prorſus divino & miraculoſo impetu, contemptis omnibus periculis, dum ſuperſtites ad huc erant, Evangelium per totum quaſi orbem detulerint; ut Thomam ipſum ad Indos excurriſſe prædicando, graves authores aſſeverent: quod certe fuit inſigne, & haud aliud quam cælum ipſum aperire. His acceſſit infallibilis prædicandi facultas, ut nil quam ex Dei præſcripto dicerent: Concionalis enim clavis, quam Chriſtus Apoſtolis promiſit & dedit, tam excellens & divina fuit, ut cum ea primis illis eccleſiæ patriarchis Chariſmata dederit, quibus veritatem ſemper infallibiliter tradebant, ſic ut non modo oſtenderent cælum apertum eſſe; ſed infallibili doctrina quaſi clave cuique aperirent, & divina judicandi facultate infallibiliter declararent, cui apertum vel clauſum eſſet, ſic ut vere ligata aut clauſa eſſent in cælo, quæ illi in terra ligarent aut clauderent, & contra.

Hæc poteſtas poſt Apoſtolos deſiit. Quod enim illi ſemel aperuere, apertum manet, nec à quoquam claudi poteſt. Papa jactat ſibi ſoli ut Petri ſucceſſori hoc jus remanſiſſe, & vulgo creditur à ſubditis ejus : ſed impudens & Antichriſto dignum mendacium. Noſtri Apolloniatæ ſacrilegii quidem Papam convincunt,

quod

quod de hoc glorietur, & tamen de hujus clavis jure ipſi majore impudentia ampullantur. Fatentur enim & reipſa comprobant, ſe infallibiliter docere non poſſe; & tamen ſacrilegium admittere clamant, ſi quis dubitet eos nunc hanc clavem poſſidere: quæ impudentia papali multò major eſt. Ille enim ſibi vult tribui jus aperiendi cælum, quia aſſerit, ſe habere clavem infallibilem & vere Apoſtolicam: Hi vero idem poſtulant juris ſibi tribui, & tamen fatentur ſe infallibiles non eſſe. Etſi enim impoſtor ſit, qui promittat ſe theſaurum aperturum, fingens ſe clavem habere quam non habet: tamen pro impudentiori impoſtore habendus eſt, qui clamet ſe aperturum theſaurum, & tamen fateatur, ſe vel clavem non habere, vel ſi aliquam oſtentet, tam inconveniens & rubiginoſa ſit, ut aperiendæ ſeræ non conveniat. Quia enim vera ſpiritualitate caret hodie clavis concionalis, quæ eſt veritatis infallibilitas, cenſenda eſt ut corpus anima deſtitutum, vel inſtar horologii, quod humanæ induſtriæ rotulis agitatur; quas fere omnes movet honoris aut Lucri pondus.

Non ſecus de juridiciali clave aut cenſoria ſtatuendum eſt; quæ, ob dona & poteſtatem Apoſtolorum, erat juſta ſemper & efficax. Pollebant enim diviniſſima judicandi certitudine, adeo ut nemini ſalutem & cælum adjudicarent, nemini abjudicarent, quin certiſſima revelatione hoc ſcirent; ut vere, quos ligaſſent & quibus peccata tenerent in terris, iis cælum ipſum clauſum eſſet; quibus vero ea remittebant & ſolvebant, iis certo pateret. Hanc poteſtatem

& dona

& dona in Apoſtolis fuiſſe, ſatis evidens eſt. Quæ omnia, ut rariſſima & humanum modum excedentia, ſub poteſtate Clavium Apoſtolis promiſſa eſſe, nimiſquam apertum eſt, niſi quis ad veritatis intuitum oculos claudere velit. Unde jam apparet, in Apoſtolis terminatas eſſe claves; quia illæ conditiones cum donis, quæ dixi, quæque clavium juriſdictionem conſtituunt, cum illis deſiere: ut non minori jure Apoſtolatus munus eccleſiæ permanens & perpetuum facere liceret, quam Clavium cæli uſum: ut perquam frivolum imo ridiculum ſit, tam ſuperbe de jure clavium vociferari Apollonium cum Papa Romano; quaſi jus haberet claudendi cælum & aperiendi, ligandi & ſolvendi in terris, quod in cælis ligatum & ſolutum ſit; cum conſtet, illi ignotum eſſe, quem certo & abſolute cælo excluſurus ſit aut incluſurus; ac ſæpiſſime perverſo judicio ſolvat & cælo adjudicet, quem deus ligatum cælo excludit; contra, liget & cælo conetur ejicere, quem Deus ſolutum cælo dignatur. Ut qui hodiernæ cenſuræ & excommunicationis larvam comparet Apoſtolicæ, non aliter delirare mihi videatur quam Iudæi; qui de templi ſui ſanctitate mira garriebant, & pro ejus dignitate ſub Tito ad internecionem pugnabant, & tamen poterant ſcire, ſi oculos habuiſſent, non eſſe illud vetus & ſanctum Salomonis templum: quia carebat Urim & Thummim, & omnibus præſentiæ & aſſiſtentiæ divinæ beneficiis, quæ ſpecialem templi illius ſanctitatem conſtituebant.

Verum apertior videtur locus Matt. 18. 17, *dic*

dic eccleſiæ, & *ſi eccleſiam non audit*, *ſit tibi tanquam publicanus & Ethnicus*:quibus verbis Chriſtum eccleſiæ dediſſe aſſeverant poteſtatem excommunicandi juridicialem eccleſiaſticam,qua hodie utuntur veteres & novi papiſtæ.

Cujus figmenti vanitatem facile animadvertet quicumque conſiderabit, Chriſtum his verbis diſcipulos ſuos non inſtruere tanquam futuros eccleſiæ ſuæ præpoſitos & rectores, ſed vulgaria tantum docuiſſe &quæ omnibus Chriſtianis ſint communia jure fraternitatis, ſecundum generalem legem omnibus à Deo datam, Deut. 17. 19. *Non odio habeas fratrem: corripiendo corripe, neque ferto in illo malum.* Cujus legis præſcriptum Chriſtus hic oſtendit non tantum ſervandum, cum quis frater in Deum peccavit aut in alium quemuis, ſed tunc quoque, cum nos ipſos iniuria affecit.quod officium fraternum Chriſtus prudenter & ſumma cum moderatione vult exerceri. Et primum, Ne correptio proficiſci videatur à vindicta aut maledicentia, qua fratris læſoris animus poſſet exaſperari: vult fratris delictum tegi, nec in publicum proferri; ſed privatim id componi jubet intra fratrem & fratrem, aut duos ad huc fratres:quorum admonitionibus ſi immorigerum ſe præbeat frater læſor, non permittit Chriſtus, ut frater læſus fratrem læſorem deferat, ſed tunc delictum fratris in publicum proferri jubet, ut toti eccleſiæ innoteſcat. non ut omnes odioſe in illum incitet, ſed ut illum ſervet, ac qui unius vel paucorum fratrum correptione ad pacem non potuit diſponi,omnium & ſingulorum, qui

in eccleſia ſunt, admonitionibus ad concordiam permoveatur. quam eccleſiæ operam fraternam & Charitativam ſi frater læſor pergat contemnere, non concedit tantum Chriſtus fratri læſo, ſed præcipit, ut habeat illum tanquam publicanum & ethnicum, hoc eſt, ut à privato illius contubernio ſe ſubducat: ut Apoſtolus hunc actum deſcribit & declarat 1. Cor. 5. 9. 11 & 2. Theſ. 3. 6. 14. Alludit enim Chriſtus ad morem, qui tunc Judæis erat uſitatus, & de quo ſupra.

Unde nunc apparet, veteres & novos papiſtas hunc locum turpiter corrupiſſe, ut qui ex officio fraterno & Charitativo fecerint munus authoritativum & juridiciale, & quod maxima inſolentia vocem Eccleſiæ tranſtulerint ad ſolos eccleſiæ præpoſitos & rectores. Dic Eccleſiæ, dicunt papiſtæ; hoc eſt, dic epiſcopo: ſtolida profecto interpretatio & indigna quæ refutetur. dic Eccleſiæ, dicunt novi papiſtæ, hoc eſt, eccleſiæ præpoſitis, inſolentiſſima vocis acceptione: quia locum ex ſcripturis proferre nequeunt, in quo nomen eccleſiæ ſolis præpoſitis tribuatur. Non diffiteor, grallatorem Walachrum multa paſſim balbutire de Eccleſia Repræſentativa, & quod præpoſitis nomen eccleſiæ tribuatur, quod eccleſiam repræſentent. Sed quia ex ſcripturis ſacris hæc non didicit, ſed ex papiſtarum ſcriptis, quorum hæc inventa ſunt; breviter illi reſpondeo: quod multa dicenti & nihil probanti de jure non naſcitur privilegium; quod cum in rebus humanis verum ſit, multo magis in rebus ſacris & ſanctis locum

cum debet obtinere. Unde nunc concludam; cum antecedentia & conſequentia, & totus contextus verborum Chriſti oſtendat, Chriſtum hoc loco non juridiciale, ſed fraternum & Charitativum officium in eccleſia inſtituiſſe; & per nomen eccleſiæ hic denotari omnes & ſingulos, qui in eccleſia ſunt; Walachrum grallatorem cum papiſtis æque deridiculum hic deprehendi; ut ex re nihili & ex veterum papiſtarum ſcrutis (quæ tandem Antichriſtum peperere) tam illuſtre & eminens juridiciale jus eccleſiaſticum conatus ſit extruere; cui Reges, Principes, omneſque mundi poteſtates divino & ſpeciali jure ſe ſuaque teneantur ſubmittere.

Plures alibi rationes adfert pro ſuo excommunicandi fulmine: ſed nolo in illis refellendis operosè verſari, ne bonas horas male collocem, cum ſagax lector per ſe facile animadvertat, poteſtate clavium nunc ſublata, & loco Mat. 18. *dic eccleſiæ*, illi ſubtracto, omnia ſponte corruere. Unicum tantum reſtat palmarium, & in quo exaggerando quindecim fere ſuorum centorum paginas opplevit. Argumentum ab illo proponitur part. 2. pag. 6. Apoſtolus, inquit, toti eccleſiæ Corinthiacæ ſcribens, vult & mandat; ut illa ſimul congregata inceſtuoſum Satanæ tradat. 1. Cor. 5. 4. 5. Competit igitur omnibus eccleſiis particularibus jus & poteſtas peccatores contumaces excommunicandi. Ut enim liberalis eſt in aſſumendo, ſupponit, Satanæ tradere nihil aliud eſſe, quam ſuo more excommunicare. Vbi primum fraudem hominis notari velim in argumento hoc ſtruendo: ſic

 enim

enim proponit, ac ſi Apoſtolus eccleſiæ particulari dediſſet poteſtatem Corinthiacum inceſtuoſum tradendi ſatanæ, ſimpliciter ac per ſe: quo dato, prævidebat veri aliquam ſpeciem habiturum argumentum hoc. Sed fallit lectorem (pro ſuo more) Walachrus impoſtor: Quia Apoſtolus eccleſiæ Corinthiacæ non ſimpliciter & per ſe iſtam poteſtatem concedit. vult enim abſens corpore cum præſentia & aſſiſtentia poteſtatis & ſpiritus ſui inceſtuoſum ſatanæ tradi, quem jam ante ſolus ſatanæ tradendum judicaverat, ut ipſe teſtatur. Quibus hunc in modum expeditis, quæram ex grallatore, quæ Dialectica illum docuerit ſic argumentari? Paulus alicui eccleſiæ poteſtatem conceſſit excommunicandi cum aſſiſtentia ſpiritus ſui & poteſtatis ſuæ: ergo, quævis eccleſia id poteſt per ſe & ſine aſſiſtentia Pauli ac ſpiritus ejus. Conſequentia nulla eſt, & perinde ſe habet ac ſi diceret: Eccleſia particularis Hieroſolymitana cum aſſiſtentia Apoſtolorum omnibus aliis eccleſiis legem præſcripſit de non edendo ſanguine & ſuffocato. ergo conſiſtorium Mittelburgenſe hodie idem jus habet in reliquas eccleſias: Quam conſequentiam (ut ſcio) Claſſes Zeelandiæ non admittent; eam facile tamen conceſſuræ, ſi in conſiſtorio Mittelburgenſi pro Apollonio unus præſideret Paulus, vel quivis alius Apoſtolus.

Sed dicit, Apoſtolum Corinthios eo nomine carpere, quod inceſtuoſum non ſuſtuliſſent; atque inde palam fieri, in illorum poteſtate fuiſſe, ut ſceleſtus ille e medio tolleretur.

Reſpondeo, id ex loco Pauli non poſſe evinci;

ci; quia verba nil tale præ ſe ferunt. *Carpit illos, quod inflati eſſent, ac non potius luxiſſent, ut tolleretur è medio qui facinus hoc patraverat.* Quæ certe loquendi forma perinde ſe habet, ac ſi quis, jam diu gravi & periculoſo morbo detentus, à medico reprehenderetur, quod ſecurus ac minime anxius, de tollendo morbo non fuiſſet ſollicitus. Multa enim erant quæ Corinthii per ſe facere potuiſſent ad remotionem tanti mali. Potuiſſent enim Paulo delictum hoc per litteras ſignificare, Conſilium ab eo petere & ſpiritus ejus aſſiſtentiam flagitare, ut ſceleſtus ille è medio tolleretur. Verum hæc omnia neglexerant Corinthii, quo nomine merito inflati dicuntur, nec luxiſſe ut è medio illorum tolleretur, qui tale facinus patraſſet.

Sed Paulus, inquit Apolonius, Corinthios monet, ut vetus fermentum expurgent: & in fine capitis præcipit, ut inceſtuoſum ejiciant, & de illius ejectione judicent.

Ergo fuit hic actus ordinarius & in illorum poteſtate.

Reſpondeo, antecedens ſimpliciter verum non eſſe. Nam quæ de fermento monet Apoſtolus, de inceſtuoſo removendo non loquitur; ſed his verbis illos generaliter tantum hortatur ad uitæ probitatem, ut ipſe textus comprobat. Secundo, demus grallatori, verba Apoſtoli de inceſtuoſo remouendo accipienda eſſe; qua dialectica hic rurſus evincet, negotium, quod Apoſtolus Corinthiis præcepit, illis ſimpliciter & per ſe peragendum commiſiſſe, tanquam actum ordinarium, qui ſimpliciter ſubjacebat illo-

rum poteſtati? nihil tale contextus innuit, ſed contraria omnia. Judicium illis concedit, ſed non ſine judicio ſuo; ejectionem & ſatanæ traditionem illis mandat; ſed non ſine aſſiſtentia poteſtatis & ſpiritus ſui. Quia ergo Corinthii multa poterant circà hujùs actus externa, quæ ipſe Paulus abſens non poterat, ideo hunc actum illis præcipit.

Poterant enim illum verbaliter corripere, multa dira imprecari; poterant ſe ſeparare à privato illius contubernio; quæ omnia & alia forte plura in hoc actu exercendo concurrebant; internum vero hujus actus vigorem illi per ſe producere vel attingere non poterant: Dependebat enim à poteſtate Clavium, qua Chriſtus in cælo ratum fore Apoſtolis promiſerat, quidquid illi de peccatoribus hic in terris ſtatuerent: cujus promiſſionis veritatem & effectum quia homines tunc ſæpe fuerant experti, hinc factum eſt, ut cenſurandi illa Apoſtolorum poteſtas, ſive illam ſoli exercerent, ſive cum eccleſia, ſemper ac merito horrenda & terribilis fuerit, non iis modo qui convertibiles erant, ſed etiam vel maxime refractariis; quorum blaſphemias inſigniter poterat compeſcere, ut de Hymeneo & Alexandro loquitur Paulus 1 Tim. 1. 20. Certe ſi Satanæ traditio nihil aliud fuiſſet, quam verbale fulmen à ſuggeſtu, ut hodie fit, homines refractarii ita excommunicati non didiciſſent non, ſed magis blaſphemare; ut poſt Apoſtolorum deceſſum in Juliano Apoſtata & aliis

aliis, nec non hodie in multis viſum fuit.

Sed grallator inquit, veriſimile non eſſe, Paulum abſentem inceſtuoſum ſatanæ excruciandum tradere potuiſſe. Res ſane ridicula in tanto doctore! qui ex ſola Hiſtoria Naamanis 2 Reg. 5. diſcere potuiſſet, Sanctos Dei viros, miraculorum donis inſtructos, non è propinquo ſolum, ſed procul & è longinquo ſua dona exercuiſſe. Elizæus enim Naamanem curaſſe dicitur procul à ſe remotum. Cur igitur Paulus idem non potuit, præſertim cum abſens corpore illis præſens fuit? *Ego*, inquit, *ut abſens corpore, ſpiritu vero præſens, jam ut præſens judicavi.* &c. Et dein; *vobis & meo ſpiritu in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis* &c. Fuit ergo, præter ordinarium & fraternum cenſurandi officium, gravius ſub Apoſtolis correctionis remedium, ſolis illis Theopneuſtis familiare ob ſpecialia dona; quibus tunc armati poterant, cum opus eſſet, cæcitate punire, morte plectere, & Satanæ excruciandos tradere contumaces & blaſphemos peccatores. in cujus magnæ rei ſucceſſionem ſi putet ſe ſuffectum eſſe vocatione ſua Apollonius, expectabimus, ut quoque cæcos illuminet, Claudos ſanet, mortuos excitet, diabolis imperet, & corpora hominum iis crucianda tradat.

Non eſt obſcurus index in ſuis ſchedis, ſi genio fruatur, aliquando in carnales magiſtratus uſurum ſe hac majori excommunicatione, niſi abſtineant à ſuis ſpiritualibus.

Sciat tamen, non multum vereri me, ne Satanæ ab illo poſſint tradi; ſed potius metuendum ipſi eſſe, ne ſi cum filiis Scevæ hunc exor-

ciſſimum temere tentet, a ſpiritu malo audiat; Jeſum novi, Paulum ſcio; vos autem, Apolloni, qui eſtis? ut non grallis modo & arctis ſoccis exutus, ſed nudus cum iis cogatur effugere.

Deſcripſi igitur paucis, quale fuerit jus cenſuræ ordinarium, à Chriſto in eccleſia inſtitutum, & oſtendi non juridiciale id fuiſſe ac ſpecialis juris, ſed commune & fraternum, conſiſtens in fraterna & verbali correptione; & in ſeparatione à privato contubernio. Oſtendi quoque, præter hunc cenſurandi modum vulgarem gravius correctionis remedium fuiſſe ſub Apoſtolis; quo illi utebantur non in quoſuis peccatores, ſed in eos ſolum, qui pervicacia vel atroci aliquo delicto infames, turbabant vel polluebant Chriſti eccleſiam: quod tunc inſigne fuit ac vere divinum; quia dependebat à poteſtate clavium & divinis donis, quorum tanta in illis Theopneuſtis erat efficacia, ut quidquid in peccatores ſtatuerent, non modo ratum eſſet in cælis, ſed in terris quoque effectum ſortiretur. Quod Apoſtolicum & terribile cenſurandi genus utcunque neceſſarium & utile fuerit eccleſiæ naſcenti, cujus exordia Chriſtus gladio noluit juvari: cum Apoſtolis tamen paſſus eſt intercidere, donec tandem reges ipſos in obſequium coëgit, & ex infeſtis perſequutoribus effecit eccleſiæ ſuæ nutritios, patronos & cuſtodes; idque ſecundum vaticinium Davidis & Eſaiæ. Quo impleto, rigidius denuo cenſuræ officium in eccleſia reſuſcitatum fuit per ordinariam principum & magiſtratuum poteſtatem, qua illos in terris armavit, non ſolum ad naturalem

turalem hominum ſocietatem tuendam: ſed vel maxime ad eccleſiæ Chriſti integritatem in terris conſervandam. Etſi enim leges & pœnæ principum per ſe ad conſcientias non perveniant; hoc tamen non obſtat, quo minus, & per accidens, regnum Chriſti ædificent ac tueantur; dum externam illam & rigidam diſciplinam conſtituunt, & eccleſiæ commodant contra impios & refractarios, qui fraterna correptione à peccatorum & ſcandalorum pollutione non potuerunt abduci: adeo, ut cuivis nunc promptum ſit videre, cenſuram majorem & minorem, ut vocant, nil eſſe quam Eccleſiæ Romanæ matris impuriſſimæ fœtidas ſecundinas & ab nativitate eccleſiis noſtris adhærentes ſordes, quas tamen Walachrus ille impoſtor pro ſanctiſſimis venditat, & tanquam Spiritualiſſimas extollit. Penitius enim intuentibus pateſcit, totum juridiciale & cenſorium hoc negotium, quod ſub divino & ſanctiſſimo titulo à Walachris urgetur ac defenditur, non Chriſti vel Apoſtolorum inſtitutum eſſe, ſed humanum inventum, quod apud veteres papiſtas multis artibus exornatum, tandem Papam Antichriſtum peperit; & brevi inter reformatos multos pariet Antichriſtos, politicæ majeſtatis contemptores, ni proſpiciant tempeſtive principes & magiſtratus politici. Præviderunt id olim multi ex primis reformatoribus viri pii & perſpicaciſſimi, qui proinde Antichriſticum hoc fermentum conati ſunt extinguere, ſicut illorum ſcripta teſtantur. In gratiam igitur illorum, qui hæc forte ignorant, quædam ex illorum ſcriptis excerpta

hic adjungam, quæ ad rem præſentem quam maxime facere videantur. verba Rodolphi Gualteri Theologi Tigurini hæc ſunt in quadam Epiſtola ad Carolum Ionvillæum Genevenſem. *Quod ſi de excommunicatione dicendum ſit, nunquam ea nobis prorſus aut in genere damnata eſt: quin & legibus noſtris ea præcipitur, qua à tribuum ſocietate & publicorum paſcuorum uſufructu excluduntur, qui contemptis admonitionibus tam publicis quam privatis, aliter vivunt quam homines Chriſtianos deceat. Vt vero aliqui à cœtibus ſacris aut à cæna Domini arceantur, id in noſtris Eccleſiis nunquam receptum fuit: ut nec in multis aliis, quas tamen ob neglectam fidei & doctrinæ puritatem, aut ob introductam morum licentiam nemo hucuſque merito potuit accuſare. Nec enim à quoquam hactenus idoneis & firmis argumentis demonſtratum fuiſſe vidimus, excluſionis aut ſeparationis Symbolum ex ea fieri debere, qua eccleſia colligi & ejus unitas conſervari atque foveri debet, quo nomine illam veteres σύναξιν dixerunt. Miror igitur, mi Chariſſime Ionvillæe, qua ratione dicas, me iſtis eccleſiæ temporibus calamitoſiſſimis novum quoddam & inauditum velut paradoxon invehere præter omnium expectationem. Cur enim novum & inauditum dicatur, quod in noſtra eccleſia jam inde ab initio per annos quinquaginta receptū fuit? Zuinglius certe beatæ memoriæ, primus religionis apud Helvetios inſtaurator, eadem diſerte ſcripſit in amica ad LutherumExegeſi, quæ hodie nos docemus & ſentimus. Idem etſi cum D. Oecolampadio amicitia & amore ſynceriſſimo conjunctus eſſet, nunquam tamen voluit excluſionem à cæna in eccleſiam Tigurinam introducere.* Et poſt: *quid vero D. Bullingerus, præceptor & pater meus unicè obſervandus, de hac cauſa ſentiat,*

ſentiat, ejus adverſus Anabaptiſtas liber abunde teſtatur, & ea imprimis quæ habentur Cap. 9. l. 6. &c. De Muſculo quid dicere attinet, qui dum eccleſiæ Germaniæ ſuperioris magis quam nunc florerent, Auguſtæ magna cum laude, & non minori poſtea Bernæ docuit? Is ut paſſim admonet, miniſtros de colligendo potius quam excludendo ſollicitos eſſe debere: it a in priorem ad Corinthios hoc negotium ſic tractat, ut non obſcurum ſit eum à noſtra ſententia minime eſſe alienum, Poſſem his adjicere Conſtantienſis eccleſiæ exemplum, &c. Et paulo poſt: *Contulerunt noſtra ætate ſæpius de hac cauſa viri doctrina & pietate eximii, & in eo ſemper conſenſerunt, diſciplinam in eccleſia neceſſariam eſſe (quod ipſi adhuc fatemur, imo urgemus & urgebimus, quoad vitam dominus dederit:) ejus vero rationem atque formulam cuilibet eccleſiæ liberam relinqui debere, ut ea utatur, quæ Eccleſiam ædificet, non concutiat aut evertat.* Hæc ille; qui in alia Epiſtola quoque ad generoſiſſimum Comitem Ludovicum Witgenſteinium ſic ſcribit: *Quod autem inter media ſalutis externa diſciplinam eccleſiaſticam numeras, etſi per ſe nequaquam improbem, rogo tamen Excellentiam tuam, ne ægrè ferat, ſi de hac re aliquid dixero, de qua hodie inter multos controvertitur, &, niſi quorundam ambitioſus rigor prudenti principum authoritate temperetur, turbas aliquando dabit majores quam ut facile ſedentur, & novam in Eccleſias tyrannidem invehet, pontificia nihilo tolerabiliorem. Eccleſias abſque diſciplina conſiſtere non poſſe, fatemur omnes, & ut ea ſanctiſſime inſtituatur atque ſervetur omnino neceſſe eſt. De hujus autem formula non inter omnes convenit. Veſtri homines præcipuum diſciplinæ caput in excluſione à cœna*

domini

domini conſtituunt : ad hæc, excluſis certum tempus præſcribunt, quo à communione abſtinere debeant: utque ſuam diſciplinam tueantur, ſenatu eccleſiaſtico opus eſſe dicunt, cui omnis loci & ordinis homines, ipſi quoque principes, ſubjiciantur. At iſta ejuſmodi ſunt, ut de eorum veritate pii & cordati non temere dubitent. Etenim non abſque cauſa quæritur, an cœna Domini, quæ ut communionis & ſocietatis Chriſtianæ Symbolon ſit, utque fidei conſervandæ ſerviat, à Chriſto inſtituta eſt, in uſum plane diverſum adeoque Chriſti inſtituto contrarium converti debeat, ut interim diſſociatianis & excluſionis organum & conſcientiarum carnificina fiat? Deinde, an non cum Pauli regula hoc pugnet, qui ut quiſque ſeipſum probet, non ut aliorum conſcientias curioſius ſcrutemur; juſſit? Item, an non durum & iniquum ſit, peccatorem, qui ſeria pænitentia tangitur, & quem jam procul dubio in gratiam receptum Chriſtus ipſe ſuo corpore & ſanguine paſcit, ab ejus menſa arcere, imo prohibere, ne mortem domini publicè cum eccleſia, cujus membrum germanum eſt, prædicet? Præterea, an non monſtri inſtar ſit, duos in uno populo magiſtratus inſtituere? Et poſt; *Emergent ergo hinc novæ tyrannidis cornua, & paulatim criſtas attollent ambitioſi eccleſiarum paſtores, quibus facile fuerit ſuos aſſeſſores in ſuas partes attrahere cum ipſi inter hos primatum teneant. Et hoc me non abſque ratione dicere, intelliget excellentia tua, ſi quæ ſpecimina veſtri illi jam apud vos dederint, diligenter quæſieris. Etenim à cœna abſtinere per illos juſſi ſunt ſpectatæ pietatis & probitatis viri, qui cur hoc juberentur, nunquam reſcire potuerunt: ſed ſufficiens reſponſum eſſe novis illis alienæ fidei dominatoribus viſum eſt, quod ipſi ſalua ſua conſcientia illos non poſſint admit-*

admittere. Ergo-ne propter moroſi aut importuni paſtoris conſcientiam vir pius à ſacro epulo abſtinere & in prædicando mortis Chriſti beneficio ſuum officium debet negligere? Tolerabilius multo pontificii præſules agunt, qui cur nos pro ſchiſmaticis & excommunicatis habeant, libere edicunt, neque nobis nos purgandi occaſionem eripiunt. Quid ergo fore ſperabimus, ſi quando regnum ſuum ſtabilierunt, cum hæ ſint diſciplinæ illius primitiæ, pro qua illi tantopere digladiantur? Mihi certe conſultius videtur, ut miniſtri intra ſuas metas ſeſe contineant, magiſtratibus vero committantur quæ ad morum & vitæ diſciplinam pertinent. Scio illos objicere, magiſtratus non ſemper officium facere, & proinde alio ſenatu opus eſſe, qui illos in ordinem redigat. Ego vero hanc conſequentiam nego, cum quod dicunt nullo exemplo prophetico ſive Apoſtolico probare poſſint. Miniſtrorum quidem eſt, principum ac judicum vitia moreſque corruptos corripere, eoſdem officii admonere (quod olim prophetæ feciſſe legimus:) ut vero eoſdem, ſi ſegnes eſſe pergant aut mali exempli authores ſint, alii magiſtratui mulctandos aut excommunicandos ſubjiciant, nuſpiam me legiſſe memini. Prophetas certè nihil hujus feciſſe conſtat. De Apoſtolis non opus eſt dicere, quorum tempore magiſtratus Chriſtiani nulli fuerunt. Quæ cauſa fuit, ut in eccleſiis ſeniores conſtituerentur, qui morum diſciplinæ præeſſent: quod hodie etiam fieri oportet ſub tyrannis fidei perſequutoribus. Alia longe eſt noſtrarum eccleſiarum ratio, quibus ex ſingulari Dei beneficio principes Chriſtiani date ſunt, qui etſi ſuos nævos habeant, tamen eorum authoritatem miniſtri tueri, non ex illis publica ſpectacula facere debent. Et tandem in fine ejuſdem epiſtolæ: *hoc potius opto, ut quæ per novatores aliquos*

invecta

invecta eſt confuſio, paulatim aboleatur: quod facile fiet ſi qui rectius & moderatius ſentiunt, tuto per illos agere, & quod animo ſentiunt, modeſte proponere aliiſque dijudicandum proponere poſſunt: Theologi vero à Reip. gubernatione & bellorum conſiliis atque aulicis negotiis ad ſuggeſtum & ſcholas remittantur: quæ propria illorum arena & palæſtra eſt, in qua ſe exerceant. Alia adhuc extat epiſtola ejuſdem Gualteri notatu digna, in qua ad Theodorum Bezam ſcribens, hæc totius controverſiæ capita proponit.

1. *Primum, an cœna domini, quam is communionis Symbolum & lætam atque publicam gratiarum actionem, pro præſtito nobis redemptionis beneficio, eſſe voluit, excommunicationi ſervire debeat, adeoque in uſum alium converti, quam qui nobis à Chriſto monſtratus & ab Apoſtolis traditus eſt?*

2 *Deinde, an ab ejus uſu arceri debeant ad certum tempus qui pœnitentiam profitentur, & cum eccleſia mortem domini annunciare cupiunt.*

3 *Denique, an ad menſam domini acceſſuro non ſufficiat, ſi ſeipſum probaverit, & fidem in ſeipſo invenerit vivam cum ſeriæ contritionis atque pœnitentiæ ſpiritu conjunctam?*

4 *Poſtremo, an ubi magiſtratus eſt Chriſtianus, preſbyterium inſtitui debeat, cui publica morum diſciplina, & quos illi meruiſſe putarint, à ſacris communibus arcendi poteſtas committatur? hæc, inquam, nobis præcipua videntur, quæ in hac cauſa controvertuntur. Nec enim nobis aliqua (ut puto) lis eſt de aliens à fide, de Chriſtianæ religionis hoſtibus & pœnitere neſciis, quorum incurabilis contumacia omnibus plus ſatis perſpecta eſt.*

De primo autem multi non temere dubitant, quando

do vident, quam periculoſum omnibus ſeculis fuerit Dei inſtitutis bono etiam Zelo abuti : nec ego videre poſſum, cur conſcientiarum carnificina ex eo fieri debeat quod fidei confirmandæ & recreandis afflictorum conſcientiis ſerviat, à domino inſtitutum eſt, & feres nos opinor patienter, ſi hic abs te diſſentiamus, &c.

Et paulo poſt : *In ſecundo capite major adhuc difficultas ſe offert. Nam ut conſtet aliquem excludi debere, non videmus tamen, eundem, ſi pœnitentiam profiteatur, diutius debere ſuſpendi, quo minus eccleſiæ ſacramentis communicet. Cum enim cœna domini publica ſit gratiarum actio, & ad fidei confeſſionem pertineat, durum nobis videtur, alicui obſtare, ne quod per ſe bonum, ſanctum & præcipuum eſt Chriſtiani hominis officium, faciat. Nitimini vos loco, qui Mat.* 18. *habetur, de quo multa dici poterant, quæ nunc brevitatis cauſa omittimus : ſed ut demus illic excommunicationem ejuſmodi præcipi, eadem tamen ejus loci authoritate non poterit longius extendi, quam donec qui excluſus eſt ſe pænitere fateatur, & culpam deprecans cum eccleſia reconciliari cupiat. Nam qui dixit ; ſit tibi tanquam publicanus & ethnicus, idem fratri peccatori ſeptuageſies ſepties remittere jubet. Quo præcepto Eccleſiam quoque aſtringi, non opinor negabitis : ſiquidem illic de excommunicatione agi pergetis contendere. Cur enim ecclesia, quæ ſolis Chriſtianis conſtat, rigidior ſit in vindicandis injuriis quam ſingulos eſſe deceat? aut qua ratione illa adhuc alienum ducet à familia domini, quem ipſe paterfamilias in gratiam recepit? Velimus nos exemplum adduci, quo probetur, Deum peccatores ad ſe converſos & veniam petentes non abſq; omni mora recipere. An non publicè in patrem,*

in

in fratrem primogenitum, in totam domum, denique in ipſos cælos peccaverat filius ille prodigus? an non ſcandalum domi foriſque dederat? Reverſo tamen & zelus confitenti mox ignoſcit pater, dignitati priſtinæ illum reſtituit, annulo reconciliationis reſtitutum ornat, & propter illum mactari vult vitulum illum ſaginatum, ut convivium paret, quo tota domus ſimul cum illo gaudeat. Cur ergo nos diutius arceamus eos à læto illo & ſalutari epulo eccleſiæ, qui eandem cum illo confeſſionem ædunt? cur ſatisfactiones præterea novas exigemus? At periculum eſt, inquis, ne qui pænitentiam ſimulent. Fateor. *num vero periculum hoc evitabimus, ſi totos annos à communione arceantur? Hypocritam certe impium nulla temporis mora emendabit.* Nec eſt *quod nos falli metuamus, dum dei patris manſuetudinem imitamur. Hypocritæ ſuo periculo nos fallent, ſibi ipſis judicium edent & bibent; nos extra culpam erimus.* Te *autem rogo, mi frater, an non ipſi quoque falli poſſumus, & eum Zelo inconſulto à cœna excludere, quem vere converſum ipſe Chriſtus jam ſuo corpore & ſanguine paſcere dignatur? quam vero indignum hoc fuerit, ei triſtitiam novam parere, quem dei filius in ſe gaudere vult? qua ratione rigorem eum excuſabimus, qui eum rejiciamus, quem dominus noſter ulnis expanſis complectitur? Hic certe periculum eſt, ne ſervi illius nequam ſocii deprehendamur, qui heri in ſe clementiam expertus, conſervum ſuum durius tractarit. &c.* Et mox: *quæ de præſbyterio in eccleſiis conſtituendi ſcribis, facile admittimus illic ubi magiſtratus non eſt Chriſtianus.* Nam *oportet aliquos eſſe, quorum authoritate in officio contineantur qui ad peccandum procliviores ſunt, ne relligio exterorum ludibriis exponatur. Sub Chriſtianis autem principibus*

cura

cura iſta iis commodius & tutius committi videtur, qui ad Reipub. gubernacula ſedent: & neſcio quam tuto novi magiſtratus poſſint creari, quia multa ſequantur incommoda, quæ nunc recenſere longum ſoret. Hoc tamen diſſimulare non poſſum, in Palatinatu nulla prius ſcandala tam atrocia incidiſſe, quam ea ſint, quæ ſeniorum illic conſtitutorum culpa acciderunt. Et quis obſecro eos poſt hac feret correptores, qui ſceleratiſſimum hominem Siculum Sodomitam, & eundem peſtilentiſſimum calumniatorem impune elabi paſſi ſunt, ne ad judices legitimos traheretur? Putarunt enim, lentius procedendum eſſe, ut ipſi ejus cauſæ cognitores eſſe poſſent. Hac ratione profectò illos mihi excuſavit homo Italus tibi probe notus & vir bonus, cum exemplum illud ei objicerem. Quid vero eſt magiſtratus partes ſibi vendicare, ſi hoc non eſt? eſt equidem inſatiabilis hominum ambitio & rari inveniuntur qui poteſtate ſibi data non inſolentiores fiant. Et ſi veteres hiſtoriæ evolvamus, maxima & nocentiſſima eccleſiæ ſcandala ex Epiſcopis & reliquis miniſtris enata fuiſſe patebit. Quod ipſum nunc in Germania quoque fieri videmus inter Lutheranos ſuperintendentes, qui nimia poteſtate armati nihil non licere ſibi putant. Quid vero de iis, qui Heydelbergæ hanc cauſam agunt ſperare poſſimus; ſatis nos una hæc audacia admonet, qua ſuæ ſententiæ ſubſcribere nolentes atheiſmi accuſant, & eos quidem viros, in quorum fide, doctrina, moribus nemo bonus aliquid unquam deſideravit. Quod ſi ergo novam in eccleſiis tyrannidem his principiis ſtabiliri poſſe metuimus, quis nos abſque cauſa id timere dicet? Quod autem alias ſcripſi, non obſtamus nos, quo minus ſuo ſenſu fruantur, qui illa diſciplinæ forma ſe utiliter uti poſſe vident. Hoc ſaltem monemus, ne eundem calceum

omnium pedibus induere, vel potius obtrudere conentur, neve ob rem adhuc controverſam, & cujus eadem formula ubique conſtitui non poteſt, eccleſias abs ſe invicem divellant, & novas concertationes texendo, lætum communibus hoſtibus ſpectaculum præbeant. Cum his plane conſentiunt à Bullingero ſcripta in epiſtola quadam ad Petrum Dathenum; ubi inter alia multa ſic ſcribit: *Quæ noſtra ſit ſemperque fuerit ſententia de diſciplina Eccleſiaſtica, ignorare non potes, cum quaſi nuper edita Confeſſione Helveticarum eccleſiarum, eam attigerimus breviter. Nunquam docuimus nos, nullam in Eccleſia eſſe debere diſciplinam, quam ſane neceſſariam eſſe fatemur. De modo & ratione hujus diſciplinæ non unum vel idem omnium eſt & ſemper fuit judicium. Noſtra eccleſia nunquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ immiſcuit cœnam domini myſticam. Neque ea de cauſa ab ullo unquam, quod ſciam, impietatis eſt accuſata. Neque habuimus unquam preſbyterium, vel talem ſenatum eccleſiaſticum, qui examinaverit communicaturos & ad communionem admiſerit aut ab ea excluſerit peccatores, illos, inquam, qui vel ſuo acceſſu ad cœnam poſt admonitiones ſerias & graves emendationem vitæ veluti promittunt, & gratias agere pro redemptione totis animis deſiderant. ſceleratos & offendentes eccleſiam alia ratione cohercendos eſſe & in viam reducendos arbitramur; qui exiſtimanus & credimus, Cœnam dominicam à domino eſſe inſtitutam, non ut ſit ventilabrum aut cribrum, quo cribentur aut diſpergantur ab invicem homines, ſed Synaxin, id eſt, coagmentionem, ſocietatem, communionem & conjunctionem, ad colligendos congregandoſque homines peccatores; eos putamus, qui peccatorum*

catorum ſuorum mole depreſſi peccata ſua agnoſcunt, hæc ſibi remiſſa per mortem Chriſti credunt, ideo jam ad cænam domini accedunt gratias acturi &c. Hæc ſane non debet tibi, mi frater, nova videri opinio, nuper à nobis inventa: cum in ſuperiore Germania inter eccleſias reformatas Tigurina, quæ ſemper ſic ſenſit, facile fuerit & ſit omnium prima, ut quæ anno 19 *ſupra* 1500 *plantari cæpit.* Et dein: *Quantum vero attinet ad Clariſſ. virum D. Huldr. Zuinglium b. m. primum harum eccleſiarum Helueticarum reſtauratorem, nihil ille nobis reliquit in hac eccleſia exercendum, quod non hodiernum uſque in diem fideliter cuſtodiamus. Neque enim unquam novandis permutantiſque, aut alternandis rebus in eccleſia ſtuduimus; ſcientes quanta inde mala exoriantur in populo, quanta denique Schiſmata & offendicula inde exiſtant, & quantam inde anſam conviciandi ſibi arripiant adverſarii. Nunquam vero Zuinglius diſciplinæ eccleſiaſticæ miſceri voluit cænam myſticam. Nunquam voluit cænam domini gratulatoriam & lætam redemptionis commemorationem vertere in triſte ſupplicium peccatorum, eorum inquam, qui peccata agnoſcentes, ad Chriſtum feſtinant, quem credunt tradito corpore & ſanguine ſuo fuſo ipſis peccatorum remiſſionem impetraviſſe, & credentes hoc, invitare ad hoc convivium ſacrum & myſticum. Addebat, apertum eſſe ſatis, quales ipſe Dominus primæ ſuæ cænæ, quæ haud dubie omnium fuerit abſolutiſſima, adhibuerit convivas. neque decere, ut nos Dei filio, qui ſolus corda filiorum hominum perſpecta habet, acutiores nobis ſumamus oculos, aut nobiſipſis in cæna ſumamus judicium, quod ille nobis neque præcepto neque exemplo dedit. Attigit hujus*

cauſæ aliquid in amica ſua ad Lutherum Exegeſi, *Tomo operum ejus* 2.*fol.* 359. 6. Et in progreſſu ejuſdem epiſtolæ : *Neque variat*, *inquit*, *ab his tantillum D. Muſculus* , *egregium Chriſti organum*, *& celebris eccleſiæ Dei doctor*, *Bernenſis eccleſiæ miniſter & profeſſor Theologus*. *Quid enim ſcripſerit de diſciplina eccleſiaſtica in Locis illis ſuis Communibus ſub titulo* , *de Miniſtris verbi Dei* , *nemini eſt obſcurum*. *Ex his autem omnibus claret* , *me hac in cauſa nihil ſentire* , *vel à Zuinglio vel ab eccleſiis vel doctoribus Helveticarum eccleſiarum qui nunc vivunt*, *& jam inde vixerunt in eccleſiarum gubernatione*, *ab annis* 50 *diverſum &c.* Sunt hæc Theologorum teſtimonia, quæ paulo latius referre viſum fuit, non quod veritatis aliquod præſidium in his quæram, ſed quia oſtendere volui, ſi doctorum ſuffragiis definienda ſit hæc cauſa, non deeſſe ex reformatoribus & quidem primis ac præſtantiſſimis, qui eandem nobiſcum ſententiam olim ſint tutati, eaque affirmarint, quæ hactenus adverſus Grallatorem defendi, & pergam defendere, niſi melioribus rationibus ex verbo Dei edoctus. Hoc enim evidens eſt, non certa fide credere, quæ ſcribunt, Walachros turbones, ſed faſtu & ſuperſtione, hoc eſt, Antichriſti toxico inquinatos. Quare, ut ſemel his tractandis finem imponam, claves Walachro-papiſticas Apollonii (de quibus nunc ſatis) in faſcem colligabo, & inter Antichriſti ſcruta (unde depromptæ ſunt) in angulum abjiciam ; ne iis vere Anus Apollonius, tanquam tragica furia (ut cæpit) omnibus Chriſtianis, maxime piis magiſtratibus, damni & dedecoris tubera pergat incutere.

Affi-

Affine eſt poteſtati Cenſoriæ *Ius nomotheticum*. Cenſura enim locum non habet niſi in *delinquentes*: non delinquitur niſi in *leges*: ergo, ut occaſio fiat hierarchis multum cenſurandi Chriſtianos, multæ leges tanquam decipulæ iis ponendæ ſunt, quibus trangreſſis cenſoria poteſtas ſe oblectet. Ita ſuam tyrannidem excolit papa. Poſuit jam diu Chriſtianis tot leges, ut nec tota *Biblia* nec *Corpus Iuris* comparanda ſint *decretis* Pontificum: unde impoſſibile ſit hominibus ita vivere, quin in aliquo delinquant, ex quo naſcitur ſtatim Papæ *Ius puniendi*, ac dein beneficentia *indulgendi*, qua pœnam illam remittit & diſpenſat, ſed primum numerato pretio: ut nemo oculatus non videat, illam Antichriſticam officinam artificioſe adornatam eſſe ad honorem Papæ & commodum.

Grallator noſter eandem veteratoriam mechanicam ex illius inſtitutis bellè quoque didicit. Non modo enim pro ſanctiſſimo venditat corruptum jus ſuæ cenſuræ Eccleſiaſticæ; ſed quia videbat ſibi occaſionem non eſſe cenſurandi, niſi multæ leges eſſent, in quas poſſent delinquere Chriſtiani; hinc præ cæteris quoque contendit de mira ſanctitate *Iuris nomothetici*: de quo paucis diſſeram.

Ac primò notanda eſt familiaris huic homini vertigo, quam tanquam lepram à Jeſuitis contraxit, quod, vel oblivione, vel impudentia, idem nunc ajat, nunc neget. Multis enim locis tuetur Eccleſiam habere jus faciendi *leges*, quas populus Chriſti teneatur humiliter obſervare; quod jus dicit eſſe ſanctum & tam liberum, ut Chri- Part. 1. p. 3. & paſſim.

ſtus pro eo ſanguinem effuderit, & clamat, ſacrilegum futurum magiſtratum, ſi in hoc impediat eccleſiaſticos.

Part. 2. p. 231. At alibi quoque acriter & apertis verbis defendit, Eccleſiam non labere jus faciendi *leges*. *Non enim debet ſervus in domo leges facere* (inquit,) *ſed dominus*. Quod quis non videt eſſe ναὶ καὶ οὐκ & contradicens in adjecto ? Fateor, non eſſe tantæ ſimplicitatis noſtrum veteratorem, ut non frivolo cavillo conetur elabi. Addit enim, Eccleſiæ leges non eſſe *leges proprie dictas* : ſed quid ? tantum διατάξεις .i. ſtatuta : quam artem ex eadem Papæ ſchola didicit, qui, ut eſt Apocalyptica meretrix meretricia impudentia, ſub honeſtis nominibus impuriſſimam ſpurcitiem occulit. Nil familiarius Bellarmino, quam quod *Idololatriam* vocet *venerationem ſanctorum* : Tyrannidem Papæ, *Paſtoratum Petri* : ingentes rapinas Papæ, *patrimonium Petri* : tam effrenis denique eſt impudentia Papæ, ut auro gemmiſque rigens in amburbiali feſto tamen aperte clamet, *aurum & argentum non habeo*. Non eſt, fateor, ad Papam noſter Grallator niſi puſio. In hoc tamen, ut in cæteris, eum æmulatur, ut aliud fere dicat, aliud cogitet & credat. Etſi enim fatetur, ſuas leges non eſſe *leges proprie dictas*: tamen ſcit, ſe hoc pro forma tantum dicere ad incautos fallendos : revera enim hoc ſentit, & ad ravim tuetur, Eccleſiaſticas ſuas διατάξεις & ſtatuta, quocumvis blando nomine vocentur, eſſe habenda pro legibus. Quia enim præſcribunt Chriſtianis, quid debeant facere vel vitare, ſub graviſſima pœna, ut poſt oſtendam, quis non

non videt, legum naturam habere illas διατάξεις? ut hic circulatoriam γοητικὴν iterum ludat in ſuis ſanctitatibus venditandis. Inter varia enim, quibus abundant illi mangones, artificia, hoc unum eſt, quod per tenebras ambulantes ſub verſatili calyptra, magnitudinem ſuam poſſunt pro arbitrio in immenſum augere ac minuere; tam brevi momento, ut etiam catioribus imponant, non eſſe eandem perſonam, quam viderant, ſubitò tam magnam & parvam. Si propoſitum fuit illi Walachro (qui nil non) hanc artem quoque ab illis nebulonibus diſcere, fateor ſtrenuum diſcipulum eſſe, ac dignum qui in illorum ſchola Ariſtotelis Bracca coronetur. Ne tamen incautis imponat hac arte in ſuarum legum ſanctitate ſubito augenda & minuenda, paucis rem expedire viſum eſt.

Id primo ſtatuam, Eccleſiaſticis (οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, *qualia nunc hominum producit corpora tellus*) nullum eſſe jus nomotheticum, aut faciendi leges proprie dictas in rebus Eccleſiaiſtcis. Neque hic multum intereſt vocis ambiguitas, *leges* an ſtatuta vocari debeant. Statuta enim ſunt quoque leges, *cum vetant, puniunt, permittunt, jubent, & obligant omnes ad obſervantiam.* Obſervantiæ autem defectus ſupponit pænam. Inde apparet, poteſtatem leges faciendi eſſe penes illum tantum, qui habet potentiam quoque *puniendi.* Unde hæc tota poteſtas nomothetica vocatur *Iuriſdictio:* quæ conſiſtit in *ſtatuendo*, hoc eſt, legem faciendo & exequendo: ut tritum ſit juriſconſultis, nemini hanc poteſtatem convenire, quam qui *majeſtatem* habet & ſupremam poteſtatem.

l. 7. d. de juriſd. l. 9. 10. c. de leg.

 Lex

l. 1. 2. D. de juriſ. l. fin. ſ. 1. D. de eo cui man. eſt juriſd. *Lex enim eſt ſupremæ poteſtatis decretum. Et ſine pœnæ & exequutionis poteſtate ſtatutio legis nulla eſt. Sine imperio non eſt juriſdictio.* Qui enim judicare tantum poſſunt & exequendi imperio carent (ut pedanei judices) ii juriſdictione carent. l. 5. 15. D. de re jud. l. fin. c. ubi, & apud quem cogn. in int. reſt. Ex quibus liquet, quantus orbis perturbator & confuſor ſit papa, qui monſtra hæc protulit; ut ex ſummo Imperatore fecerit carnificem; ex pedaneo quoque judice ſummum imperatorem. Sibi enim ſumſit ſummam poteſtatem, de Eccleſiaſticis, & ſub hoc prætextu de politicis judicandi & ſtatuendi. Ne tamen Eccleſiaſticam ſanctitatem ſuam pollueret, abſtinet ab exequutione & uſu gladii. Geſtat quidem & oſtentat eum politicis, quaſi exprobrans iis, quod eum illis eripuit. Non ſtringit tamen per ſe niſi rariſſime, ſed regibus præcipit, ut ſuo edicto ſtringant. Sic Principibus quidem concedit poteſtatem exſequendi; ſed Judicandi & ſtatuendi eis eripuit; ut jam omni judicandi poteſtate orbatus Princips, tanquam magnus carnifex & Cyclops oberret, ad hoc tantum gladio armatus, ut Papæ, portentoſiſſimo illi Tyranno, ſerviat.

Grallator noſter Papæ pantomimus iiſdem talaribus ſaltitat. Fatetur, ſe ſubjectum eſſe Principibus; ſed non in Eccleſiaſticis. Illic enim arrogat ſibi jus ſtatuendi leges ipſis quoque magiſtratibus, quibus teneantur quoque ipſi parere, & ſe ſuaque ſubjicere; ac ſi non obediant, divino jure cenſurandi & excommunicandi dicit ſe eſſe armatum, ac ſi aliquis audaculus illis

ſtatutis

ſtatutis & pœnis non ſatis pareat, magiſtratus officium eſſe ut Eccleſiaſticos cumulet, & juvet ſuo gladio, quem ſtringat ad nutum Eccleſiaſticorum, ad puniendos refractarios, ut ſtatuta illa Eccleſiæ ſervent: quod quis non videt eſſe ideam papatus?

Omnibus piis ratum eſt, ſoli Deo & Spiritui ſancto convenire, de cultus & æternæ ſalutis neceſſariis leges ſtatuere. Uti enim obedientiam ubique poſcit Deus, ita imprimis in cultu ſuo vult legibus ſuis ſolum adhæreri; ut pro ſtupenda audacia habeat, *ſi homines audeant eum colere præceptis humanis*. Tam rigidus in hoc eſt, ut non ſubſtantiam modo cultus ſui, ſed ritus & circumſtantias ex ſuo præſcripto velit obſervari; quod videre fuit in illuſtri Samaritanorum exemplo: qui ex captivitate domum reverſi vorabantur à leonibus: *quia Deum non colebant*: & tamen ibi quoque dicitur, quod Deum colebant: unde patet eos, ſubſtantia cultus obſervata, ritus & circumſtantias neglexiſſe.: in quem finem mittebantur Babylone ſacerdotes, qui melius eos docebant ritus cultus quo remedio dein à leonibus liberati ſunt. Ut jam apertum ſit, omnem cultus ſacri ſubſtantiam & neceſſarias circumſtantias ab ſolo dei ore & præceptis petendas eſſe. Et quia id nuſquam nunc conſuli poteſt, quam in ſcripturis ſacris: evidens quoque eſt, nil pro lege & ſacro inſtituto ad ſalutem neceſſario nunc habendum eſſe, quam quod in ſcripturis apertè exſtare conſtet; ut nonniſi in adiaphoris & non neceſſariis nunc verſetur tota quanta quanta eſt poteſtas Ec-

1 Sam. 15.
Jeſ. 29. 13.
2 Sam. 17.

cleſiæ nomothetica: cui tamen has leges præfigam.

1. *Ne temere aſſumantur ritus & cærimoniæ in cultu, quæ non habeant apertam convenientiam cum verbo Dei; & illuſtri rationis momento ad decorum & ordinem cultus requirantur.* Papa hic pro regula ſibi ſumit *intentionem religioſam* (ut dixi) quo prætextu cærimonias cottidie in immenſum auget, ut Chriſtianos deprimat & ſe extol-

part. 1. p. 2. lat. Grallator hanc πολυνομίαν Papæ imitari volens, eandem regulam quoque ſtatuit; quæ tam laxa eſt, ut quotidie poſſit invenire, quo ſe oblectet, novas leges & ritus ſomniando, quos dein ſuo populo promulget & eructet, ut ſervitium iis exprobret.

part. 2. p. 123. Non inficior, eum quoque hic (ut in ceteris) alibi ſibi contradicere. Tam rigidus enim illic eſt; ut *ſuperſtitionem* eſſe dicat, *cum quis ſine lege divina actum aliquem aſſumit in uſum ſacrum, & ei dat in cultu divino ſtatum.* Quod vel vertigini hominis tribuendum, vel fallendi ſtudio. Si enim nullum actum admittit in religione, quam qui in ſcripturis apertè continetur; cur ſub tanto ſacrilegio abſtinet Magiſtratus pios à legum eccleſiaſticarum conſtitutione, ut ſacrilegos eſſe clamet, ſi pii politici, per ſe, vel non per Eccleſiaſticos, Eccleſiaſticas leges faciant? Annon licet piis principibus præcipere hominibus, ut Chriſti leges & ſtatuta in ſcripturis obſervent? an hoc tantum intereſt, utrum id præcipiatur à piis politicis, an ab Eccleſiaſticis ſtatuatur; modo Chriſti legibus conveniat? Garrit enim aper-

part. 2. p. 141. te Vere anus alibi, non *licere politicis Eccleſiaſticas leges*

leges facere, quia *debeant ſpirituali juriſdictione ferri hæ leges.* ut neceſſario ſpiritualitatis quoddam myſterium latere debeat in Eccleſiaſticis; ut leges eædem, de iiſdem rebus, ſive neceſſariis, ſive adiaphoris latæ, ſpirituales fiant, ſi à Spiritualibus, ſcilicet Eccleſiaſticis, ferantur; profanæ autem, ſi à piis politicis: quod non didicit Grallator à ſuo Calvino, ſed ab Jeſuitis, quibus tam vetus eſt, de ſuarum Eccleſiaſticarum legum ſanctitate ſpirituali gloriari, ut eorum morem alibi venuſte perſtringat Calvinus, cujus verba adſcribo.

Hoc prætextu Pſeudepiſcopi conſcientias novis legibus onerant, quod ſint ſpirituales legiſlatores, à Domino conſtituti, ex quo illis commiſſa eſt Eccleſiæ gubernatio. Unde videat ſuum morbum Apollonius cum papiſtica ſcabie valde convenientem. Non eſt obſcurum, quo fine tantopere contendat Papa pro hac ſpiritualitate leges faciendi. Non vult enim videri à Chriſtianis is qui eſt, videlicet Antichriſtus & heri ſui legum everſor: ſed obtentu ſpiritualitatis ſibi arripit jus declarandi, quid cum Chriſti legibus proprie conveniat, quid non; quod dicit laicis non convenire; quo jure tam belle utitur, ut quod Chriſtus dixit: *bibite ex hoc omnes*, ille dicat, *ne bibite ex hoc omnes*: quod ille dicit Populo; *ſcrutamini ſcripturas*, hic dicit, *ne ſcrutamini*, ſub pæna capitis. Item, *connubium honeſtum eſt omnibus*: Papa explicat, connubium illicitium eſt & inhoneſtius clericis quam ſcortatio. Multas leges hoc modo Papa dedit ex ſacra ſcriptura, ſed beneficio

lib. 4. inſt. c.x. §. 6.

beneficio interpretatoriæ ſpiritualitatis. Non obſcuris indiciis prodit Grallator, ſe illud axioma ſic quoque intelligere, ex *divinæ lege tantum ſumendos eſſe actus cultus*, videlicet dialecto Papæ; ut Apollonio & ſimilis farinæ *Spiritualibus* ſolis, neutiquam *carnalibus politicis* conveniat explicare, *quidnam ex lege divina proprie ſumatur*. Hoc eſt novum myſterium iniquitatis, quod parturiunt Walachri iſti circulatores; ex *authoritativæ* prædicationis privilegio iis quoque ſolis eſſe *ſpirituale jus nomotheticum*, & leges vel ſtatuta quotidie Chriſtianis promulgandi, non extra vel contra ſcripturas (hoc enim eſſet infame novis illis papiſtis:) ſed ſecundum ſcripturas; ea lege tamen, ut ſub ſacrilegio nemo politicorum audeat inquirere illas ſacroſanctas Eccleſiaſticas leges; ſaltem, non ſtatuere, vel ſtatutas abolere per ſe. Non eſt enim boni filii, ita inquirere in acta Patrum, ſed quomodocumque latis legibus, ut ſpiritualiter a ſpiritualibus, eſſe parendum. Hac ἐνέργεια & efficacia decipiendi ſi ſemel excæcentur pii magiſtratus, brevi (ut Papa fecit) ſub prætextu ſcripturæ ſacræ omnia commenta obtrudentur; ut ſi non in Wallachria Monaſterienſem Becholtii commœdiam ludat Grallator, ſaltem in confæderata noſtra republica duo regimina ſeparata exiſtant, quorum alterum ab altero independens & contrarietate legum repugnans ſit. Hæc moliri novos illos papiſtas, ſub ſuæ nomotheticæ ſpirituali libertate, apertiſſimum eſt; & alibi apertis inditiis illuſtravi.

2 Non ſufficit, ut in novis cultus ceremoniis

ſta-

ſtatuendis Scripturæ adhæreatur, ſed hoc cavere debet hodie Eccleſia, ne in his adinveniendis liberalior ſit. Sicuti enim innato hominum vitio ex majoritate facile oritur faſtus; ita ex minoritate citò naſcitur ſuperſtitio ac dein ἐθελοθρησκεία ni caveatur, ultimò idololatria. Raro enim hic modus ſervatur, quin à gradu ad gradum fiat progreſſus: quod egregiè inſinuat in pſeudapoſtolis Paulus; qui Coloſſenſium libertati in- Col. 2. 21.
ſidiantes, primò præcipiebant, *ne comedas*; altius *ne guſtes*: ultimo *ne tangas*: multo enim præciſius eſt rem *non tangere*, quam *non guſtare*, rurſus *non guſtare*, quam *non edere*. Ita in Papatu videmus, ex parvis principiis, & quandoque non malis, ortos eſſe ritus, quibus dum quiſque adderet, excrevere tandem in jugum ceremonialius quam fuit Judæorum. Hoc deſiderio ſi non æſtuaret illa Walachra cohors; non urgerent tot conatibus legum ponendarum in Eccleſiis ſacram & ſpiritualem licentiam.

Tertium, quod obſervari velim, ne legibus nimis magnus adſit rigor. Fiunt enim tantum de rebus adiaphoris, quæ non religionem proprie, ſed ordinem & mutabiles circumſtantias ſpectant: de quibus tam authoritativè præcipere, non eſt patrium ſed tyrannicum. Non poteſt majus exemplum moderationis hic poſtulari, quam exſtat in Apoſtolica Eccleſia. Cum Act. 15.
enim Hieroſolymis omnes congregati, de pace & legibus Eccleſiæ deliberarent, etſi veri eſſent plenipotentiarii, tam parum authoritativi rigoris exercuerunt, ut non niſi ex conſenſu & decreto totius Eccleſiæ corporis ſtatuta ſua definirent

finirent; & tanta moderatione Eccleſiis Syriis ea imponerent, ut quaſi precariò iis commendarent, & permitterent, quamque Eccleſiam fere tanquam liberè non ſervare, ac paulo poſt abolere, cum neceſſitas non urgeret: uti in ſequentibus oſtendam. Qui Paulum de ritibus & cærimoniis videt diſponentem, facile advertet, nil magis caviſſe, quam ne Chriſtianorum conſcientias jugo legum obſtringeret ac prægravaret. Dicit enim: *Hoc dico ego, non dominus: de hoc præceptum non habeo, hoc vobis dico, non ut præceptum, ſed conſilium: judicate vos ipſi, an ſit decorum*: ut tandem concludat, nil à ſuo & Eccleſiarum Apoſtolicarum more magis alienum fuiſſe, quam de ritibus & cærimoniis acriter contendere, aut nimis imperioſe mandare: ut quaſi jam tum præſagiens, imperandi typhum Eccleſiaſticis excuteret, & Chriſtianos doceret, in non neceſſariis obſervandis eſſe moderatos: ut mirandum ſit, tali cum exemplo & monitis non potuiſſe perverſum hominum fervorem ita compeſci, quin non exiles modo, ſed magnæ dignitatis viri aliquando nimio fervore abriperentur. Cujus inſigne exemplum præbuit apud P. Martyrem Hopperus Gloceſtriæ Epiſcopus; qui ob veſtium albarum, Galeri & aliarum cæremoniarum uſum (qui tum ex papatu remanebat in Anglia) ita movebatur, ut deceſſum ab Epiſcopatu minaretur, cujus fervorem præpoſterum doctiſſimus Martyr ſapientiſſimo ſcripto ſedavit.

Ipſe Clariſſimus Calvinus, Genevam primo vocatus,

vocatus, de circumſtantia panis non azymi, in cæna utendi, ob Judaiſmi ſini fugam, tam acriter cum ſuo magiſtratu contendit, ut, potius quam cederet, cum Collegis ſe pateretur urbe extrudi: cujus rei pænitentiam poſt indicavit, dum Genevenſem aliaſque Eccleſias dein ſcripto monuit, de hac aliiſque cærimoniis non contentioſe rixari.

Ad has regulas ſi examinetur Romanus pontifex, facile Antichriſtum ſe præbet. Non modo enim extra ſcripturam innumeris decretis & legibus Chriſtianos obruit; ſed tam regidus eſt in ſuarum legum patrocinio, ut plus puniatur fere, qui Papæ ſtatutis non pareat, quam qui apertiſſimas Dei leges tranſiliat.

Nuſquam ab ejus veſtigiis deflectit Grallator; dum de jure ſtatuendi leges Eccleſiaſticas hodie tam acriter contendit, ut *Chriſti ſanguinem* & *omnia ſacra profanari* clamet, ſi hocjus Politicis concedatur, vel Eccleſiaſticis quovis modo incommodetur. Quis enim niſi impoſtor perſuaſerit, tam myſticam ſanctitatem latere in ſtatuendis adiaphoris, hodie qualia ſunt, an quis aperto capite orabit, an operto? ſtans, geniculans, an ſedens? deorſum flexis an ſurſum conjectis oculis? quo die conventus haberi debeat? ſerius an maturius? quo loco & quibus veſtibus ſacris ſervietur? noctune an interdiu (quod fecit Chriſtus) celebranda ſit cæna? vitro an argento infundẽdum ſit vinum? pane fermentato an infermentato, ſit utendum? ſollne prædicatori conveniat ſacramenta conferre, an ſenioribus quoque & cui-

& cuivis pio, ut inter Apoſtolos factum? an prædicare liceat ſoli, cui manus impoſita eſt, & non cuivis adhoc melius ſæpe inſtructo, licet laicus habeatur? ſoli prædicatori conveniat jus conſecrandi, hoc eſt, manum imponendi? an quoque omnibus ſenioribus, & Eccleſiæ membris, modo confuſio vitetur, & innumera alia, quæ ſubſtantiam & ritus cultus neceſſarios non tangunt; in quibus ordinandis cum nil prorſus ſublime ſit, quod non omnibus laicis (ut loquuntur) facile fuerit, nedum piis politicis ſtatuere; tamen infandi myſterii, ſanctitatis obtentu ita ſemper ampullatur, ut perſuadeat omnis pietatis & religionis terminos pervertere, qui hic aliter quam ex ejus arbitrio agat, aut ſentiat. Adde, quod in hoc quoque Papæ imitator ſit, quod plus fere rigoris ſtatuat in ſuis Eccleſiaſticis legibus inculcandis & venditandis, quam vere divinis: Id enim Papæ ut Antichriſto alibi exprobrat. Sed *calcariam* (quod dicitur) fugiens *in carbonariam* perpetuo incidit. Quotidianum eſſe ajunt illi vere Ano, nova ſomnia parturire; maxime quæ ſerviunt majeſtati Eccleſiaſticæ ſtabiliendæ, Politicæ contra proculcandæ: in quibus tam zeloſus eſt, ut fere de non ſervandis nativitatis Chriſti aliiſque feſtis, de exterminanda organi ſymphonia, de ſanctitate ſpiritualiſſima diaconatus, & aliis nugis, acrius contendat, quam de Chriſti tota paſſione & meritis inculcandis, ut ne *Curtius* aliquis *Comatum* acerbius exagitet, quam is ſeu politicum ſeu Eccleſiaſticum, quoties audeat ſuis nugis obſiſtere: contra nil officiat,

Part. 2. p. 236.

quod

quod quis infamis ſit, ſeditioſus, clientium helluo, fraus, omniumque nequitiarum ſaburra, quin Eccleſiaſtica poteſtate defendat, modo hoc encomio ornetur, ut magiſtratus dignitati apertè vel clauculùm illudat. Nuſquam tam catus eſt in Papiſtica lepra occultanda, quin fere quas alibi tegit cruſtas, alibi in publicum ipſe producat. Multus eſt in exſibilando Papa, quod leges hodie ſciſcat, quæ *conſciëntias Chriſtianorum obligent* : & tamen, qua eſt vertigine, non modo effuſus eſt in juris nomothetici ſanctitate extollenda, ſed de legum ſuarum neceſſitate ita ubique garrit, ut legibus Dei & Chriſti apertis æquiparet: Clamat enim tantæ authoritatis eſſe hodiernæ Eccleſiæ leges & ſtatuta, ut ſi quis eis non modeſtè pareat, *Cenſura minori ac majori ſit plectendus* ab Eccleſia. Quod nemo non videt conſcientias Chriſtianorum tangere. Quid enim gravius ſtatuet adverſus ſcortatorem, adulterum, blaſphemum, & apertum contemptorem legum divinarum, quam ut virga cenſurali plectat & excommunicet? Adde, quod non poſſit majus ſupplicium infligi, quam ut Cæli communione quis excludatur. At, ſi Apollonii figmentis creditur, cælo excluſus eſt, quem is excommunicat. part. 2. p. 238.

Credo hic tacitè ſecum ridere Grallatorem, quoties ſuæ Cenſuræ terriculamentis ſimplices homines percellit; quæ ſcit ipſe ludicra eſſe, & nullo alio fine ab ſe adhiberi, quam ut regnum ſibi in bona, corpora & conſcientias hominum comparet. Sed ego nunc

rem æſtimo ut eſt, ac ut quiſque pius de ea poſſit judicare. Certè, ſi excommunicatio major eſt pœna legum Eccleſiaſticarum; ſi excommunicatio eſt clavis cælum vere claudens, (ut Walachri ſtatuunt,) quis non videt hoc conſcientiam tangere, ut quis cælum inveniat clauſum Papæ vel Grallatoris clave, quoties Walachris commentis & ſtatutis non ſubſcribat, ſed refragetur? Fateor, non tam infacetè papalem hanc hiſtrionicam ludere Apollonium, quin venuſta quoque diſtinctiuncula hunc nævum deliniat: dicit enim, *pœnam non infligi ob rem aut legem quæ adiaphora ſunt, ſed ob contumaciam.* quaſi dicat magiſtratus; non occidi latronem, quia cervicem inſonti fregerit, ſed quia mors inde ſequuta ſit. Sed ego hoc nego *contumaciam eſſe*, cum quis figmentis & nugis Eccleſiaſticorum conſtanter obſiſtit. Sive Apollonius, ſive Walachra claſſis, ſeu Papa, obtrudat aliquod commentum, nunquam mentientis tanta eſt authoritas, quæ poſſit efficere, ut mendacium veritas fiat. Ergo cum Eccleſiæ quod falſum eſt obtrudit, vel rem adiaphoram ut neceſſariam imperat, quia fallit, non eſt pertinax is qui tum obſiſtit Eccleſiæ; ſed contumax ipſa Eccleſia, quæ in ſuis figmentis perſiſtit: ut hic in Papæ orcheſtra paſſim ſaltitet Walachrus iſte Momus, dum non modo concionatoriæ, cenſoriæ, ſed legiſlatoriæ ſuæ prætextæ lacinias ita extendit, ut non aliter peccare perſuadeat qui humano & vitioſo ſuæ Eccleſiæ verbo & decretis non auſcultet, quam qui apertis Chriſti oraculis refragetur. Fingit, inſeparabilem eſſe ὑποταγὴν ſubordinationem inter

part. 2. p. 323.

ſe &

ſe & ſimilis farinæ prædicatores hodiernos, ac Chriſtum, & inde exiſtere ἐπιταγὴν quaſi αὐτοκρατορικὴν & jus imperiale docendi ac mandandi Chriſti populo, tanto imperio, ac ſi Chriſtus ipſe mandaret: ut nil familiarius illis nugonibus ſit, quam cum Papa perſuadere hominibus, *Chriſtum audire qui ſe audeant, Chriſtum rejicere qui ſe rejiciant.* Id temerarium aſſertum ex Papæ ſchola deſumtum ut videat Grallator, pergratum faciet, ſi excuſſis *intimiæ* ſuæ *theologiæ* loculis, conetur ſe hoc circulo ac labyrintho expedire, quem hic intertexam; & quia veteris ac novi papiſmi coronam hic tangam, componam me ad gravitatem quantum poſſum, ne de re tam grandi jocari videar. Quæram enim, an, qui docentem & mandantem Apollonium audit, Chriſtum ſemper audiat? ſi ait, tum erit Papa & infallibilis: ſi negat, (uti ex hoc libello conſtat, Grallatorem multa falſa docere ac ſtatuere,) tum quæram ulterius, quando Chriſtiani certi erunt, Apollonium vera proferre? reſpondebit tunc, cum ſcripturis convenientia prædicat. Recte; ſed quæram ulterius, an ſemper ſcripturis convenientia prædicet? ſi ajat, tum erit Papa & infallibilis; ſi negat, quæram porro, quando ſcripturis conſonantia prædicet? reſpondebit, tunc cum, pro linguarum peritia, phraſin expendit, circumſtantias loci excutit, & parallelis locis omnia illuſtrat. Recte: ſed quæram iterum, an hoc ſemper bene faciat Apollonius? ſi ajat, tum erit Papa & infallibilis. ſi negat, quæram ulterius, quando conſtabit, Apollonium hoc bene facere? reſpondebit, tunc cum dili-

diligenter ſtudet, & devotè orat: ſperandum enim eſſe, ut aſſiſtentia Dei tunc juvetur ne à veritate deflectat. Sed hic bimembris orietur quæſtio: primo enim quæram, an conſtet eum ſemper bene orare & laborare? qui enim hos centones leget, ſuſpicabitur magnam partem precum & laboris ejus huc impendi, ut politicam majeſtatem deſtruat, & Eccleſiaſticam ſibi comparet. Sed ego nunc ſtatuam, bonum Apollonium bene omnia agere: quæram ergo iterum, utrum bene orans & laborans Apollonius vera ſemper prædicet? ſi ajat, tum erit Papa & infallibilis: ſi neget, quæram iterum, unde ſcire certò poſſit Chriſti populus, Apollonio bene laboranti & oranti adeſſe Spiritus gratiam infallibilem? Nuſquam hoc promittit Deus in ſcripturis de Apollonio & hodiernis legiſlatoribus. In Apoſtolis & Prophetis theopneuſtis hoc verum fuit: ſed hoc de Papa verum eſſe mentitur ipſe & omnes Jeſuitæ ejus ſatellites: ac ſi de ſe ita auderet gloriari Walachrus ille pepo; ex hoc ſuo libello refutaretur; ad quem ſcribendum licet ſpiritualiſſime laboravit, tamen apparet eum multas blaſphemias & ſplendida mendacia protuliſſe. Hic ergo depræhenſum tenebo & fraudis reum, quod jactat Chriſtum mandantem audiri propter inſeparabilem ὑποταγὴν, quoties Apollonius (verbi gratia) Chriſti nomine & legatione (ut loquitur) mandans auditur: niſi incidere velit in hoc abſurdum, quod dicat Chriſtum in Apollonio mandantem audire, qui Apollonium mentientem audit

audit, quod ſentiet, opinor, eſſe blaſphemum ut hactenus conſtet, fallere Apollonium, qui perſuadet incautis, dicta & mandata Eccleſiaſtica ſua & Walachrorum papiſtarum habenda eſſe pro dictis & mandatis Chriſti; cum jam conſtet nullo certo inditio poſſe hoc perſuaderi Chriſtianis ut indubitatè credant, immo contra ex dictis & ſcriptis Walachris, ob mendacia blaſphema quibus ſcatent, apparere, non Chriſti ſpiritum in illis loqui, qui ſemper verax eſt; ſed potius Antichriſti, qui mendax. Una hic rima eſt, qua elabatur: dicet, credo, ſe ſubjicere ſuam prædicationem Judicio Conſiſtorii; & quia à tot illic prophetis approbatur quod Apollonius ſtatuit, nil æquius eſſe quam ut ſpiritus prophetarum Prophetis ſubjectus ſit, & ſic Populus prophetanti Apollonio credat.

Sed hic iterum quæram, an verum ſit quidquid Conſiſtorium Mittelburgenſe probat? Si ajat, tum id Conſiſtorium erit Papa ac infallibile. ſi negat, quæram ergo, unde ſciri poſſit Conſiſtorium non errare? Dicet cum Claſſis tota Walachra id probabit (ita videmus eum proceſſiſſe in his centonibus canoniſandis:) ſed rurſus quæram, utrum infallibile ſit quidquid Claſſis Walachra probat? ſi ajat, tum Claſſis Walachra erit Papa & infallibilis: (non credo tamen alias Claſſes Zeelandiæ hoc concedere velle Walachræ ſpiritualitati, ut infallibile ſit quidquid illi approbant) ſi negat, tum quæram iterum, unde ſciam Claſſem Walachram non errare? dicet opinor, ſi omnes aliæ Claſſes Zeelandiæ, hoc eſt, Synodus id approbabit: quærum, an

 infalli-

libile ſit quidquid Synodus Zeelandiæ ſtatuit? Id, credo, negabit Hollandiæ & aliarum Provinciarum Synodus: & ſic Synodus Zeelandiæ eſſet Papa, & infallibilis. Inde adſcendet ad Synodum omnium Provinciarum: dein ad nationalem, poſt ad Generalem, & ultimo in infinitum: ut hic nullum exitum invenire poſſit Grallator, niſi deſinat in unum Papam: cujus judicio, ſive erret ſive non, parendum eſſe ait Bellarminus; quia nemini liceat eum *authoritative corripere*; ſed relinquendus ſit Chriſti ſolius judicio, in fine mundi futuro. Hunc Antichriſti ſpiritum ubique ſpirant iſti Walachri, qui fallibilitatis & erroris conſcii, tamen perpetuo clamant; ſtatutis ſuis Eccleſiaſticis obediendum eſſe, ſub pæna excommunicationis. Fatentur quidem, ſe infallibiles non eſſe, & primittunt ut ſua dogmata ac ſtatuta à Chriſtianis examinentur: ſed neutiquam à pio Magiſtratu ea abrogari aut conſtitui poſſe, niſi Clerus irreformabilis ſit; cujus judicium penes Eccleſiaſticos manere volunt: ut revera juris nomothetici Walachri fundamentum ſit opinio & papiſtica hæc perſuaſio, ut quiſque credat implicita fide, utcumque errare & fallere alias poſſint ſui præpoſiti, tamen tunc non errare; aut ſi errent, non eſſe à modeſtis Eccleſiæ filiis obſiſtendum facile, ſed parendum, quæ ſententia certe immensè diſcrepat ab Apoſtolorum moderatione, quibus ob infallibilitatem licebat quidem Chriſtianis abſolute credere; non fecerunt tamen hi, nec paſſi ſunt illi, ſed omnium examini ſua dogmata & ſtatuta ſubjecere: ut certè indignum ſit, in-
ſulſos

ſulſos rabulas hodie imperitare clero, & in ſuarum nugarum obſequium conſcientias Chriſtianorum captivare divino jure.

Unum tamen ſcrupulum amovebo, qui ingenioſorum etiam animos torſit. Jubet Paulus, *omnem animam* magiſtratui *parere ob conſcientiam.* Rom. 13.
Monet quoque Apoſtolus, *obedire & parere præpoſitis Eccleſiæ.* unde colligunt, ſi magiſtratus *leges* Heb. 13.
poſſunt *ligare conſcientiam*, qua illis obediri vult Deus; *Eccleſiaſticas quoque leges conſcientias Chriſtianorum obligare*, quia illis quoque parere præcipitur. Si vellem nodum præcidere, dicerem, inter utrumque mandatum manifeſtam eſſe differentiam: quod Spiritus ſanctus planis & apertis verbis mandat, *omnem animam* parere politicæ poteſtati *ſub conſcientia*. De Eccleſiaſticis verò præpoſitis, jubet quidem iis obediri & honorem deferri, ſed non præcipit hoc *omni animæ.* nec *ob conſcientiam.* illas enim reſtrictiones Papiſtici hierarchæ, conſequentiariis filis adtexunt; ſæpe autem conſequentiariis Theologaſtris accidit quod imprudentibus logiſtis; qui calculis ſupputantes, de loco in locum per incuriam transferunt calculum, unde mutatio ſummæ tanta fit, ut, quod crediderant ſe bene ſupputaſſe, toto cælo aberret. Sed principaliter reſpondeo, magnum diſcrimen eſſe inter *obedientiam*, quæ *Politicis* præfectis debetur, & quæ *Eccleſiaſticis.*

Illos enim Deus fecit *legatos* & *vicarios* ſuos in terra, & ſuo nomine *Deos:* quo titulo id juris illis tribuit, ut non *omnis anima* modo, ſed etiam *ob conſcientiam*, iis obedire teneatur: hoc eſt *abſolute*,

ſolute, non ſolum quatenus *juſte & legittime* mandant, ſed quatenus *mandant*; unde eos gladio ad cogendum armavit: ſi enim juſta vel adiaphora præcipit politicus præfectus, ſub conſcientia tenetur præſtare ſubditus; ſi injuſta, non quidem tenetur præſtare, ſed tamen *parere*, vel *pœnam ferendo*, vel *fugiendo*. Longe alia obedientia eſt, quæ debetur Eccleſiæ præpoſitis: non enim illis obediendum eſt abſolute quia præcipiunt, ſed ſub conditione, ſi legittime præcipiunt.

Probandi enim ſunt illi ſpirituales præpoſiti an *ex Deo ſint*? ſi enim non per januam recte intrent, ſed per *poſticum* illigittime fiant προεςῶτες, paſtores & Præpoſiti; non eſt iis obediendum ſed rejiciendi ſunt ut Mercenarii & lupi: ſi quoque legittime intrarint,
Joan. 5. ſic ut cum Scribis *ſedeant in cathedra ipſa Moſis*: & tamen admiſceant ſua traditionum fermenta, fugiendi ſunt ut *cæci ductores*; immo inſtar *ſalis infatuati foras projiciendi ut pedibus conculcentur*, ipſo Chriſto juſſore; uti poſthac latius declarabo: ut jam hic videamus aliam prorſus *Theologiam nomotheticam*, longe diverſam à veteri & nova Papiſtica: Papa enim hoc diu perſuaſit Chriſtianis, ſibi, ut generali Eccleſiæ œconomo, omnes etiam principum animas ſubjectas eſſe debere, & ſub conſcientia teneri ſuis edictis abſolute parere; in quem finem ſe quoque armavit externo gladio, (duos enim geſtat) ut oſtendat ſe eſſe ſupereminentem Poteſtatem

tem *enſigeram* Pauli : quo jure tam abſolutam poteſtatem in Eccleſia ſibi arrogat, ut licet aliquando *irrepat ut vulpes*, *regnet ut leo*, tamen abſolute ſibi obediri velit, donec *moriatur ut canis*. Idem fundamentnm eſt Walachræ Juriſdictionis. Non enim in hoc fundat Grallator ſpeciale & divinum jus ſuæ νομοθεσίας; quod legittimus paſtor ſit, & legittima mander, (ſic enim omnium examini ſubjaceret) ſed in hoc privilegio, quod ſit προεστώς, dux, paſtor, & legatus Chriſti; qua poteſtate authoritativa & quaſi regia ita gaudet; ut aperte aſſerat, magiſtratus ipſos ſuis legibus debere ſubjectos eſſe : nec liberum ipſis eſſe, eccleſiaſticas leges ſtatuere; ut non dubitet tyrannidis illos inſimulare, ſi audeant per ſe de Eccleſiaſticis mandare; aut ſtatuta Eccleſiaſticorum expendere, vel abrogare: ut nil aliud Walachris Papiſtis in animo ſit, quam prætextu legiſlatoriæ poteſtatis Eccleſiaſticæ Politicis imperare & præſcribere, non in Eccleſiaſticis modo, ſed & in politicis, quidquid adrideat novæ ſpiritualitatis Walachræ ſupercilio : Multa hujus rei exempla edidiſſe dicitur Grallator Mittelburgi, quorum nonnulla antehac exhibui: unum hic adjiciam, de quo ipſe in centonibus alibi late ampullatur.

Statuerat olim Mittelburgenſis Magiſtratus (ut volunt) ut ad cantus ſymphoniam moderandam in templo concentus eſſet Organi: id quia occaſionem præbebat Walachro Magiſtratum carpendi, non ſemel in cathedra dicitur hoc mandatum turpiter exploſiſſe,

ejuſque indignitatem ac errorem multis ſannis populo inculcaſſe. & quia rationum ſummam non erubuit hoc libello edere, quorum momento tam turpiter illic dicitur ſuum magiſtratum perſtrinxiſſe, non erit moleſtum, eas quoque in tranſitu explodere. Statuit primo: imperioſe *Iuri divino & praxi Eccleſiæ repugnare* hoc inſtitutum.

Palmarium illi argumentum eſt, quod *Organorum melodia, fuit uſitata in Judæorum templo;* unde concludit, *Judaiſmum refodere qui eam in Chriſtianorum templa reducant.*

Quam frivola ſit ratio, nemo mediocriter doctus non videt. quæram enim, an omnia Chriſtiano cultui illicita ſint, quæ in Judaico templo fuerunt? Non dicet hoc, opinor, ſi ſapit. vel enim deberet Chriſtianus ceſſare; vel Deus nova elementa creare: non modo enim in cultu Judaico fuerunt organa, cymbala & tympana; ſed aurum, argentum, veſtes, ſericum, lana, aqua, panis, vinum, & multa alia: debebat ergo ſpecialius declarare, quænam à ceremoniali cultu præciſe non ſint petenda; cum omnia non eſſe rejicienda jam conſtet.

Inſtat ergo: illa ſaltem eſſe omittenda Chriſtianis, quæ templi Judaici cultui ſerviebant; quia enim hoc templum delevit Deus, colligit *irreſiſtibili argumento* (ut loquitur,) *deleta eſſe, & à Chriſtiano cultu amovenda, quæ in illius templi cultu erant.*

Sed hic rurſus nugis paſcit lectorem: ſi enim nil debet ſervari Chriſtiano cultui, quod cultui Judaico fuit deſtinatum, cur templis ipſe utitur? in tem-

in templi cultu non modo erant organa; ſed liber legis, aqua, panis, vinum, menſa, arca, ſedilia, ſuggeſta, lapides, lintea &c. cur non hæc quoque removeri cupit? ipſe Pſalmorum cantus ab Judaico cultu ſumptus eſt(ait Martyr;) cur is legiſlatore Apollonio non rejicitur? Epiſt. ad Hopper.

Inſtat: *tibiæ & organa ſunt res mortuæ, & ἄμαντυστα, ac.quaſi crepitacula; quæ Iudæis pueris, & duræ cervicis hominibus conveniebant; at Chriſtianos non decent.*

Reſpondeo, tam ἄμαντυστα eſſe ubique in ſuis aſſertis Grallatorem, ut nihil habeat, quod tibiis, & Iudæis pueris exprobret merito. manet enim ſemper eadem quæſtio: ſi mortua inanimata, & ab Iudæis in cultu uſitata, à Chriſtiano cultu amovenda ſunt; cur organum ſolum tollat? metuendum enim, ne ſi alter Apollonio ſimilis tenebrio inſaniat, non organum modo ſed libri, menſæ; pulpita, ſcamna, veſtes, & cætera quoque tolli debeant: ut non modo ſtando ſe cogatur fatigare, ſed ſine veſtibus inhoneſte oberrare Walachrus nugator. ut hic certe nimis imperioſus legulejus ſit, qui in Dei magiſtratus jura temere involans, audeat authoritative pro illicitis declarare, quæ conſtat Deum non damnaſſe ſed Chriſtianis libera reliquiſſe: adde, quod utilis ſit organi concentus ad confuſionem cantus impediendam: utitur quidem ad moderandam Pſalmodiam peritis præcentoribus pius magiſtratus; ſed id uſus docet non eſſe ſufficiens remedium ad turpes diſcentus impediendos, cui ſcandalo ſi occurrat modeſte organi ſymphonia, quis non videt, maledicum eſſe il-

lum

lum Walachrum? qui ob non vetitum, ſed jam diu conſuetum ac utile inſtitutum, tam injurioſe debacchatur in Politicos. Certe qui moderato animo cogitabit, etiam extra cultum, fidibus malum ſpiritum in Saule compeſcuiſſe Davidem, bonum contra excitaſſe Micham Prophetam in ſe: is mecum fatebitur, uti cantus ſono, ita organi conſonantia quoque in ſacro cultu, poſſe animos Chriſtianorum exhilarari, & cum modeſtia excitari: ut jam hoc exemplo conſtet, quis finis, & quæ effecta ſint futura *ſanctæ & liberæ poteſtatis Nomotheticæ Eccleſiaſticæ*, de qua in Walachria tantopere contendit Grallator; Videlicet, ut vel otio vel faſtus pruritu, aliquis ſpiritualis tenebrio intra muſæi crepitus, novæ ſpiritualitatis coagulum concipiat; ac dein in Conſiſtorio Concionali ſuperlative ſancto, ovum contentionis tanquam gallus pariat; ad quod mox Claſſici bufones fovendi deſiderio adrepant, quorum inſeſſu tandem naſcatur novus erroris vel imperii Baſiliſcus. Is proceſſus fuit in novo hoc monſtro Apolloniano: & cottidie creſcet hic pullatus, ni plenipotentiaria præſentia omnia ejuſcemodi inſecta ſuffocentur intra conſiſtorialem teſtam, priuſquam Claſſico aut ſynodico ſibilo, auram late infectent, cum audientium & videntium ſtrage.

Summa ſit, non eſſe nunc ſpeciale aut myſticum aliquod ſanctitatis privilegium, in legibus vel Eccleſiaſticis ſtatutis faciendis; à

quo

quo arcendi ſint pii politici. Vel enim fiunt ſtatuta de rebus ad ſalutem & cultum *neceſſariis*, atque hæc omnia continentur in ſcriptura, & ſunt non Eccleſiæ hodiernæ, ſed veteres Dei leges; quis autem dicet illicitum eſſe piis politicis, ſi decreta faciant & mandent hominibus, ut Chriſti leges obſervent? certe ſi impii magiſtratus vellent tales leges facere, & præcipere Chriſtianis ſervare pura mandata Chriſti, non eſſent ſacrilegi, ſed laude digniſſimi. Vel faciunt leges de *adiaphoris*, quæ ordinem & decorum Eccleſiæ concernunt; at quia ipſe fatetur has res eſſe liberas nec conſcientiam obligare, unde obſecro naſcetur tanta ſanctitas diſponendi de rebus non propriè ſanctis ſed liberis? Vel (quod ſæpiſſime fit) fiunt leges de fictis, falſis & inutilibus, ut in papiſtis videmus: atque hæ non ſanctitatem ſed profanitatem potius dant legiſlatoribus.

Injeciſſe nunc videar frænos immani belluæ, nomotheticæ Walachropapiſticæ; niſi reſtaret capiſtrum addendum de jure ſacro *dependentiæ*. Tam fæcundus enim eſt Walachrus Papiſta in ſuis ſanctitatibus exſculpendis, ut non aliter quam figulus, ex eodem luto fecerit primo *patinam Cenſuralem*, dein *matulam Nomotheticam*, ut nil jam facilius ſit, quam *currente rota* ut exeat *dignum patella operculum*, Sanctitas *dependentiæ*. Quia enim Eccleſiaſticis convenit curam gerere Eccleſiæ, & ab ea removere ſcandala; hinc naſcitur illis jus Cenſurandi; Dein *De dependentia jure.*

leges

dein *leges faciendi*, pro ſancto & ſpirituali Walachro arbitrio. Non poſſunt autem curſim in foro aut plateis fieri Eccleſiaſtica inſtituta; eſſet enim hoc, inſtar canum feſtinantium, ſpargere σκύβαλα: ſed apparatu opus eſt, ut ſublimis illa ſpiritualitas exprimatur, in Conſiſtoriis, Claſſibus, & Synodis: unde natum eſt papiſtis ſacroſanctum jus dependentiæ.

Utcunque fatear, eſſe aliquem uſum conventuum Eccleſiaſticorum: tamen hoc aſſero, figmenta mera eſſe, quidquid de eorum præciſa ſanctitate garrit Walachrus: neque enim præcepto ullo Chriſti aut exemplo hactenus conſtat, tam ſanctum ac neceſſarium eſſe ad Eccleſiæ conſtitutionem, ut in Conſiſtoria, Claſſes & Synodos conveniant; ut propterea ſacrilegus dicendus ſit Magiſtratus, ſi vel impediat, vel iis pro authoritate ſe admiſceat: dum enim modus non ſervatur in his conventibus, ac eorum authoritati pluſculum tribuitur, deducunt Eccleſiam neceſſario ad *Papam* vel *in infinitum*. quod ſic demonſtro.

Si frater fratrem læſerit, dicit Chriſtus, hoc Math. 18 componendum eſſe *inter fratrem & fratrem*, ſi poteſt: ſi non poſſit, *aſſumendos duos*; ſi ne ſic quidem; *dicendum Eccleſiæ*: atque illic Chriſtus ſubſiſtit. eſtque hoc magnum argumentum pro independentibus, quod ultra particularem Eccleſiam non adſcendit. Sæpe etiam uſus docuit, ſic rem felicius compoſitam eſſe quam in Claſſibus & Synodis: quia illic cum omnibus circumſtantiis notior eſt, & ab affectibus remotior. Sed Papiſtæ veteres ac novi hoc non volunt;

carerent

carerent enim magna parte ſuarum ſanctitatum; unde ex comparatis hic venuſte fabulantur: Si præſumatur Eccleſiam .i. *conſiſtorium* errare; ajunt, tunc, ex lege Chriſti, aſſumendas eſſe duas aut tres *Eccleſias*, & inde exſtabit *Claſſis*: venuſta certe αὔξησις, qua duo aut tres fratres excreſcant in duas aut tres Eccleſias; prorſus papiſtica fœcundia, qui ex uno Petro, ſummo Eccleſiæ paſtore, fecerunt innumeros ſucceſſores Papas, & quaſi Petros. Si autem contingat Claſſem quoque errore, non ſubſiſtet fæcunditas: ſed tum duæ vel tres Claſſes erunt aſſumendæ, quæ facient Synodum *Provincialem*; & ſi totum Concilium provinciale erit, tum convocanda erunt Concilia variarum Provinciarum; & erit Concilium *generale* iſtius regni vel reipublicæ: & ſi hoc quoque erret, tum aſſumentur concilia variarum Nationum, & fiet Concilium *Nationale*: & ſi hoc non ſufficit, tum convocabuntur omnes Nationes totius orbis, & erit Concilium *univerſale*, aut *Oecumenicum*. ſed hic ſentiebat Bellarminus ſibi aquam hærere: ſi enim veritatis deciſio dependet à judicio & conventu omnium orbis Nationum; nunquam poterimus eſſe certi; quia ſemper dubitabitur, annon aliqua Natio in Orbe omiſſa & non conſulta ſit: & quia nullus Monarcha reperitur, qui toti orbi imperet, fatetur Jeſuita, tale Concilium non poſſe convenire, ut tandem incrementum Synodicæ dependentiæ terminet Apellæo more; quiſpinam equi ſudantis penicillo exprimere non valens, ſpongiam dicitur illiſiſſe picturæ, & ſic expreſſiſſe. ſic pene, & ſpongia igno-

Bell. lib. 2. de Conc. c. 2

Valer. Max.

ignorantiæ delere neceſſe habuit incrementum dependentiæ, ut finem inveniret ſynodorum. Dicit enim tandem, id habendum pro Oecumenico Concilio, ad quod *ſi non venerant omnes orbis nationes, tamen potuerunt venire, quia nullæ excluſæ ſint.* quanquam fateor, certiorem & breviorem viam excogitaſſe Jeſuitas ad terminandam *dependentiam.* videbant enim illud Synodicum augmentum creſcere in infinitum; unde ne videatur rem in ſuſpenſo relinquere Bellarminus, omnes legum & quæſtionum diremptus terminat in Papa, vel cum vel ſine Concilio; ut certe finis Romanæ dependentiæ ſit Antichriſtus. Walachri dependentes Papam Ecclecleſiaſticum, & imprimis politicum, execrantur; unde neceſſario finis illorum dependentiæ, eſt infinitum, vel opinio, vel multi Papæ: Si enim quæſtio omnis trahi debet à fratre ad fratres, à fratribus ad Conſiſtorium, à Conſiſtorio ad Claſſem; à Claſſe ad Synodum provincialem, à Provinciali ad Nationalem, ab Nationali ad Univerſalem, ac dein ſemper majorem, annon res tandem abibit in infinitum? aut terminabitur in hac opinione, ut ſive male ſive bene judicet, credatur optume judicaſſe, qui ultimo judicavit. quid hoc aliud eſt quam ex tot judicibus facere Papas? tale judicium litium in Eccleſia ordinatum eſſe à Chriſto non eſt ve-
Math. 20 riſimile; quia abſurdum eſt, & dominationem ſtabilit quam Chriſtus ſuis diſcipulis vetat. Hac enim occaſione per fas, per nefas, major ſynodus præſcribet minori, minor Claſſi, Claſſis Conſiſtorio, & conſiſtorium fratribus, pro arbitrio:

bitrio: & ſic dependentiæ hujus jure totum Eccleſiæ regimen non erit ordo, ſed imperium & tyrannis: cæca enim obedientia cogetur obedire quiſque inferior ſuperiori: Cæcam obedientiam voco, non modo cum non licet inquirere de re judicanda vel judicata, quod Papa facit, ſed cum talis eſt politia Eccleſiæ, ut ſive inquiras, & invenias errorem, ſive non, tamen parendum ſit, donec Eccleſiaſtici judicabunt ſe male judicaſſe, quod nunquam fiet: ut audacter aſſeram, jus dependentiæ tam abſurdum non à Chriſto, ſed Papa Antichriſto ſumere Walachros papiſtas.

Objicitur vulgo locus Math. 18. ubi Chriſtus ipſe tres gradus dependentiæ inſtituit: à fratre ad fratrem, à fratre ad fratres, a fratribus ad Eccleſiam. unde colligunt argumento à paribus; Chriſtum quoque inſtituiſſe reliquos gradus, ab Eccleſia ad Claſſem, à Claſſe ad Synodos &c. Arg. 1.

Reſpondeo, hic agi de privilegio, & quidem ſacro ſancto: in privilegiis autem debent verba eſſe plana: nec quicquam dandum eſt conſequentiis, aut ubi lex non diſtinguit vel addit, quicquam addendum eſt: unde colligo Chriſti mandato non eſſe eundum ultra tres hos gradus, quia non plures ſtatuit: non ulterius enim aſcendit Chriſtus, quam a tribus fratribus ad Eccleſiam: quod oſtendit, Chriſtum per vocem Eccleſiæ tantum intelligere particularem Eccleſiam, non Claſſes, & Synodos uſque ad Oecumenicam: eſſet enim nimis enormis ſaltus, à tribus fratribus uſque ad Synodum univerſa-

lem, mittere Chriſtianos, ſi ſub Eccleſiæ voce intelligeretur:

Adde, quod non veriſimile ſit Chriſtum hic ſub Eccleſiæ voce comprehendere Claſſes & Synodos: quia agit tantum de privatis querelis inter fratrem componendis; ad quas non eſt opus ut convocentur Claſſes, Synodus provincialis, & cæteræ omnes uſque ad Oecumenicam: deberent enim quotidie congregatæ eſſe hæ Synodi; quia tales lites quotidie poſſunt oriri, & ſi non orirentur, Walachri dependentiarii indies concitarent.

Arg. 2. Alibi pro *dependentia* ſumuntur illa verba Chriſti, *ubi duo aut tres in nomine meo congregati ſunt, ibi ero in medio*. ſed enerve eſt quidquid inde colligitur. Primo enim hoc conſtat; non congregari in nomine Chriſti omnia conſiſtoria, Claſſes, & Concilia: ſed ſæpe duos aut tres cum reverentia & vero Chriſti timore eſſe ſimul: cum contra Claſſicus & Synodicus conventus omnem Chriſti reverentiam abjiciat: ut videre fuit inter duos pios diſcipulos Em-
Luc. 24. maüntem euntes Chriſtum in medio fuiſſe: cum conſtet ſæpe pluribus rixantibus non adfuiſſe. Ut jam ſecundo ſtatuam, non eſſe firmæ conſequentiæ collectum, quia promittit Chriſtus, *ſe affore duobus & tribus*, propterea magis affuturum decem, centum, aut mille. Id quidem Walachrus ille pene ita concludit, more Jeſuitarum; ſed non minus inſulſus eſt, quam ſi ratiocinetur; quia pacem & concordiam futuram dixiſſet Chriſtus inter duos aut tres, ideo multo magis fore eam inter decem aut centum. Uti enim

enim pax & ordo non tam facile ſervatur in magnis conventibus, quam in parvis; ſic non eſt neceſſe, ut veritas & veritatis deciſio ſemper fiat perfectius in magnis quam parvis conventibns. Id non Nazianzenus modo, ſed omnia tempora docuerint; non ſemper in majoribus Eccleſiæ conventibus melius judicari, quam in minoribus; ut neceſſarium ſit vel Chriſtum promiſſum ſuum non præſtare (quod blaſphemum) vel male accipere promiſſum Chriſti Papiſtas novos, & ſtultè agere, cum ex male intellecta ſponſione concludant tam magnæ & præciſæ ſanctitatis privilegium.

Apertior videtur eſſe locus Pauli, *Spiritus prophetarum prophetis ſubjectus erit.* Unde colligitur jus divinum dependentiæ, & convocandi Conſiſtoria, Claſſes & Synodos. Quomodo enim melius pateſcet, ſpiritus Prophetarum prophetis ſubjectos eſſe, quam cum Eccleſiaſtici Prophetæ communes ſubjiciuntur Conſiſtorialibus prophetis, Conſiſtoriales iterum Claſſicis Prophetis; Claſſici ſynodalibus in infinitum; & ſic major nomine Propheta imperat minoribus ſibi ſubjectis? Hæc ſunt enthymemata veterum Papiſtarum, quibus nunc ad amyſſim reſpondet Grallator ad jus ſuæ dependentiæ expoliendum.

Arg. 3. 1 Cor. 14 32.

Reſpondeo, ex mure montem facere qui hæc omnia ex loco Paulino extorquent. Non enim hæc mens Pauli eſt, minores numero prophetas ſemper debere acquieſcere ſuffragio plurium: hoc eſſet putidum paradoxum, quod Antichriſtum invexit; quia ſæpe compertum eſt, unum

Digitized by Google

laicum melius ſenſiſſe quam multos Clericos. Ne hoc quidem ex Pauli verbis ſequitur; minoris authoritatis Prophetas ſemper debere ſubjectos eſſe & obedire illis, qui majoris authoritatis habentur. id quidem verum eſſet ſi unus Theopneuſtus adeſſet: is certe mille aliis eſſet præferendus, & omnes alii non Theopneuſti deberent illi ſubjici. ſed cum Theopneuſti deſierunt, tum nulla tanta majoritas aut preëminentia poteſt in aliquo ſtatui, quæ abſolute ſibi ſubjiciat alios prophetas: utcumque enim garriat cum Papiſtis Grallator de copioſa aſſiſtentia ſpiritus, quam ſperare debeant laici adeſſe ſuis προεστῶσι & paſtoribus, cum congregati ſunt in conſiſtorio, Claſſe, vel Synodo, ut ita cæcam obedientiam ſibi comparet: hoc tamen certum eſt; nuſquam hujus rei promiſſum exſtare quod in omne tempus duret: & tempora omnia docuerunt; ſæpe à numero & authoritate dignioribus prodiiſſe peſſimos errores, & nocentiſſima venena, uti in totius Antichriſtianiſmi exordiis ac incremento viſum eſt. Ut jam conſtet, longe aliam mentem eſſe verborum Pauli, quam hæc Papiſtica. Loquitur enim de politia Eccleſiæ ſui temporis, quæ longe diverſa erat ab hodierna, ut notat Aretius. Hodie *miniſter omnia ſolus facit*, & in ſe recipit; ſaltem quidquid juridiciale eſt, ut ſolus *authoritative* prædicet, reliquis vero Eccleſiæ Prophetis inſtar feminarum tacendum ſit in Conventu, nec dubium eſſe volunt, grandi pæna multatum iri

Areti. in 1 Cor. 14 32. &c.

iſti in Walachria, ſi propheta aliquis illic errores & mendacia privatim aut publice Apollonio digne exprobrarit, niſi Magiſtratus politici metu compeſceretur: ut hodiernæ *dependentiæ*, imprimis Walachræ, tota medulla ſit, quidquid in buccam venerit Chriſtiano populo (cujus quiſque propheta nunc eſt) obtrudere, & ſi erroris forte compertus ſit, recipiat ſe ad Conſiſtoriales, ſibi ſimiles prophetas, dein ad Claſſicos (ut videmus in hoc opere) ultimo Synodicos; quorum omnium ſi major pars cum Grallatore deliret, reliqui omnes prophetæ per fas per nefas cogantur delirantibus ſubjecti eſſe. Longe alius erat inter Apoſtolos uſus; quem hoc loco innuit Paulus: nemo non ſuas agendi partes habebat; alii linguis loquebantur, interpretebantur alii, alii regebant Eccleſiam ut κυβερνῆται & Rom. 12. προϊστάμενοι; alii miſericordiam exercebant non 1 Cor. 12. de Eccleſiæ bonis modo, ſed de ſuo: alii conſolabantur: ſanabant ægros alii: alii prophetabant, nec parce hoc fiebat aut à paucis, ut unus in ſe reciperet authoritative prædicandi provinciam, (quod Walachrus vult) ſed multi pollebant dono prophetiæ: tam copioſe enim tunc ſpiritum effundebat Deus, ut ſæpe in conventu ſubito appareret, dei afflatu donatum eſſe, & prophetandi dono inſtructum, qui ante inter gregarios ſederat. Quia tamen omnibus ſpiritualibus donis inſtructior erat Paulus, Apoſtolica dignitate cunctis præeminens, ne prophetantium copia ſine ordine uteretur Eccleſia, præſcribit has leges, ut *viciſſim* quiſque ſuas pro-

L 3 phetias

phetias & revelata proderet, tacentibus cæteris; & ne nimis longo exercitio fatigarentur conventus, ut intra *ternarium* prophetantium numerum ſubſiſteretur: denique ne rixis & contentionibus indulgerent. Si enim unius Spiritus ſancti afflatu prophetarent, hoc exſtiturum facile, ut licet diverſa proferrent omnes, & diverſo modo aut gradu revelationis, tamen nunquam contraria eſſent prolaturi; uti in Prophetis olim viſum eſt, cujus exemplum notat alibi Joſephus in inſignibus, Ezechiele, & Jeremia; quorum hic Hieroſolymis ſub Zedekia prophetabat, *venturum* Babylonem in captivitatem regem Zedekiam, Alter Babylone in captivitate prædicebat, captam iri Hieruſalem, nec *viſurum* eſſe Babylonem Regem illum Zedekiam: quæ duæ Prophetiæ videbantur in ſpecie pugnare; ſed uſu tamen ambæ comprobatæ ſunt. Venit enim Babylonem Zedekias captus ut prædixerat Jeremias; nec *vidit tamen* eam ut prædixerat Hezekiel, quia oculis um privaverat Rex Babel priuſquam abduceretur. Ita Apoſtolis quoque evenit, ut quamvis diverſa & diverſo modo prædicarent, omnes eadem proferrent: Ita ſemper verum fuit quod hic dicit Paulus, *Spiritum Prophetarum Prophetis ſubjectum fuiſſe*, quamdiu Theopneuſti convenirent, & Spiritus Sancti afflatu ducerentur: impoſſibile enim eſt ut tales non inter ſe conveniant. Sed ſimulac illis vere Theopneuſtis ſe immiſcuerunt Pſeudapoſtoli, & cum illis cæperunt altercari Alexander faber, Hymeneus, & Diotrephes λόγοις πονηροῖς φλυαρῶν *malis ſermonibus*

3 Joan. Epiſt. ✠. 10.

bus garriens, tum non mirum fuit, ſi diſſenſiones orirentur & falſis Prophetis verorum Prophetarnm Spiritus nunquam ſe ſubjiceret. Hæc ſi tunc acciderunt, cum Theopneuſti adeſſent, quanto indignius eſt, ſi Walachri aliquot rabulæ hodie conveniant, & putent dependentiæ jure ſibi omnium Spiritus ſubjectos eſſe debere?

Sunt qui verba Pauli ita exponunt, *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus erit*; hoc eſt, *Prophetarum ſcriptis* & ſacræ ſcripturæ; ut ſenſus ſit, omnium Prophetantum ſpiritus & dicta examinanda eſſe ad ſcripturam ſacram tanquam fidei analogiam: quæ ſententia vera eſt quidem, ſed nil facit pro Walachra *dependentia*: quæ nil aliud molitur quam papiſticam Hierarchiam; videlicet ut quidquid ſomniat vereanus ſorex, approbet Conſiſtorialis Veſpertilio, & quod illis placet quoque recipiat Claſſicus bubo, quorum conſenſu pulchre tum exſiſtat, ut ſpiritus prophetarum prophetis illis ſubjectus ſit, hoc eſt, in Conſiſtoria, Claſſes & Synodos conveniant Apolloniani Prophetæ quoties libitum eſt, ut ibi veteres lites forte componant, novas generent; vel ſaltem fruges conſumant.

Multum tribuunt, ad dependentiæ ſanctitatem perſuadendam, inſtituto Judæorum; quos dicunt habuiſſe minores conventus urbatim, & omnes habuiſſe dependentiam à generali conventu Hieroſolymitano.

Ego quidem fateor, veteres papiſtas, (ut multa alia) hoc quoque mutuatos eſſe a Judæorum politia, quod inter ſe ſancti Clerici habeant Arg. 4.

dependentiam & ſubordinationem, ſic ut tandem omnes dependeant à putrido filo Papa romano. Sed quia regimen illud erat affixum ſanctitati cæremoniali Hieruſalem ſanctæ urbis, & templi, quod jam diu dirutum eſt; miror Grallatorem non meminiſſe, quanti opprobrii ſit *judaiſmum refodere.* ut hoc *irreſiſtibili argumento* judaiſmum & *Carnalium* judæorum *crepundia* Politicis ſuis exprobret, quod organi tantum ſymphoniam, judæis uſitatam, Pſalmodiæ aptarint, cum hic ipſe non à judæis modo, ſed papiſtis totum dependentiæ & regiminis myſterium quaſi rem ſacroſanctam mutuetur: quamquam hoc quoque in Judaica dependentia aderat (ut alibi oſtendam) quod omnibus judiciis politici divino jure adeſſent; ut ſic ipſe *turdus ſibi malum* (quod dicitur) *cacaret.*

Arg. 5. Sed præcipuum dependentiæ firmamentum petitur à more Apoſtolorum: illi conventus crebros Eccleſiarum habuerunt & (ſi credere volunt politici) celebrarunt Hieroſolymis Concilium, quod propterea veteres & novi papiſtæ Act. 15. vocant *Concilium Hieroſolymitanum primum.* quod exemplum tanti valoris eſt Apollonio, ut ſacrilegum putet eſſe, ſi quis audeat contrahiſcere: unde concludit, divini, ſacroſancti & Apoſtolici juris eſſe, ut conveniant Eccleſiaſtici in Conſiſtoria, Claſſes & Synodos: ac proin ſimoniacum, impium, ac tyrannicum, ſi magiſtratus hoc non concedāt Eccleſiaſticis Walachropapiſticis hodie.

1. Reſpondeo, exempla Chriſti (ut ſæpe dixi) & Apoſtolorum non facere ſemper perpetuam legem, niſi præceptum adſit, vel circumſtantiæ id evin-

evincant. Multa enim fecere occaſione, quæ non poſſumus nec debemus nunc imitari. Exemplo ſit, quod bona divites adferebant ad pedes Apoſtolorum: quod Apoſtoli ea diſtribuerent; qua cura ſe dein liberarunt: quod Petrum ſalutatum & viſum Paulus aſſcenderit Hieroſolymam; ad cujus imitationem Epiſcopi & reges aſſcendunt Romam, ut papæ pedes oſculentur: quod Paulus tantus Apoſtolus Philippenſium donis ſuſtentatus ſit: quod idem Paulus Corinthi cum Acyla & Priſcilla, ad mæchanicam redierit, prædicans tamen ut ſuo honori & victui conſuleret: quod exemplum mirum eſt quàm hodie deteſtentur Apolloniani Zelotæ, ut non ſemel comperiatur, à mechanica mundaneitate (ut ſic dicam) proreptaſſe ſciolos ad ſanctæ Eccleſiaſticæ ſpiritualitatis ſuggeſtum, neminem tamen hodie reperiri, qui ad eandem mechanicam redeat, ut Eccleſiis parcat: neque id magnopere urgeo; quia non neceſſe eſſe dicet Apollonius. Utcumque enim admodum mundanus & βιωτικὸς illi ſit Magiſtratus, & Carnalitate ſua inhabilis ad ſpiritualitatem negotiorum Eccleſiaſticorum tangendam, nedum exhauriendam (ſunt enim cæleſtis & polaris extractionis, ac quaſi quintæ ſubſtantiæ Ariſtotelicæ) tamen hoc bene facit, quod ſtipendiis Eccleſiaſticos cumulat, licet parcius (quod dicendum ſit) nec de ſuo: ut non obſcure minetur cum ſua cohorte Grallator, niſi abſtineat à ſuis ſpiritualitatibus manus ſacrilegas, erepturos ſe aliquando politicis quoque hanc cumulativam poteſtatem; nec difficile illis fuerit, ex

Phi. 4. 15

intima Theologia hoc quoque jus exſculpere, ſi nugis & commentis fidem habere velint Politici. Uti enim hactenus Theologia Walachra ratum fecit, non eſſe jus Politicis piis, ut adſint, interſint, & præſint Conſiſtoriis, Claſſibus, & Synodis, ob ſanctitatem *dependentiæ*; vel colligendi aut diſtribuendi collectas, ob ſanctitatem *diaconalem*: ita quoque non eſſe illis poteſtatem tractandi reditus & ſtipendia miniſtrorum, jure legis Apoſtolicæ, *bovi trituranti os non eſſe obturandum*, & *qui ſacris ſervit, de ſacris vivat*. quo titulo hanc ſanctitatem diu ſibi vendicavit vetus Papa: metuendum tamen ſit, ſi oſcitantia hanc quoque ſpiritualitatis partem concedant Politici Walachro-papiſtis novis & imprimis Apollonianis, ne non Zeelandiæ modo ſed cito totius confederati Belgii ab illa ſpirltuali ἀναθυμίασι exſtiturus ſit vehemens terræ motus; qui non urbes modo miſerandum in morem invertat, ſed ipſum magiſtratum tandem in ruinæ cumulum cumulet. Sed hæc de majore argumenti obiter dixerim.

Principaliter reſpondeo, ſolemne eſſe grallatori de Apoſtolico docendi, cenſurandi, & regendi more multa proferre ſine judicio; quæ hodiernæ Hierarchiæ Papali non magis conveniunt, quam olim Herculis cothurni infanti: tam diſpar enim fuit dignitate & modo conveniendi in Eccleſia Apoſtolicus mos, ut ab hodierno fere infinite diſtet.

2. Scio, veteres conventum Hieroſolymitanum vehementer extollere, ut vulgo Concilii nomine induant, (quod ab illis novus ille Walachrus

chrus papiſta quoque mutuatur) neque id inficior, inſignia fuiſſe quæ illi primi Eccleſiæ heroes in fundanda Eccleſia fecerunt: ſed non adducor ut credam, Synodum fuiſſe, ac ne vix Claſſis habuiſſe requiſita Conventum illum, ſi ad dependentiæ hodiernæ pompam & Synodalia requiſita examinetur: quod ex circumſtantiis ab Luca additis pateſcet.

Primo, nil refert Lucas de indictione hujus Synodi, de cujus jure tantopere litigant dependentes. Textus ſacer non innuit aliud, quam prorſus occaſionaliter rem accidiſſe: Venerant Hieroſolymis aliqui judaiſantes Antiochiam & ibi Eccleſiam perturbabant dicentes, Paulum in doctrina diſcrepare ab Apoſtolis Hieroſolymitanis. Huic malo ut occurreretur, decrevit Eccleſia Antiochena, ut Paulus & Barnabas cum paucis, qui illos deducerent, aſſcenderent Hieroſolymam: nec uſquam reperio, Hieroſolymitanis indictum eſſe, ut ad diem & locum ſe pararent ad Synodum, quod hodie fieri neceſſe ſit. Certe ſi ſtatutus dies fuiſſet huic Synodo, quomodo illuc proficiſcens Paulus cum Apollo peragraſſet Phænicem & Samariam (ut refert Lucas) quaſi ab itinere divertens? Adventus quoque illorum ita deſcribitur, ut fuerit quidem gratus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, ſed tamen improviſus, quantum conjici poteſt. Accedat etiam, quod nuſquam referat Lucas, variarum Eccleſiarum aut urbium legatos adveniſſe ad hunc conventum: quod neceſſe erat ſi Concilium fuiſſet. Fateor, Grallatorem hoc perſuadere Anglis, *variarum Eccleſiarum deputatos* ad hanc Syno- Conſid. ad Ang. p. 109.

Synodum conveniſſe, quod certè neceſſe erat ſi Synodus fuiſſet; ſed hoc facit fide punica, & nonnihil iterum participavit à ſpiritu illo mendaci, quo Deus volebat reges decipi. Ne enim hic Anglis aut Belgis imponat, id præmoneo, multimodis hic fallere ac mentiri eum. Citat illius capitis verſus, 2. 6. & 23. ſed qui accurate omnia leget, videbit Lucam de variarum Eccleſiarum deputatis nihil dicere, ſed Apollonium fingere. Imprimis notatu dignus eſt error, quod in hujus rei probationem adducat locum Act. 21. 16. &c. ubi narratur quidem, quod Paulo Hieroſolymam adſcendenti ſe adjunxerint *aliqui diſcipulorum, adducentes Mnaſonem Cyprium, diſcipulum, & Eccleſiæ hoſpitem*; ſed de variarum Eccleſiarum deputatis ne gry; & ſi quid ſimile hic reperiatur, nimis ſtupidum & impudens eſt, quod hunc adſcenſum confundat cum illo Act. 15. Differunt enim multis annis: hic enim initio Apoſtolatus Pauli fere fuit, ille vero in fine: quia ſtatim poſt captus & Romam Paulus abductus eſt; ut hic certe Davus tempora non bene diſcreverit, quod minus iterum ferendum eſt ab homine tam inflato, qui de ſua *legatione; authoritativa prædicatione*, & inſeparabili ὑποταγῇ ſub Chriſto tam effuſe luxuriet; ut nil vero ſimilius ſit, quam multa abſurda & authoritativa mendacia Mittelburgi ab ſuggeſtu quotidie eructare illum Walachrum, qui auſus ſit doctis Anglis tam aperte falſa ſcripto & typis obtrudere. Jam ut porro inveſtigemus in hoc ſacro conventu Synodi pompam, neceſſe erit aliquid adjectum eſſe à Luca, de *ordine, ſeſſionibus, credentiis.*

Luc. 15.

tiis, de electione Præſidis, jure deciſivo, & multis aliis Synodorum requiſitis, quæ Papa inſigniter pinxit; cujus plumis non parum ſuperbit hic noſter, ut Magiſtratum ſuæ *dependentiæ* ſanctitate faſcinet. Harum certe nugarum (quas dein uſus & faſtus addidit) nil meminit Lucas: ſed contra videmus, totum populum huic conventui interfuiſſe. Dicitur enim Act. 15.4. *Paulum & comites, acceptos eſſe* ab *Eccleſia, Apoſtolis*, & *præſbyteris*: nec tantum interfuerunt *deliberando*, ſed *decidendo* & *definiendo*. dicitur enim v. 22. viſum eſt *Apoſtolis, Preſbyteris*, cum tota Eccleſia. Nec ulla inditia apparent, ſuffragiatim egiſſe, vel de præſidentia diſputaſſe. Aderant quidem tot Apoſtoli, & Columnæ Eccleſiæ: nemo tamen authoritatem alteri præripuit, ut opus eſſet, Imperatorem ſceptro, Pontificem pedo, præſidere: ſed quiſque prout res ferebat loquebatur, nunc Petrus, nunc Paulus, nunc Jacobus, ſilentibus cæteris. omnes enim ſine lege & imperio ſervabant, non eſſe confuſè tumultuandum: ſed dum unus loquebatur alteri libenter tacebant, ut ne Apoſtolorū quidem aliquis juridicialem prerogativā ſibi ſumſerit qualis hodie jactarur. Jam ad eventum Concilii ſi devenitur, nil reperiri poteſt, quod nō omnem pompā & faſtum Synodicum, qualis hodie eſt, reſpuat: non concluſerunt ſuperbe, ut Papa ſolet, ſed per. *viſum eſt ſpiritui Sācto, & nobis*. nec ſua ſtatuta omnibus gentib. impoſuerunt; Sed Antiochiæ & Syriæ Eccleſiis, à quibus conſultierant: In mandando ita moderati fuerunt, ut ſuaderent potius quā jnberent. Familiari enim Epiſtola ad illos ſcripſere, etiam de pietate ſuorū legatorum, judæ, & Silæ,

Silæ, præfati; ut obſequium ab illis precarentur potius, quam flagitarent; quod neceſſe non erat ſi animum habuiſſent, Papæ vel Grallatoris more, authoritative imperandi. Denique, leges ipſæ quas tulerunt, fuere de adiaphoris: quas non tam rigide præſcribebant, ut nemini non relinquerent liberum, cum res ferret, agendi quod videretur: ut non multo poſt conſtet, Galatas, Corinthios & Romanos, contra has leges feciſſe, dum offenſio aberat, uti venuſte alibi oſtendit Calvinus.

Hæc eſt ergo illa Sancta Synodus! hoc eſt illud Concilium Hieroſolymitanum primum! de quo tam ſuperbe gloriantur veteres & novi Papiſtæ. in quo ſi mihi oſtendat omnes nugas & requiſita ſpiritualitatum Synodicarum Apollonius, erit *mihi magnus Apollo.* qualia ſunt, de *in-* part. 2. p. 228. *dictione Synodi:* de *electione deputandorum*, *& cre-* p. 316. *dentiis.* de *poteſtate deliberativa & deciſiva:* de *præſidentia*, & *præſidendi jure:* de *pluralitate* & *collectione ſuffragiorum:* an *leges poſſint facere Synodi, dogmaticas, an diatacticas?* an *iſtæ leges poſſint approbari à politicis?* An *politici poſſint Synodis adeſſe?* an *poſſint præſidere?* an *habere poſſint ſententiam definitivam*, an *deliberativam?* An *ſtatuta Eccleſiaſtica abeant in leges Eccleſiaſticas?* an *obligent conſcientiam directe an indirecte?* an obligent *poteſtate coactiva Spirituali?* & innumera alia, quæ ille ex ſterquiliniis Papæ pro gemmis ſelegit, & ſuo operi inferciit: Certe ſi hæc poteſt ex hoc Conventu Apoſtolico excudere, dignus ſit qui ex humili Walachro paſtore cito fiat inter Anglos Epiſcopus, aut in Germania Superintendens. Ego hunc

hunc Conventum ſtatuo vix Claſſem fuiſſe quoad externa, nec multo aliter cenſendum, quam ſi Snecana vel Doccomana Eccleſia de caſu difficili conſulat Franicanam, aut Leowardienſem, & illuc mittat duos aut tres ex ſua Eccleſia, ac ab illa Eccleſia reſcriptum accipiat de rebus adiaphoris.

Reſpondent vulgo, omnes Apoſtolos adfuiſſe, qui dederint huic conventui dignitatem Generalis Concilii. Ego fateor authoritatem hujus Conventus tantam fuiſſe, ut omnia Concilia totius mundi ſuperaverit; ac ſi hodie talis conventus daretur, in quo tot, vel unus tantum Theopneuſtus adeſſet, mihi pluris eſſet authoritas ejus, quam omnium ſapientiſſimorum totius orbis: ſed quia id diſputatur, an fuerit Synodus, qualem hodie ad pompam diſcribunt Dependentes, non minus delirant qui hoc perſuadent, quam ſi ex piſcatoria Petri veſte ſuperbiſſimam Papæ purpuram exſculpant: Certe ſi pro Conciliis habendi ſunt omnes conventus ubi Chriſtus & Apoſtoli adfuerunt, multa Concilia fuerint tempore Apoſtolorum.

Adjicitur quoque, hunc Conventum leges inpoſuiſſe toti Eccleſiæ ac proinde habendum eſſe pro Concilio.

Sed hoc falſum eſt, ut ſupra oſtendi. Si autem Concilium eſt omnis conventus qui talia ſtatuit & decernit, quæ multis Eccleſiis poſſunt eſſe uſui, tum certe multa Conſiſtoria habenda erunt pro conciliis.

Disjeci nunc fundamenta Papiſticæ Dependentiæ; Non eo fine, ut improbrem, tempore, loco

loco, & re ſic poſtulante, ſi Eccleſia cum Eccleſiis, vel Eccleſia conſpiret, ad pacem & veritatem conſervandam: ſed ne credatur novis papiſtis, tam neceſſarium eſſe hoc opus, ut non poſſit ſine eo cultus dei conſiſtere; vel tam abſtruſæ ſanctitatis, ut ſe debeat ab ejus contactu abſtinere pius magiſtratus. Obtruditur vulgo, Politicos Magiſtratus non adfuiſſe conventibus Eccleſiaſticis, quia nulli erant Chriſtianis, ſub Apoſtolis; ſed præterquam quod hoc in dubio eſt, ſaltem certo conſtat, Apoſtolos ita rexiſſe Eccleſiam, ut totum corpus ad omnes Eccleſiæ actiones admitterent: quod quia conſtabat ex multis politicis; apparet, eos non fuiſſe tam præciſos, ut quemquam ob ſæcularem vocationem judicarent indignum, aut inhabilem omnibus Eccleſiæ negotiis obeundis, uti poſt latius docebo.

Hoc ſciant pii magiſtratus, olim ſub Chriſto & Apoſtolis coactivam & architectonicam poteſtatem Eccleſiæ reſediſſe in illis rectoribus miraculoſe, & quia miraculoſa illa vis nunc deſiit in Eccleſiæ præfectis, ac ordinarie reſidet in piis principibus; illorum eſſe præire, præeſſe in omnibus Eccleſiaſticis conventibus; non ut pro arbitrio omnia agant contra leges, quod Papiſtæ veteres agunt directe, novi autem indirecte ſub larva juriſdictionis Eccleſiaſticæ intendunt: ſed ut pietatis & prudentiæ donis inſtructi, ſint hodie Eccleſiæ *oculi*, *aures*, *& manus*, eamque omnibus beneficiis cumulent: imprimis in talibus locis, ubi Apolloniani vertumni imperium & mundi honores quærunt, ſeditioſiſque ſcriptis,

ac

ac dictis docent Chriſtianos irreverentes eſſe & rebelles in pios politicos rectores; quos ſi pro juſta & divina authoritate compeſcant, privabunt Chriſti populum multis incommodis, variiſque beneficiis cumulabunt.

Scriptura Sacra multa alia opera refert ad Eccleſiæ miniſterium: qualia ſunt, *pauperibus conſolatione & precibus adeſſe*, *viduis egenis conſilio omnibuſque adjumentis opem ferre*, *ægros viſere* & *quaſi læſis medelam addere*: quæ Deus vehementer commendat: ſed quia hæc opera ſervilia ſunt, nec quidquam imperioſi in ſe habent; relinquit hæc privative tantum ſanctis laicis (quos vulgo vocant *viſitatores ægrorum*) Apollonius. Sibi ſervat quidquid eſt ſuperlativæ ſpiritualitatis, & juridicialis; ad quam de novo transfert jus *accipiendi* & *diſtribuendi Eleemoſynas* in uſum pauperum. Etſi enim hactenus pro beneficio habuerint omnes pii, quod magiſtratus *Eccleſiæ domeſticis* ex ſuo ærario ſubvenirent, & de ſubveniendo illis curam haberent: Tamen Grallator ſeraphico acumine deprehendens, illic quoque latere litis cum politicis tricas & fibulas, de ejus ſanctitatis privilegio, tanquam parte juriſdictionis Eccleſiæ, acriter contendit, diciturque ſcripto aperto imperioſe indicaſſe magiſtratui ſuo, non eſſe illi jus colligendi & diſtribuendi Eleemoſynas; ſed rem illicitam facturum, ſi audeat poſt hac in hanc ſacram meſſem profanam ſuam politicam falcem mittere: eo dicitur quoque proterviæ provectus eſſe, ut cum ſuis Claſſiariis Walachris interdixerit Diaconis omnium Eccleſiarum Walachrum, ne collectam

pro Irlandis facerent ad præſcriptum Politicorum. Fateor ex tam longinquo non poſſe omnia ad amyſſim me expiſcari: quia tamen hujus paradoxi rumor & rationum ſumma ad nos huc pervenit, quæſtionis illius ridicula venuſtas, properanti licet mihi, manum injicit, ut non poſſim non paucis indicare quidnam hic nugarum ſpargat.

Non eſt Apollonio proprie ſancta ipſa *Eleemoſyna*: hoc eſt donum quod ab Chriſtianis confertur, quod proprie *ſpiritualis victima* vocatur in ſcripturis: id enim videt eſſe omnibus laicis commune, & *dativi caſus*: à quo caſu papa vehementer abhorret; quem alibi Bellarminus fingit pauperem eſſe & nil habere quam quod illi à Chriſtianis datur in pauperum uſum: unde aliquis olim non infacete dicebat, Papam eſſe *participii partis*, & *ablativi caſus*. à quo non dubium eſt (uti cætera) Grallatorem quoque didiciſſe contentionem de Eleemoſynarum ſpiritualitate, non quod *dando* velit præcellere; ſed accipiendi & de alieno largiendi jure; quod quale ſit paucis excutiam.

Primo ſupponit circulatorum more; miram eſſe ſanctitatem *Eccleſiaſticarum Eleemoſynarum* præ *civilibus*; ut has *profanas* & bioticas, ad Chriſti regnum proprie non pertinentes; illas contra *ſanctiſſimas*: Ex quo commento concludit, ergo tantum tractandas eſſe has à *ſanctis*: hos ſanctos autem tantum eſſe *Eccleſiaſticos*, neutiquam *politicos & civiles*. Sanctitatis autem Eleemoſynaris Eccleſiaſticæ fundamentum ſtatuit in hoc, quod hæc Eccleſiaſtica Eleemoſyna conferatur

à *ſanctis*

à *ſanctis* Eccleſiæ videlicet *fidelibus*, & quoque in uſum ſanctorum alterius Eccleſiæ, hoc eſt, *fidelium:* ut jam hic exſurgat aſtralis quædam ſanctitas Eccleſiaſticæ Eleemoſynæ, à termino *à quo*, videlicet *fidelium dantium* & termino *ad quem*, nimirum *fidelium accipientium:* unde neceſſario reſultet ſanctitas termini *per quem*, ut nimirum illa ſancta res non poſſit tractari, niſi *à ſanctis*: neque ad hoc ſufficit ſanctitas communis, qualis in omnibus fidelibus, ac proin piis magiſtratibus, quoque reperitur: licet hæc ſanctiſſima ſit in ſcripturis, tamen ſic fere philoſophatur Grallator, ut hanc habeat pro nulla vel *privativa* tantum ſanctitate, quæ ſacris illis Eleemoſynis tractandis ſit inepta: ſed hic tantum admittit ſanctitatem *Eccleſiaſticam*, vel *poſitivam* diaconorum, vel *comparativam* Seniorum, vel denique *ſuperlativam*. Hoc eſt totum Eleemoſynare ſomnium, quod videtur Walachrus ille ſomniaſſe in Vaticano vel Sanctangelo Papæ. Ne videar nimium operæ impendere fumis illis diſcutiendis, abſurdis tantum urgebo id delirium, quo ridiculum fiat cordatis.

Quæram enim, ſi Magiſtratus politicus in uſum pauperum conferat tantundem nummorum, quam poteſt Eccleſia conferre, an illi numini futuri ſint ſanctiores, ſi ex ærario Eccleſiæ veniant, quam ſi ex politico? ſi neget, tum cadet figmentum ſanctitatis monetæ Eccleſiaſticæ: ſi ait, tum ſequitur neceſſario, in illo ærario Eccleſiæ latere myſterium quoddam ſanctitatis, quod poſſit efficere, ut eadem numero pecunia, à politicis prodiens, profana ſit, ab Ec-

cleſia contra ſacra & ſancta; quod nil aliud eſt quam judaicum & papiſticum commentum.

Rurſus, ſi ſanctitas illa pecuniæ Eccleſiaſticæ oritur à termino *a quo*, hoc eſt, *dantis fidelis*, tum neceſſario ceſſat, ſi ſanctus non ſit qui det: unde iam apprime cavendum erit Apollonio & Diaconis ejus, ne quid veniat in ærarium Eccleſiæ quod non detur *à ſancto*: ut pene neceſſe fuerit omnibus daturis acclamare, quis tu es? fidelis an infidelis? ut certe impoſſibile ſit terminum hunc ſanctitatis ita claudere, quin alicubi perrumpatur: quia non modo ſancti fideles ſolent dare in Eccleſia; ſed politici, civiles, immo impii & hoſtes Eccleſiæ. unde ſequetur alterutrum, vel profanari ſanctitatem Eleemoſynæ Eccleſiaſticæ in totum, admiſtione non ſancti æris: vel ſaltem, illam ſanctitatem non conſtare ex pura *farina volatili ſpiritualitatis*, quia multum furfuris & ſiliquarum infidelitatis ſibi habeat admiſtum.

Quæram ulterius: ſi magna pars pecuniæ Eccleſiaſticæ detur ab infidelibus (quod ſæpe fit) quatenus illa ſacra pecunia poſſit illam profanam ſanctificare? jam enim dabimus hoc fidei Apollonianæ; validiorem multo eſſe Eccleſiaſticam monetam in ſanctificando, quam politicam in profanando: ſed ne cum Alchimiſtis faciat hanc vim infinitam, neceſſe fuerit ut definiat, quantum profanæ pecuniæ poſſit ſanctificare illa ſacra Eccleſiaſtica? videlicet, an ſemiſſem? vel beſſem? vel deuncem? tum certe valde intenſa eſſet & ſublimis ſanctitas nummi Eccleſiæ, ſi una uncia Eccleſiaſticæ

Elee-

Eleemoſynæ poſſit ſanctificare undecim uncias civilis ac profanæ : & perquam difficile erit Apollonio, perſuadere egentibus, (ſi anona cara ſit) plus ſenſibilis ſanctitatis eſſe in uno ſolido Eccleſiaſticæ monetæ, quam in undecim civilibus : Certe ſi tam fæcunda eſt ſanctitas Eccleſiaſtici nummi, fruſtra tam operoſe tumultuatus eſt cum ſuo Magiſtratu, de Eleemoſyna accipienda à diáconis ſuis in templo, & non à politicis cum diaconis oſtiatim. Etſi enim metuendum ſit, ne inter colligendum accedat aliquid ab infidelibus tamen certum eſt, magnam partem collectæ prodire a fidelibus domatim : ut ſperandum ſit, paucos nummos, à ſanctis Eccleſiæ membris collatos, facile etiam ſic ſanctificaturos fuiſſe profanos, etſi decuplo plures adfuiſſent : ut jam videat Grallator, nimis ſe ſollicitum eſſe pro ſuo *termino à quo* ſanctitatis ſuæ Eleemoſynaris. Sancti Apoſtoli non fuerunt tam accurati in accipiendis Eleemoſynis : ſive enim offerrentur à Sancto Barnaba, ſive ab Hypocritis Anania & Sapphira, accipiebant donum, & deſtinabant pio uſui: immo Papa ipſo ſuo prædeceſſore hic ſuperſtitioſior eſt Apollonius, cui *bonus eſt odor lucri ex re qualibet*. Unde pro ſanctiſſimo axiomate habet:

Unde habeas nemo quærat, ſed oportet habere. Grallator tam delicate ſanctus eſt, ut malit non habere ac perire ſanctos Chriſti pauperes, quam ut habeant à piis politicis, & per eos tanquam profanos, ut nemo non

videat, nil tam ſacrum & ſanctum eſſe illis Walachris, quod non poſtponant ſanctitati ſuæ Hierarchiæ. Si enim pio Magiſtratui detur licentia colligendi & diſtribuendi Eleemoſynas, tum ſentiunt caſtrari ſuam juriſdictionem, cujus præcipuum nervum eſſe ſciunt, ut ſub ſpecie ſanctitatis cenſum imponant Chriſtianis ut ſubditis ſuis; cujus argenti ita corraſi ſi diſtribuendi quoque jus ſit Eccleſiaſticis, ob eandem ſanctitatem Eleemoſynarem, quis non videt; paulatim hoc exſtiturum, ut ſacrum ærarium ſibi comparent illi novi papiſtæ, ac ſi viſum ſit aliquando jugum carnale politicorum excutere, non modo maledicendo populum in principes inceſſant (quod nunc faciunt;) ſed ſacra pecunia conductos ſicarios in illos arment. Hoc videmus Papæ artificium fuiſſe, qui non ſolis verbis & ſuperſtitione ſibi ſubjecit Monarchas, ſed ſæpe Petri patrimonium & ærarium ſacrum in milites effudit, ut ſuam majeſtatem tueretur: quod vel unius Julii exemplo adhuc recenti conſtat, qui provecta ætate & ſeptuagenarius paludamento indutus, ad bellum equitans, à ponte Tiberino clavem Petri projecit, multis audientibus adjiciens hæc verba, *quando non valet clavis Petri, ſtringamus gladium Pauli.* Veniam nunc ad alterum *terminum* ſanctitatis Eccleſiaſticæ, Eleemoſynæ, Walachræ: videlicet *ad quem:* ut à ſanctis collecti illi nummi, *ex communione ſanctorum* conferantur, *nonniſi ſanctis fidelibus.* ſed hic eadem aqua hærebit.

Quæram enim, an ſancti ſint ſemper quibus confertur nummus Eccleſiæ? Credo Apollonium

nium hic ſæpe profanaſſe ſuam ſanctitatem, quoties nebuloni aut meretriculæ dederit aut juſſerit dari aliquid ex ſacro ærario, quod quotidie ob caſus inevitabiles fieri videri videmus. Id ſi fiat, queſtio hic orietur, an manca tum ſit illa ſanctitas, ob defectum termini *adquem*? rurſus, an validior ſit ſanctitatis *termini à quo*, in ſanctificando, quam profanitas *termini ad quem*, in profanando? rurſus, an ſi maneat illibata ſanctitas nummi Eccleſiaſtici ob ſolum terminum *a quo*; non ſuſpicandum ſit, aliquando Uſiaca lepra corripi illos nebulones, qui Diaconis imponentes, ſanctam illam pecuniam non tangunt modo, ſed devorant. Fieri etiam potuiſſet ut ſacrum æs ad Irlandos miſſum incidiſſet in piratas: dubitabit aliquis Walachrus Caſuiſta, quid tunc accideret illis nebulonibus, cum ſacrum illud ærarium tangerent & diriperent, an non ſtatim caſuri ſint cum Uſa, an Leproſi futuri cum Uſia rege? Ego credo, tam attonitos fore ad iſtius Theſauri intuitum illos prædones, quam canes ad laridi, aut lupos ad ovium oblatum: ut perdifficile ſit Apollonio omnes ſcrupulos amovere, qui à termino *ad quem* oriantur, niſi cum Papiſtis ſtatuat, ſanctis omnia conferri, quæ vel peſſimis ſcurris conferuntur, modo *intentionem* habeat Apollonius aut diaconus conferendi ſanctis quæ diſtribuit ex ærario, quæ tam laxa eſt ſanctitas intentionalis, ut ſub hunc numerum ſanctorum poſſint venire Batavicæ vaccæ, ſi in illarum victum impendatur Eleemoſyna: ut certe admodum turbulenti fontes ſint ſanctitatis Eleemoſynaris Walachræ, ſi fluere

debeat *à dantis* & *accipientis* ſanctitate : ex quo apparet, ridiculum eſſe collectum quoque ſanctitatis terminum *per quem*; nec multo magis veriſimilem, quam ſi urgeat aliquis;inter duas fætidas cloacas poſitum, debere eſſe limpidiſſimum: ita abſurda eſt fabula Grallatoris; ſanctos omni modo eſſe debere, qui Eleemoſynas accipiant, & diſtribuant, quia ipſæ Eleemoſynæ ſunt, ob *dantes* & *accipientes fideles*, ſanctæ: cum jam conſtet ſanctitatem termini *à quo*, & *ad quem*, ſæpe fallere & ut plurimum hominum vitio fieri profanam. Id ſi quoque in Walachria accidat, ut ſemper ſancti ſint, qui dant & accipiunt, non video tamen quomodo ſuis ſanctitatibus recte cavebunt a termino *per quem*: non modo enim poterit violari illa *objectiva ſanctitas*, ſi à Politicis tangantur Eleemoſynæ (quod metuit unice) ſed multa alia orientur dubia, nimirum ſi fur aut nebulo ſit ipſe concionator, aut Diaconus, (quales caſus ajunt in Walachria occurrere) annon tunc profanetur prorſus illa ſanctitas? rurſus, ſi in Irlandiam aut aliquo tranſmittenda ſit pecunia, & non poſſit tangi aut tractari niſi à ſanctis; an tunc nautæ, vel puero, vel tabulario, aut trapezitæ poſſit ſine ſacrilegio committi iſte theſaurus? raro enim accidit ut in talis farinæ hominibus ſit poſitiva, aut comparativa, nedum ſuperlativa ſanctitas; quæ ſi ad hujus Eleemoſynaris collectæ acceptionem & diſtributionem tam rigide requiritur, innumeri fere caſus occurrent ipſis Walachris, quibus cogentur ſuam ipſi ſanctitatem polluere, ut certe à Papa impoſtore

poſtore putido mutuatus ſit Grallator omnes has ſanctitatis latebras; qui undequaque corraſit chymeras, ut occaſiones obtenderet laicis, quibus tanquam fumis ſanctitatum eos excæcaret, & ſibi ſubſterneret. Non fuiſſet unquam tam contentioſus Apollonius de hac ſanctitatis larvâ, ſi non Antichriſtum potius quam Chriſtum voluiſſet imitari: Chriſtus certe optume intellexit, quanta eſſet ſanctitas Eleemoſynæ, quæ *à ſanctis* collata *ad ſanctos* tranſibat; tamen tam parum ſollicitus fuit ut illa ſacra pecunia *per ſanctum* tantum tractaretur; ut id negotium commiſerit Judæ, quem ſciebat diabolum eſſe, cum facile potuiſſet ſanctiori committere. Si pium magiſtratum poſtponere velit ſanctitate, Judæ, furi, proditori & diabolo; per me licet ut hoc ſuo paradoxo gaudeat grallator.

Multus eſt in deprædicando exemplo Eccleſiæ Apoſtolicæ, ſub qua Eleemoſynæ ab Eccleſia & Eccleſiaſticis perſonis, ut diaconis, tantum tractatæ ſunt, neutiquam politicis, qui tunc Eccleſiæ pars non erant, ſed hoſtes, quod clamat habendum pro inviolabili & perpetua lege.

Sed oſtendi aliquoties, delirare in hoc Apollonium: Apoſtoli enim quoad circumſtantias cultus multa fecerunt, quæ temporis progreſſu mutata ſunt, immo ipſi quoque mutarunt. Alioquin dicat mihi; cur primo bona ad pedes Apoſtolorum adtulerint Chriſtiani, & poſt iſte uſus ſublatus ſit? cur curam pauperum primo habuerint & menſis præſederint Apoſtoli, & dein

ſe illa cura liberarint? cur dein iterum occaſione poſtulante in ſe adſumſerint? cur ex collectis Eccleſiæ olim alebantur Epiſcopi, ac ipſe Paulus? & poſt ſtipendia à politicis ſumpta ſunt, ut nunc fit? an legem Pauli frangant hodie Chriſtiani, dum apud Politicos de bioticis litigant,
1 Cor. 6. quod Corinthiis tunc cum gravi correptione interdixit? Uſus & tempus poſſunt multa in circumſtantiis cultus immutare, ob graves cauſas, ſine culpa. Si Apollonio credimus, Politici ſub Apoſtolis non admiſſi ſunt ad Eccleſiam: ſi perpetuum hoc eſt, cur hodie non arcentur? quis non videt promptam mutationis cauſam! olim non erant aut admittebantur intra Eccleſiam, quia erant hoſtes & lupi: poſtea admiſſi ſunt, quia facti ſunt amici, cuſtodes & nutritii Eccleſiæ. Sic de Eleemoſyna ſtatuendum. Extra Eccleſiam non quærebant eam à Politicis Apoſtoli: merito! quia enim hoſtes erant non accepiſſent: nunc quia cum imperio dare poſſunt, & ut fidelia Eccleſiæ membra volunt; cur reſpuetur illorum beneficentia?

Sed hoc eſt Arminianum (inquit) & *ſic poſſent omnia cultus munia ad politicos transferri, cum religionis ruina.*

Quaſi vero religionis ruinam voluerit Arminius! qui utcumque delirarit; in hoc tamen religionis fuit amicus, quod Papæ fuit ſtrennuus adverſarius. Is enim, ſi quis in toto orbe unquam, totius Chriſti cultus & religionis eſt inverſor. Hujus pantomimus cum aperte ſit Grallator, meretriceam hanc impudentiam ab illo quoque mutuatus eſt, quod *ruinam religionis* alteri

teri imponit, quam ipſe omni conatu molitur: Sed veteres ſuos præceptores Phariſæos in hoc ſequitur, quod veritatem odioſo nomine oneret, uti illi Chriſtum, Nazarenum, Samaritanum, & fabrum, injurioſe dicebant. Non exiſteret certe religionis ruina, ſi pii politici, hodie fide & ſpiritualibus donis ornati, omnia Eccleſiæ munia obirent & juvarent, in quibus nunc nil ſpecialis ſanctitatis eſſe oſtendi, qua cogantur abſtinere, ſi donis inſtructi ſint & res requirant. Non magis ſic interiret religio, quam cum ipſe *rex Saul olim erat inter Prophetas*. Apollonius humano faſtui ſuo metuit: vult enim ut novus Papiſta, in negotiis ſui choragii latere myſterium aliquod ſanctitatis non tangendæ, niſi à ſuæ farinæ ſanctis Eccleſiaſticis: quod commentum quia videt Politicos ſuos contemnere, maledicus fit, & multò ineptius delirat, quam olim ſervus Moſis, cum videbat Eldad & Medad gre- Num. 11. garios prophetare in caſtris, quod cum putaret abſurdum eſſe & in Moſis opprobrium, *dicebat*, *Moſche prohibe illos*: ſed meliore ſpiritu actus, quam hodie Grallator, reſpondebat Moſes, *utinam omnes prophetarent*! Hæc utut veritati conſonent, non eſt tamen quod metuat, otium & voluntatem nunc eſſe piis politicis, ingerendi ſe in negotia Eccleſiaſtica, & ea confuſe obeundi: Ordinis cauſa, hanc curam Prædicatoribus mandant; quos propterea tranquillitate, & ſtipendiis cumulant: ſic tamen, ut nunquam credant, ſibi non licere in negotia religionis inſpicere, ea curare, & ſi opus ſit obire, & negligentes ac vertiginoſos miniſtros, ut mercenarios ſuos, plecte-

plectere. Nil minus propoſitum fuit Mittelburgenſi Magiſtratui (ut ajunt) quam pauperum curam dimittere; aut hanc Eccleſiæ & diaconis interdicere, (quo crimine conatur eos onerare Grallator ſuo ſcripto) ſed papiſtico typho Apollonii tantum reſtitere : quod erat, *ſibi ſuiſque Eccleſiaſticis, jure ſacro & divino, ſolis convenire curam pro ſanctis pauperibus* : tanto rigore, ut aperte ſcribat, Magiſtratus facturos *contra verbum Dei, contra jus divinum Eccleſiæ, contra leges Provinciarum, & juramentum patriæ, denique occaſionem daturos infringendi cultus & religionem veram*, ſi auderent curam pauperum *vel ſoli nomine Eccefiæ, vel cum Eccleſia & diaconis, in ſe ſuſcipere & collecta domatim inſtituta, indigentiam ærarii Eccleſiaſtici ſupplere*: ſi legiſſet ſolum Calvinum ille plagiarius, vidiſſet facile ſuum delirium.

Inſt. lib. 4. c. 4. ſ. 7. Is alibi refert, adhuc tempore Gregorii penes Epiſcopum fuiſſe curam omnium bonorum Eccleſiæ, quorum tres erant uſus : unus ut pauperibus provideretur ; alter, ut templa & cultui deſtinata procurarentur : tertius ut familiæ & victui Epiſcopi proſpiceretur. Si hæc omnia antiquitus fuere Eccleſiaſtici juris, mirum eſt quod Calvinus non accuſavit ſacrilegii ſuos magiſtratus, quos ſciebat duo poſtrema in ſe recepiſſe. Noverat certe perinde eſſe à quo hæc fierent hodie, modo effecto Eccleſia frueretur. Grallator ille turbulentior, indignatur quidem, quod ædilis & *ſtipendiaria ſanctitas* hodie ſub politicorum poteſtate ſit, de qua fruſtra litigaret : ſed tamen in *tertia Eleemoſynari* non ita facile deponit ſuos ſpiritus, quin omnibus nervis contendat,

Digitized by Google

dat, ſibi hanc ſaltem reſervare; certo perſuadens, ſi poteſtatem ſemel obtineat, (oſcitantibus politicis ſub) prætextu *Eleemoſynæ*, imponendi Eccleſiæ *cenſus*, & eos pro arbitrio diſtribuendi, facile ſibi anſam orituram, occupandi iterum *ædilem* & ſtipendiariam ſanctitatem, & ſic ſubjugandi Politicos in totum, ut fecit ille Romanus pirata. Id quia ſubolſecerat magiſtratus Mittelburgi, non deſtitit ocultis illis machinis remoras omnes injicere: vendicata ſibi cura publicæ diaconiæ: quem clavum, altero iterum clavo conatus eſt trudere Grallator. Ferunt enim excogitaſſe privatum & ſanctiſſimum *conſiſtoriale ærarium*, in quod colligitur, quidquid a deſponſatis donatur, cujus curam ſibi ſolis ſervant Prædicatores, excluſis Diaconis & Senioribus: Nolim aſſeverare vera eſſe, quæ ex tam longinquo nobis adtulit rumor. ſi credibile ſit, non inficior venuſtum eſſe inventum, quo ſe muniat Grallator, ac oblectet pecuniaria illa ſanctitate: Nec dubitamus hic, prorſus ſubli- miſſimæ ſanctitatis eſſe illud æs: quamquam enim ob *terminum à quo*, perſperſum ſit aliqua rubigine profanitatis, tamen ob *terminem ad quem* & imprimis *per quem*, ſanctiſſimum eſſe neceſſe eſt; quippe cui tangendo & tractando non conveniat Politicorum *privativa* & *cumulativa*, civilis: ſed ne quoque Eccleſiaſtica, *poſitiva* diaconalis, *comparativa* preſbyteralis, ſed ſola *ſuperlativa*, ſanctitas Concionalis: ut certe deſiderio flagremus Friſii, aliquid illius ſuperlative ſanctæ monetæ videndi; quam felicitatem ſi nobis locorum diſtantia invideat, mirabimur

bimur tamen artificium illius Walachri, qui non abAntichriſti modo lacunis hauſit ſuæ ſanctitatis Eleemoſynaris latices; ſed à Juda proditore videtur didiciſſe, qui ſanctiſſimam Eleemoſynam Mariæ, in Chriſti ipſius unctionem collatam, audebat profanitatis arguere, ut haberet dives ærarium, ex quo profunderet & furaretur.

CAP. VI.

De prærogativis, quas Eccleſiaſtici habent ad hæc negotia obeunda.

EXaminavi hactenus, quanta potui brevitate, omnia negotia cultus & religionis noſtræ, quæ vocant vulgo Choragium Eccleſiæ, ac oſtendi ea nunc talia eſſe, ut nullam habeant ſpecialem in ſe ſanctitatem aut difficultatem, qua ſpecialis juris ſint, aut aliquibus Chriſtianis illicita, ut olim erant Levitica templi negotia. Fateor qvidem ſacra eſſe ratione *Authoris* Dei,& *finis*, qui eſt cultus Dei: ſed hæc tantum eſt generalis ſanctitas, qualis eſt in legendi, precandi, & pſallendi negotiis, quæ omnibus Chriſtianis licita ſunt cum ad hæc obeunda ſunt apti. Id quoque non diffiteor, ſub Apoſtolis fuiſſe inſigniter ſancta quoad modnm. Quia enim multis Spiritus Sancti donis erant ornata, qualia erant, veritas infallibilis, pietas inſignis, & maraculorum poteſtas, quibus illi magni Eccleſiæ archi-

architecti abundabant; hinc factum eſt, ut tunc pene humanum modum tranſſcenderent illa Eccleſiæ negotia: quæ dona licet nunc in Eccleſia diu deſinant; non ceſſant tamen veteres Papiſtæ, ſuum Eccleſiæ choragium & miniſterii larvam ex illius ſanctitate hodie metiri: quos ad veſtigium ſequitur Walachra cohors novorum Papiſtarum, qui tam mira garriunt de ſublimi ſpiritualitate ſuorum negotiorum, quæ quotidie obeunt, ut perſuadere conentur, neminem laicum aut vulgarem Chriſtianum, imprimis politicum, ad eorum ſpiritualitatem poſſe pertingere: quod quam frivolum ſit ex ipſis negotiis muneris Eccleſiaſtici, ſingulatim expenſis, apparet; quorum nullum tam ardui operis eſt, quin gregarius quivis in Eccleſia facile poſſit obire: vel ſi quid eminens, quod hodie prædicatio eſſe creditur, ea quoque non aliter quam mechanica humanis artibus acquiritur; ut fere hic prævalere cenſeatur, qui metaphyſicam Ariſtotelis, rhetoricam Quintiliani, vel impudentiam mimorum optume didicit: ex quibus fontibus enata Eccleſiaſtici choragii ſanctitas, non mirum eſt, quod raro effecta vere ſancta & ſpiritualia producat in ſuis Choragis & operariis, ſed fere ψυχικα & carnalitatem (unde nata ſunt) redolentia: ut nil vulgatius ſit, quam florem ipſum Eccleſiaſticæ ſpiritualitatis facillime prolabi in errores, contentiones, avaritiam, faſtum & luxus: ut qui cum Apollonio & veteribus Papiſtis hodie tantum ſanctitatis myſterium ſtatuat in muneribus hodiernis Eccleſiæ (quod ſæpe dixi) ſaccariam ludat & cone-

& conetur hominibus ſuperſtitionem incutere, ut credant, in Eccleſiæ externo munere & actionibus (qua talia) eſſe quod revera non eſt.

Id veteribus papiſtis ſolemne; quod ignotæ linguæ phraſibus, mira pompa & geſticulationibus ſua negotia involvant, ut imperitis ſuperſtitioſam ignorantiam, ac admirationem inducant: quod ex illorum inſtituto Grallator apprime quoque facit, cum de authoritativa ſua prædicatione, juridiciali & cenſoria poteſtate, Claſſium & ſynodorum deciſionibus & mira Spiritus ſancti aſſiſtentia, tam abſtruſe philoſophatur, ut ab horum ſanctitate etiam præſtantiſſimos politicos arceat.

Quæ omnia papiſmi fermentum ſapiunt, non Apoſtolorum purum panem; qui tam parum ſolliciti erant de ſui choragii arcanis occultandis, ut totam Eccleſiam & omnes Chriſtianos ad omnes choragii ſui actus admitterent: Ex primis quoque poſt Apoſtolos patribus, Juſtino, Athenagora, Tertulliano &c. apparet, nil tam noxium Eccleſiis fuiſſe, quam quod crucis vitandæ ſtudio cogerentur ſuum cultum clam & in cryptis exercere: inde enim naſcebantur calumniæ, quod *communionem uxorum in tenebris exercerent*, quod *thyeſtæas cænas celebrarent*, & *carnes pueri occiſi inter ſe epularentur*: (quod ex Cænæ errore videtur natum fuiſſe) quibus diluendis non melius inveniebant remedium, quam quod omnia ſui Choragii negotia publicarent, ipſoſque adeo Principes ad eorum intuitum invitarent. Antichriſti ſemen fuit, choragii Eccleſiaſtici occultandi & ſeparandi præciſitas & religio;

religio ; quæ fatali progreſſu tandem Romanum illum Exlegem evexit ſupra omnes *dictos Deos* & mundi Monarchas : quem fa- 2 Theſ. 2
ſtum quia Walachrus ille miratur & ambit , iiſdem cothurnis conatur incedere, ſed in pueriles grallas decidit. Quia tamen de ſua ſpiritualitate tam operoſe nugatur, quam nunc vidimus in objecto , hoc eſt, ipſo choragio non eſſe ; pergam porro inquirere, an in ipſis agentibus, hoc eſt, Eccleſiaſticis (ut loquuntur) ſit aliquod jus ſpecialis ſanctitatis? Utcumque enim in objecto & Eccleſiæ negotiis quærat ſanctitatis latebras Apollonius , tamen fere ubique ſubſiſtit in Vocatione & privilegiis , quibus ornati Eccleſiæ rectores omnes Politicos & laicos, hoc eſt, Chriſtianos mira ſanctitate antecellant: ut nunc inquirendum ſit, quam prærogativam habeant ſanctitatis Eccleſiæ rectores , ad illa Eccleſiæ munia vel ſolum, vel ſingulari modo obeunda ; quam fere perſuadet oriri à *vocationis hodiernæ* dignitate ; quam omnibus Politicis tanquam Ægidem objiciens , conatur eos in ſaxa mutare, ut quid rei ſit non videant: unde nunc operæ pretium erit expendere , quænam in *vocatione hodierna* lateant *Sanctæ*, *Eccleſiaſticæ*, *Spiritualitatis myſteria*. *De vocatione.*

Nil voluit Deus magis commendatum eſſe hominibus , quam religionem & ſuum cultum , quem non modo iis revelavit , ſed ipſe præſcripſit ; effecitque ut omni tempore exiſterent , qui illi cuſtodiendo & hominibus inculcando vacarint . ut non

N indig-

indignatus ſit ipſe Deus in Paradiſo, primus Prædicatoris munus obire: multos dein omni tempore excitavit, quibus ut legatis ſuis uſus eſt; quos tot inſigniis legationis ſuæ ornavit, ut omnes, qui nolebant oculos malitioſe claudere,
Extraordinaria. viderent, eſſe veros Dei vicarios & haud aliter illorum dictis ſtandum eſſe, quam ſi Deus ex cælo loqueretur. Inter hos eminuerunt Prophetæ, & Apoſtoli, quos extraordinariis donis ſupra communem hominum conditionem extulit & mirando modo ad prædicandi officium extruſit. Fateor aliquid ordinarii nonnunquam adfuiſſe, cum in Samuelis, Eſaiæ, Heliæ & aliorum Propherarum ſcholis exercerentur ad hoc munus pueri Prophetarum. Sed in Amos & aliis ſæpe omnia ordinaria media rejecit Deus, & quoties etiam illos ordinarios ad hoc opus emiſit, tanta Spiritus ſui efficacia illos induit; ut infallibilitatis & miraculorum donis toti orbi eſſent admirabiles & metuendi. Etſi enim dubitaſſent, & voluiſſent ambigere malevoli, de *vocatione* illorum *divina*, tamen ex effectis, & modo prædicandi, quo utebantur, facile convinci poterant ut cogerentur fateri, quod obſtinate diſſimulabant: ut non immerito hinc
Rom. 10. ſtatuat Generale axioma Paulus, *quomodo prædicabunt niſi miſſi fuerint?* non quod divina *legatione* omnes pollere velit qui quovis modo prædicandi officio fungerentur (feciſſet enim infinitis falſariis latibulum.) Ne quidem hoc voluit, ut nemini apto & Spiritu Dei bene inſtructo prædicandi jus denegaretur, donec externa vocationis pompa confirmaretur, ut hodie veteres novique

novique Papiſtæ delirant: ſed ut firmiter colligerent Chriſtiani; illic eſſe veram & divinam *vocationem ac miſſionem*, ubi vera theopneuſta, ac miraculoſa prædicatio exſtabat: qualem tunc inter gentes plurimis locis exiſtere, ipſi Apoſtoli mirabantur & Judæi perperam indignabantur. Hæc fuit *vocatio extraordinaria*; tam divina ac efficax, ut certe humano omni faſtigio altiores eſſent, & quaſi mundi numina, quos Deus tali miſſione dignaretur. Nō poſuit tamē ſibi hanc æternam legem, ut quos cultui ſuo præficeret, ſemper extrà ordinem vocaret & ornaret: unde factum eſt, ut ordinariis quoque *vocandi* viis Chriſtianos adſuefecerint jam ab ſuo tempore Apoſtoli, ne deficientibus tandem illis extraordinariis vocationis modis, bonorum miniſtrorum defectu ceſſaret cultus & prædicandi negotium: vel ordinis carentia ac malorum obreptu, confuſio oriretur in Eccleſia. Hinc natæ ſunt ordinariæ vocandi regulæ, quibus caveretur, ut nonniſi apti ad Eccleſiæ munia ſeligerentur & omnis *philarchiæ* occaſio præcideretur: cui malo non melius inveniebant remedium illi primi Eccleſiæ Architecti, quam ut totius Eccleſiæ conſenſu & approbatione vocationes fierent. In quo certe mirandæ moderationis & ſpiritualis modeſtiæ exemplar in ſe voluerunt edere Apoſtoli. Ea enim dignitate pollebant in Eccleſiis tantaque donorum ſpiritualium affluentia abundabant, ut facillimum ipſis fuiſſet, pro authoritate, infallibili judicio, Eccleſiis præſcribere & mittere rectores, quorum ductui tuto potuiſſent ſe ſubjicere, ut non opus fuiſſet, tot minorum & non

Ordinaria.

theopneuſtorum ſuffragia opperiri: Sed tamen ſpiritu modeſtiæ induti, non ſumſerunt ſibi hanc prærogativam; ſed nec habebant ratam vocationem, niſi χειροτονίᾳ, ſuffragiis, ſorte, jejuniis, precibus & omnium Eccleſiæ membrorum concurſu ac conſenſu perficeretur negotium; quod
Act. 1. tam modeſti & popularis Regiminis exemplum
Act. 6. eſt, in illa feliciſſima Eccleſiæ ætate, ut alibi Apollonio & Bucero ejus ſupercilium commo-
part. 1. p. 159. tum ſit; *quod Apoſtoli tunc pluſculum populo tribuerint*, ob *teneritudinem Eccleſiæ*. niſi pluſculum papiſſare credantur, qui infantiam Eccleſiæ ſtatuant illic, ubi virile robur ac maxima virtus erat.

Id magis etiam mirandum fuit, cum vocationum ἀποτέλεσμα & confirmatio perficeretur *manuum impoſitione*; ſumpto more à veteri Judæorum inſtituto. Etſi autem Præſbyteris & forte omnibus promiſcuum eſſet hoc officium imponendi manus; id tamen illo tempore notiſſimum erat, ab Apoſtolicarum manuum impoſitione oriri mirabiles viritutes, quæ ſe exerebant ſtatim in illo cui imponerentur: tam copioſe enim his ſuperfuderat ſuum Spiritum Chriſtus, ut etiam *veſtes*, *ſudaria*, *immo umbræ* Apoſtolorum, ſanarent egros, nedum ut manus impoſitio eſſet inefficax. quod tam apertum erat tunc omnibus, ut rei novitate illectus ipſe Simon magus, oblato pretio, conatus ſit id manuum impoſitionis donum à Petro ſibi comparare: nec dubium eſſe debet, quin illa virtus paulatim decreverit, donec ultimo prorſus defecit, ut non dubitandum ſit, Apoſtolicam χειροθεσίαν tunc fuiſſe ſacerrimam, quippe quæ nunquam aber-

aberraret & effecta ſemper ederet: in aliis autem acciderit ſubinde, ut delectu & effectu deficeret; ut jam tum Timotheum moneat ipſe Paulus, *ne manus cito alicui imponeret*. Hæc mittendi & vocandi ſimplicitas, cum tot ſpiritualium donorum concurſu, non mirum eſt, ſi tunc contulerit hominibus divinam quandam ſanctitatis dignitatem, quæ ſe effectis ſtatim exſerebat: ut libere dicam, ſi talis *vocator*, vel tali vocatione *vocatus* nunc in mundo ſit, deferendum illi fore ſupra omnes majeſtates ſpiritualitatis reſpectum. Sed hic nunc deploranda temporum noſtrorum infelicitas & carpendus Eccleſiaſticorum faſtus; qui vocationis vere divinæ inſigniis & donorum ſpiritualium copia deſtituti hodie, tam alte ſuperbiunt de ſuæ vocationis prærogativis, ut Prophetis & Apoſtolis ipſis ſint inflatiores. Is enim error in veteribus papiſtis eſt antiquus, ut ſimulac aliquis vocatione Eccleſiaſtica, gubernaculis Eccleſiæ admotus ſit, haud aliter ſuperbiat, quam ſi ex cælo delapſus omne humanum faſtigium ſuperet: dicunt enim, vocationem & conſecrationem Eccleſiæ *imprimere characterem indelebilem, non corpori modo, ſed animæ clericorum*, quod alibi notat Martyr.

1 Tim. 5.

Martyr loc. communi p. 750.

Ab his (ut cæterea) ſuum quoque commentum mutuatns eſt Grallator; quod vocationis obtentu ſibi arroget præ politicis mirabilem & *ſpecialis juris ſanctitatem*, qua *ſoli* illi liceat *Eccleſiaſtica formalia* tractare, *ſancte & formaliter eccleſiaſtice*.

Tota enim derivatio juris Eccleſiaſtici & poteſtas ſpiritualis ſacra per vocationem confertur miniſtro (inquit) aſſeritque ex hac naſci, *ſpeciali jure miniſtris Imperium œconomicum* & poteſtatem Autocratoricam

part. 2. p. 147.

cam ſub Chriſto, etiam in ipſos magiſtratus: unde non uno ſed multis locis, de *Vocationis myſteriis*, copioſe diſſerit, ut hoc quaſi Meduſæ capite, ſuperſtitione imperitos ſtupefaciat.

Fateor enim hic, ut in reliquis, papiſtarum vitula tribulare & crebras ineptias proferre; quia tamen ludit ubique ſcholaſticorum decerptis floribus, non poſſum non eos curſim quoque decutere.

Statuit ex iis vocationis integrales partes tres. 1. *Electionem* 2. *vitæ & doctrinæ explorationem*. 3. *Confirmationem ſeu Ordinationem*. Nuſquam ita betiſſat, quin ubique ingenii ſui acumen oſtentet ſuo modo: quod ſi in hac diviſione affectarit; dicam turpiter cæcutiiſſe, quod *Electioni* poſtponat *vitæ & doctrinæ explorationem*. Niſi enim varia electionis genera fingit, facit ex *materia* aut antecedente prærequiſito *formam*: ordinemque prorſus invertit: Ni Apollonio recte vocare ſit, primo *vocare*, ac dein diſpicere, an quis *vocabilis* ſit. Credo hoc illi abſurdum non eſſe, quippe in Papiſtatum ſchola verſato; apud quos moris eſt, in vocando Papa raro videre, quis aut qualis vocetur, ſed per fas, per nefas, intrudere in Cathedram Petri, ut ſi vel peſſimus nebulo, vel ſcortum eam occupet, *habeat qui poteſt & poſſideat poſſidens: Cathedra enim Petri ſempem invenit Papam ſanctum vel facit* (ut loquuntur) Non eſt ignarus hujus iniquitatis myſterii Grallator, dum in vocatione primum *eligi vult*, dein examinari, an *eligibilis* ſit? quaſi currui equos poſtponat ad trahendum. Si enim recte *vocare* eſt primo *eligere*, dein de vita & moribus inquire-

re, tum recte ſeret agricola, qui primo ſparget ſemen, ac dein inquiret, triticumne an lolium ſit quod ſparſerit.

Pari modo in tertio membro errat; cum *ordinationem* ceu *manuum impoſitionem* facit partem integralem, immo principalem formam *vocationis*; cum revera tantum conſequens ſit, & quaſi additamentum. Si liberet acumen jactare (ut hic paſſim) ſic dicerem: Confirmatio eſt vel *exiſtentis vocationis* pars, vel *non exiſtentis*: ſi hoc, tum non eſt pars vocationis, quæ necdum ſit: ſi illud; tum non eſt *pars formalis* ejus quod *ante* erat. Scio Apoſtolos poſt vocationem *manus impoſuiſſe*: ſed hoc non evincit, partem formalem vocationis eſſe Impoſitionis manuum ritum. Non magis, quam vocationis Apoſtolorum inſufflatio Chriſti: aut ſannationis leproſorum declaratio ſacerdotis: ſigna non conſtituunt rem, ſed oſtendunt conſtitutam eſſe; uti dextræ datio fidem & fædus non facit, ſed oſtendit & confirmat. Quod autem alibi dicitur, *manus ne cito alicui imponas*, hoc eſt, ne facias doctorem Eccleſiæ; non infert manuum impoſitionem eſſe vel integralem vel formalem partem vocationis; cum nota ſit figura, qua ſigno & effecto tribuitur nomen efficientis & ſignati: ut ſi dicam Coronam regiam ne cito alicui imponas, non inde ſequitur, coronam vel ejus impoſitionem formaliter facere regem; multi diu, immo tota vita regnarunt, ſine Coronationis ſolemnibus. Hæc fuit ars Papæ (ut hoc obiter addam) quam primo evercuit, circa annum 700 in Carolinis, quod Cæſarem inungeret & co- 1 Tim. 5.

ronaret Pontifex: id officium honorarium primo obtulit Cæſaribus ut rem liberam; & ſic quoque Cæſares eam acceperunt tanquam non neceſſariam: ſed ſceleratus veterator Papa ſibi inde comparavit poteſtatem faciendi Cæſares & reges. Inde enim jus & mos fuit, quamvis aliquis electione Cæſar eſſet, ut non haberetur pro legittimo Cæſare, niſi primum coronationis aut Benedictionis Papalis ſolemnibus confirmaretur. Pari modo in Eccleſiaſticis quoque ludit hoc artificio *confirmationis*: Neminem Epiſcopum confirmat, quin primo illi ſolvat reditum unius anni totius Epiſcopatus, quem ptopterea *annatam* vocat: Archiepiſcopus nemo ab illo fit, niſi habeat palliolum Petri, cujus ſolus ipſe venditor eſt: conſtare hoc dicunt, ex ſacra lana & habere limbum ex plumbo deaurato, ac tam curtum eſſe, ut vix ſcapulas obtegat, ad paupertatem Papæ fingendam, quaſi id à mimis mutuatus eſſet. Non ſum adeo gnarus veteramentariæ Papalis, ut aſſeverem me hæc vidiſſe: id tamen refert Sleydanus, hoc non eſſe venale Papæ niſi tricies mille florenis: ita carus ſuarum nugarum venditor eſt! hoc enim illi religio eſt, Deum, hominesque & omnem religionem ridere, quod in *Confirmationis* officio ab illo fieri, jam patet.

Novus ille Papiſta Walachrus, eandem opum & honoris Laidem ambiens, Confirmationis hac larva multum quoque ſtomachatur: p. 160. & 167. quia enim ſpiritualis ſanctitatis Eccleſiaſticæ *ſpeciale jus* ponit in *vocatione*, tanquam fonte:

te : apprime caveri vult, ne magiſtratui, ut politico & polluto, fiat poteſtas attingendi hanc ſacerriman *vocationem*, ne ſanguis Chriſti calcetur : Quia tamen videbat, recepto more & ab ipſis theologis conceſſo, politicis convenire hodie, ut miniſtrum Eccleſiæ *eligant*, & de *doctrina ac moribus ejus inquirant*, ac judicent; denique ejus electionem *approbent*, in quibus certe tota vocatio conſiſtit, anxius & volens providere ſuis ſanctis, venuſtam hanc fabulam a Papa ſumſit : *integralem* partem vocationis, & præcipue *formalem*, eſſe *manuum impoſitionem* : quam quia videbat hactenus recepto more ſolis prædicatoribus eſſe peculiarem, venuſte nugatur, quidquid agat & valeat in vocatione Politicus, nil tamen agere, nec ullo modo vocationem tangere, quia non *confirmet*, hoc eſt, manus *non imponat* : ex quo commento ſequeretur, nec Eccleſiam, nec miniſtros proprie & formaliter vocare Apollonio, ſed ſolum, illum, unum, qui confirmet, hoc eſt, manum imponat, qui ſi verbi gratia in Walachria ut plurimum Apollonius ſit, eſt quod ſibi gaudeat de ſanctitatis ubertate, quam non ipſe modo pleno pondere poſſideat; ſed tanquam torrens alteri infundat, ſola manus impoſitione.

Non inficior ſanctum & efficacem fuiſſe ſub Apoſtolis hunc ritum : ſed qui eandem ſanctitatem & efficaciam hodie rimetur in hujus ritus imitatione, dum omnium vitiorum illuvie pollutas manus imponit Grallator, is perſuadebit,

N 5 ean-

eandem vim quoque exſtituram hodie, ſi circulator aliquis luto oculos cæci perlinat; vel Papa, fœtidum & crapulam redolentem ſpiritum eructet, quod facit in conſecratione; quia Chriſtus luti illitu cæco viſum reſtituit & Apoſtolos inſufflando ad prædicandum emiſit.

Si non eſſet mihi frivolum, humanis authoritatibus certare de divinarum rerum jure & ſtatutis, amandarem illum Walachrum hic iterum ad *ſuum* Calvinum. Is alibi de vocatione & manuum impoſitione diſſerens, fatetur *præceptum non exſtare imponendas eſſe manus*. ab *uno an pluribus imponendæ ſint?* relinquit in dubio. Utcumque enim dubitetur, laicis fuiſſe licentiam imponendi manus ſub Apoſtolis, tamen ex Hiſtoria ſacra facile colligitur, multis fuiſſe prædicandi jus, quibus hic ritus χειροθεσίας non acceſſerat, & hoc jus imponendi manus tam promiſcuum fuiſſe, ut toti præſbyterio fuerit commune. Fatetur quidem Calvinus, temporis tractu, cum res ad faſtum paulatim vergerent, Epiſcopo honoris vel ordinis cauſa conceſſum eſſe confirmandi negotium; ſed aperte aſſerit præeunte Epiſcopo præſbyteros quoque ordinaſſe: ut mihi videatur inſtar Bombicis hic ſuæ telæ involutus eſſe ille nugator; qui cum Politicos tam curioſe ab ſuis ſacris arceat, eos tamen commodi ſui cauſa (quod alibi dixi) in præſbyterium quotidie adlegit: Niſi enim illa preſbyterialis vocatio, (quæ ſine manuum impoſitione hodie fit) miram in Politicis faciat metamorphoſin: concludam contra aſſertum Apollonii, illis quoque jus imponendi manus convenire; quia non prædica-

Lib. 4. inſtit. c. 3. 16. &c.

Lib. 4. inſtit. c. 4. 15.

toribus

toribus modo, ſed omnibus Senioribus, totique præſbyterio id conveniſſe ſub Apoſtolis & etiam diu poſt, ſcripturæ ſacræ judicio & Calvini ſuffragio jam evici. Non eſt mirum, ſuis ſacris ita ludere novum illum Papiſtam, cui nil fere ſacrum eſt, quam quod lubet: præſertim qui ſciat, vocationem ſuam hodiernam non modo veteri Apoſtolicæ diſſimilem eſſe ſanctitate, ſed ſcatere mundanis & carnalibus vitiis.

Vocatio hodierna qualis.

Quoties enim miniſter vocandus eſt, id plærumque cavetur, ut ab Eccleſiæ auribus amoveatur, qui donis excellat. Eſt enim ambitionis animal hodie myſtes, paris impatiens & popularis auræ afflatu turgidum. Raro etiam accidit, ut non quiſque affinem aut neceſſarium conetur intrudere, præſertim ſi locus ſit ſtipendii ubertate, amicorum vicinia, civium in menſis liberalitate, ob aliumve humanum reſpectum commodior: & quia varii ſæpe uni prædæ inhiant, non eſt quoque inſpirituale, ſi quiſque clientem ſuum extollat, corrivali etiam (ſi res ferat) per calumnias depreſſo: neque hic ſemper exulant artes ſimoniacæ, donandi, promittendi & repromittendi vel(ſi opus ſit)pejerandi, ut alter alterum ſimpliciorem catior derideat, ac picam ſuam fictis plumis tantiſper ornet donec pro aquila inauguret: nuſquam tam inops Eccleſiaſticarum ſanctitatum fuit in toto choragio Walachra Claſſis, quin ubique auctario præ cæteris donata emineret: id quoque illi accidere ajunt in principali hac vocandi ſanctitate, ut illic fere miniſter, de Eccleſiæ in Eccle-

ſiam

Digitized by Google

ſiam deceſſurus præ ceteris diſpicat, ut ſucceſſorem nanciſcatur, qui in re lauta ſit & copioſo ære, ut ſi fundum vel ædis illic relinquat caro pretio tranſeant in poſſeſſionem ſucceſſuri: quod ſi hic ſtipuletur, operam viciſſim ille obſtringit, ut Eccleſiam ſuam veterem ſponſam (cujus jam ſatur eſt) illi adglutinet, nec abſtinet, donec per fas per nefas voto fruatur. Nil enim magis eſſentiale videtur eſſe, quam ut totius Eccleſiæ, tanquam infantium, jus eligendi novum Patrem ſit penes Conſiſtorium, & quia Conſiſtorii non eſt unius gradus ſanctitas, ſed diaconorum poſitiva, Seniorum tantum comparativa, nil proclivius eſt, quam ut totum hoc vocandi jus miniſtri ſuperlativæ ſanctitati mandetur: cujus ſpirituale intentum cum ſæpe ſit, non Eccleſiæ ædificatio, ſed pretium ſuarum mercium, quis dubitet ab his *vocatoriæ ſanctitatis* myſteriis ſæpe accidere, ut non aptior *unus ex mille* (quod vult Apollonius) ſed ſæpe ineptior obtrudatur. Si de rumoris, quem refero, veritate quis dubitet, id tamen auſim aſſeverare, non eſſe aptiorem teſtem hujus ſpiritualitatis quam Apollonium: qui, ſi vera vult fateri, ſcit, ſe non diſſimili vocationis myſterio ſpeciale hoc jus ſanctitatis accepiſſe, ac fere nulli aliter contuliſſe. Scio honeſtius aliquando agi, nec abuſum tollere ſemper uſum, hoc tamen aſſero, quia deſunt hodie Eccleſiæ vocatores theopneuſti, quia à manuum impoſitione hodie ſeparata eſt donorum ſpiritualium collatio, licet Chriſto juſſore & ſpirituali fine fiat

fiat; quoad modum tamen, humanam tantum eſſe hodiernam vocationem, quia totus modus fallibilis, humanus ac ſæpe vitioſus ſit; unde effectus quoque ſemper humani, ſæpe vitioſiſſimi exiſtunt, ut pro Apollo Apollonius, pro propheta Sophiſta, pro Epiſcopo Sycophanta eligatur. Quia autem vocatio hæc principalis origo eſt Apollonio Eccleſiaſticæ ſpiritualitatis hodiernæ, ne plus credatur eſſe in effecto quam in cauſa adæquata, concludo, hodierni Choragii obeundi poteſtatem non eſſe divini, ſed humani juris: ac proinde impoſtorem agere Apollonium, qui de negotiorum ſuorum Eccleſiaſticorum *ſanctitate* & eorum obeundorum *ſpecialis juris ſpiritualitate* tam effuſe garrit: haud multum diſſimilis nummorum corruptoribus, qui falſo metallo conflata numiſmata ſplendida cruſta veſtiunt, ut aliis damnum ſibi lucrum comparent. Fateor hoc eſſe vetus Papiſticum allium, multis adhærens: ſed nec difficile fuerit omnium theologorum ſcrinia percurrenti (quod hic gloriatur ſe feciſſe) advertere, perſpicaciſſimos reformatorum diu ſubodoratos eſſe, nil quam Romanæ matris ſecundinas, & ab nativitate adhærentes ſordes eſſe, quidquid de hac ſpiritualitate & ſanctitatis jure ſpeciali tam alte extollitur. in quo, ſi quis unquam, certe protervior eſt Grallator, qui præ ceteris Romanæ meretricis profluvio delectatus, & fædam ejus gonorrhæam reſorbens, non contentus communibus elogiis, de hujus privilegii jure tam alte ſuperbit, ut paſſim afferat, poteſtatem Eccle-

Eccleſiaſticam, eſſe quandam *majeſtatem* & *regii* quid in ſe habere. Fateor Chriſtianum nomen nos admonere regii officii; quod Catechiſtes dicit in hoc conſiſtere, ut contra peccata certemus & carnis concupiſcentiis imperemus; eſtque omnium Chriſtianorum commune; Sed hoc privilegio non contentus Grallator, ex miniſteriali vocationis jure facit ſibi jus imperii & regnandi in Eccleſia, ſpeciali jure, cenſorio & nomothetico, ut non ſemel hanc poteſtatem, vocet ſub Chriſto, imperialem, αὐτοκρατορικὴν, abſolutam & regiam. Fateor nugas tantum eſſe
part. 1. p. 8. 25, &c. quæ paſſim ſpargit, ne tamen videatur contemptus quia non ſit deriſus, non injocundum erit aures illi perfricare pluſculum:

Mirifice illi placet, quod Chriſtus, de Eccle-
Math. 13. &c. ſia agens, vocet *eam regnum* ſuum, quod *de hoc mundo non ſit*, ſed cæleſte & *Regnum cælorum*. Unde concludit, Eccleſiam viſibilem eſſe *regnum* ejuſque regimen habere ſpeciem *regni*; & quia hujus regiminis poteſtas ſit penes rectores Eccleſiæ, eorum ergo poteſtatem eſſe *quodammodo regiam*: talia ſunt Papiſtarum enthymemata, pro ſpirituali & Eccleſiaſtico regno.

Reſpondeo, fallaciam homonymiæ admitti, cum per Eccleſiam ubique intelligitur Eccleſia viſibilis. Dum enim Chriſtus dicit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo ſed cæleſte, intelligit hoc de Eccleſia *Catholica*, quæ nunc maxima parte in cælo eſt & ibi cum Chriſto regnat.

Quia vero complendo huic regno deſtinata eſt Eccleſia *viſibilis* in terra, ac miniſterium ejus; transfert quoque Chriſtus nomen *regni Cælorum*

Cælorum ad Eccleſiæ viſibilis negotia, non quod ipſam Eccleſiam viſibilem ac miniſterium ejus velit haberi pro regno, vel regno cælorum, ſed metonymia nota transfert nomen effecti & finis ad efficiens, quod ad illum finem ducit: haud aliter, ac victum & amictum quærere dicimus eum qui labore *argentum* quærit; non quod argentum reipſa victus & amictus ſit, ſed illo omnia comparentur: ridendus certe fuerit, qui in argento edendi & veſtiendi vim propriam quærat, quia per figuram dicatur victus & amictus: ita ridiculi ſunt Papiſtæ, quod in Eccleſia viſibili Regiam & cæleſtem poteſtatem quærunt, ac imperium; quia dicatur regnum cælorum, non alia cauſa, quam quia ſit medium quo pervenitur ad regnum beatum quod in cælo eſt:

Hæc dialectica eſt veterum papiſtarum, ex figuratis vocibus litterales concluſiones facere; quam artem fere paſſim ab illis mutuatur Walachrus ille Papiſta & imprimis in hoc argumento. Quia enim Chriſtus Eccleſiam viſibilem & ejus regimen vocat *regnum* & quidem *Cælorum* figurate: ille concludit rectores Eccleſiæ viſibilis habere regiam poteſtatem & eſſe reges cæleſtes realiter & ſimpliciter: quamquam ſuſpicor eum hæc joculariter, ut multa, ſcripſiſſe, libet tamen jocularem clavum hunc clavo trudere, ut abſurdum quivis videat.

Si viſibilis Eccleſia (ut aſſerit Apollonius) eſt regnum cælorum vere & ſimgliciter: tum colligam neceſſario, Eccleſiam Mittelburgenſem quoque eſſe litteraliter regnum cælorum: Si autem

tem Eccleſia Mittelburgenſis eſt literaliter *regnum cælorum*; tum alio conſequenti concludam, EccleſiamMittelburgenſem eſſe *litteraliter cælum:* regnum enim Angliæ vel Galliæ, eſt ipſa Anglia aut Gallia: inde porro concludam, quoties in templo Mittelburgenſi convenit Eccleſia *viſibilis*, illic *eſſe literaliter cælum:* & alia conſequentia, quoties in illa Eccleſia prædicat Grallator, *illum prædicare in cælo*: & alio conſequenti, quoties in cælo illo eſt cum ſuis auditoribus, non eſſe *proprie in terra*, niſi cælum terræ miſceat: & alia iterum ſequela; quia in illa Eccleſia eſt *προεστῶς* & jus cenſorium poſſidet Apollonius; non *regem* modo eſſe, ſed *regem cœli*, ut ajunt vulgo Radamantum inferni: & alia iterum ſequela, beatum eſſe Apollonium, qui ſi non regnet in *terrena curia Mittelburgenſi*, tamen rex ſit *Mittelburgenſis cæli*: & alio conſeqnenti, ſtupidos eſſe magiſtratus Mittelburgenſes, qui adhuc dubitent, an terreno curiæ ſuæ regno dignus ſit Grallatur, quem vident jam diu fuiſſe *regem cæli*. Hæc *ἄτοπα* ut conciliet, cogetur neceſſario fateri, vocem *regni cælorum*, Eccleſiæ viſibili tribui figurate & improprie. Si autem cum Papiſtis liceat Apollonio voces figuratas litteraliter accipere, tum nil erit in theologia certum: ſed ex Chriſtianis fient palmites, lapides, arbores, glebæ, pulli gallinacei, oves, piſces, fruges, herbæ, frumenta & quid non? ex Eccleſiaſticis, clericis fient non modo Reges Paſtores, duces œconomi, (ut volunt) ſed ſervi, remiges, lupi, canes, columnæ, lapides, crotalarii, tibicines, parietes, flammæ, candelabra, ignes & infinita

omnes

quibus illos comparat Spiritus ſanctus : ut ſi omnes *intimæ theologiæ* loculos excutiat , non poſſit hæc ita componere Apollonius, quin ab omnibus derideatur. Error in hoc eſt, quod ex figuratis dictis litterales concluſiones trahit, quaſi velit ex auro picto realem coronam auream conflare.

Multa ſimilis farinæ ſpargit ubique, imprimis part. 2. p, 28. aperte argumentatur pro regia poteſtate Cenſoria Eccleſiaſticorum.

Juriſdictio Eccleſiæ vocatur *jus clavium* (inquit) & clavis Eccleſiæ vocatur *clavis Davidis* , quæ fuit *regia* : unde concludit, *juriſdictionem* Eccleſiæ eſſe regiam.

Reſpondeo, figurata eſſe hæc dicta , & ſoli Chriſto tribuenda ſi proprie accipiantur, non hodiernæ Eccleſiæ, quæ clavibus Cæli proprie caret , uti alibi oſtendi.

Principalis error in hoc eſt, quod cum Papa ex *clavibus* facit ſceptrum & coronam regiam. ſi reges omnes ſunt , qui habent jus clavium , tum Clavigeri templorum , civitatum , noſocomii, morodochii, omniumque cellarum erunt reges. Quod additur, Clavem Davidis & Chriſti eſſe regiam , & proinde talem eſſe quoque hodiernæ Eccleſiæ, perinde eſt, ac ſi dicam: aliquem qui claves urbis geſſerit fuiſſe regem , ideo omnes in perpetuum reges eſſe, qui illas claves geſtent : id quam falſum ſit apparuit in Petro, qui claves has primo & proprie accepit , & tamen fuit humilis piſcator, non rex. Certe ſi clavem veram Petri haberet Apollonius , tamen interdixiſſet illi faſtum regium Chriſtus Math.

20. dicendo, *Reges dominentur, vos autem non ſic.*

Obj. Sed Math. 18. Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem *judicandi*, hoc eſt regium, inquit.

Reſpondi alibi, hoc loco Chriſtum Eccleſiæ non dediſſe jus judicandi, ſed tantum intercedendi & lites componendi. Jus enim habendi pro publicano & ethnico tribuit proprie fratri, non Eccleſiæ: & ſic priuatus quiſque haberet jus regium. Certe ſi reges omnes ſunt, qui judicant, tum innumeri reges erunt in eodem regno. Si non delirat Apollonius, jam dudum rex fuit, quia claves geſſit, & multa ſuo more judicavit.

Præcipuum nervum ſtatuit in hoc argumento, quod deſumit ex loco Math. 28. Chriſtus mittens diſcipulos ad prædicandum, præfatur de regia ſua poteſtate. dicit enim: *mihi data eſt omnis poteſtas in cælo & terra*: concludit etiam a regali efficacia, dicens: *ego ero vobiſcum uſque ad finem ſeculi:* ex quibus colligit, non Chriſti modo, ſed Eccleſiæ & proin miniſtrorum poteſtatem eſſe regiam: papæ!

Sunt ridiculi in ſuis commentis Lindanus & alii papiſtæ: quiſquis tamen munctioris naris Jeſuita eſt hodie, riſu certe emoriatur, cum ἐπιϛημόνικα hæc Apollonii videns cogitabit, Calviniſtas regnandi in Eccleſia jus (quod in Papa hactenus execrantur) talibus figmentis quærere.

Chriſtus rex regum de regia ſua poteſtate præfatus & in fine loquutus, juſſit Apoſtolos *docere & baptizare*: ergo fecit eos reges & regia pote-

poteſtate donavit. Non ſi utroque oculo linceus ſit Apollonius, videre poſſit hanc conſequentiam. Apollonii delira dialectica ſic argumentatur: Quoties reges de majeſtate ſua præfati tabellariis ſuis mandant, ut diploma & mandatum ſuum publicent, ſtatim ex tabellariis fieri reges. Helleboro dignus ſit præco, qui ſic concludat: præſertim ſi rex apertis verbis dicat Tabellario; etſi alii mei ſervi poſſunt imperare & dominari in ſuo officio: tamen tibi hoc interdico & te nolo regnare. Is enim ſenſus eſt verborũ Chriſti, *reges gentium dominentur, vos autem non ſic.* ut non opus ſit Walachris commentis diutius immorari, cum jam undiq; videatur, idem cũ Papa ſentire Apollonium: quidquid Chriſtus & tota ſcriptura contra dicant, manere tamẽ illis poteſtatem regiam; ſed Jeſuitica ſtropha, non *ſecularem, carnalem, aut deſpoticam* (hanc mundanis magiſtratibus tanquam *ſiliquas* relinquit, ſibi ſervat *farinam volatilem ſpiritualitatis*) ſed *Eccleſiaſticam, ſanctam* ac *cæleſtem*: quæ quia ex choragii ſanctitate ſpeciali non oritur tanquam objecto; nec ex vocationis hodiernæ dignitate, ut jam oſtendi, excutiendæ ſunt dein reliquæ ſanctitatis Eccleſiaſticæ Walachræ latebræ; ne in ſuis cryptis ſpiritualitatũ pergant deliteſcere illi veſpertiliones. Math. 20

Quare diſcuſſis principalibus fundamentis ſanctitatis & imperii Walachræ Claſſis, quæ ſunt *choragii hodierni ſpiritualitas*, & *vocationis myſtica ſublimitas*: perſequar dein argumenta, quibus paſſim utitur Grallator, ad conciliandam ſibi authoritatem apud imperitos; quæ fere, ad exemplar Papiſtarum, mutuatur ab *epithetis* &

nominibus ; quibus in ſcriptura inſigniuntur prædicatores ; quorum prætextu conatur regiam ſuam majeſtatem in Eccleſia exculpere : in quibus obtrudendis ſaccariam pontificiam aperte ludit ; quam ut videat lector , monebo primum in genere, tres ferè ab illo ubique committi fallacias.

Fallaciæ in titulis.

1 Prima , quod pleriqne tituli ſunt figurati, & metaphorici , ex quibus facit concluſiones litterales (ut alibi oſtendi) & ſic neceſſe eſt eum recidere in mille abſurda. Si enim hoc in theologia admittatur , ut quis figuras, ſimilitudines & metaphoras , quæ in ſcripturis reperiuntur , interpretetur & trahat pro ſuo arbitrio , tum nil erit certi ; ſed quidlibet ex quolibet colligetur. Illa ratione mihi facillimum erit ex Apollonio & omnibus prædicatoribus facere ſtipites, ſaxa , immo bruta pecora. Doctores enim Eccleſiæ vocantur *columniæ* in ſcripturis , *fundamenta* , & *canes* vigiles. Scimus autem columnas ſæpe fieri ex lignis & truncis , fundamenta ex ſaxis , & canes eſſe brutas & impudentes beſtias. Unde apparet ſtultitia veterum papiſtarum , qui totam ſuam hierarchiam fabricati ſunt ex parabolicis & figuratis ſcripturæ verbis (uti jocoſe demonſtravit Cl. Marnixius:) & quia aliam viam non inveniebat ſuæ poteſtari regiæ de novo ſuſcitandæ , prorſus veſtigiis ſuorum prædeceſſorium inſiſtit Walachrus ille papiſta. Alter error Apollonii eſt ; quod ex indefinitis enunciationibus facit excluſivas : vel dicta ſecundum quid , accipit ſim-

ſimpliciter : quem nævum quoque contraxit à Ieſuitis. Nil eſt enim magis promiſcuum in Bellarmino, quam ſic concludere : Chriſtus dedit Petro Claves ; ergo ſoli Petro : Chriſtus dixit Petro, *paſce oves meas*, & *tu converſus confirma fratres* : ergo hoc jus dedit Petro ſoli, *paſcendi omnes oves*, & confirmandi *omnes fratres* totius mundi, & quod idem eſt, imperandi omnibus populis & regibus terræ : Uude facillimè tranſilit ad ſucceſſorem Petri Papam, ut ſtatuat illi quoque ſoli infanda illa privilegia convenire. Hanc theologiam Ieſuiticam optimè quoque ſectatur Grallator : quoties enim invenitur in ſcriptutis, quod Doctores vocantur Epiſcopi, duces, patres &c. concludit ſtatim, id jus miniſtris ſolis, & ſemper vel abſolute convenire : uti in ſequentibus videbimus.

Tertia fraus eſt, quod ex conditionatis facit abſolutas ; & ſibi applicat illa privilegia, quæ vel ſolis Apoſtolis convenerunt ; vel tantum conveniunt hodie ſub conditione illis, qui habent requiſita illorum privilegiorum. Hic luſus Papiſtarum veterum eſt : cum dicitur Eccleſiam eſſe matrem Chriſtianorum, quod Catholicæ, Apoſtolicæ & veræ Eccleſiæ tantum convenit ; illi hoc intelligunt de omni vel ſaltem de ſua Romana Eccleſia. Cum dicitur de doctoribus, qui *vos audit aut rejicit, Chriſtum audit aut rejicit*, quod de Apoſtolis & infallibilibus prædicatoribus tantum abſolute verum eſt ; illi hoc accipiunt de ſe, & imprimis Papa, licet impuriſſimum ſæpe monſtrum eſſe fatean- 3.

tur. Proſus eadem dialecto loquitur ille Walachrus papanus (ut alibi dicit:) quidquid de Eccleſia, prædicatione, vocatione, cenſura & clavibus, dicitur in ſcripturis, quod ſancta ſint & ſpiritualia (qualia fuerunt ſub Apoſtolis:) id interpretatur de ſua & hodierna Eccleſia, & choragio; in quibus non aliter delirat, quam ſi Caiphas aliquis, aut Ananias, qui erant impii pontifices tempore Chriſti & Pauli, tribuiſſent ſibi encomia & titulos, quibus inſigniti erant Aaron, Eleaſar, & Sadoc, qui tunc fuerunt cum ſanctum ſanctorum & omnia templi ſacra divino ſplendore lucebant; quæ tempore Chriſti multis nævis & vitiis erant conſpurcata, & non circumſtantias modo, ſed totam pæne ſubſtantiam ſanctitatis amiſerant. Vel ſi quis impoſtor & nummularius de ſuis nummis jactet (ut ſupra dixi) quaſi imperialis eſſent & juſti valoris, qui tamen ad cotem, lancem, & dokimaſias expenſi, comperiantur fere impuri eſſe metalli, adulterini numiſmatis, & ad infamem uſque apocopen leves ac abraſi. Hæc, quæ dixi nunc in genere, obſervari velim; quia in ſingulis epithetis, quibus exſultant Papiſtæ, videbitur paſſim ſophiſmata oberrare.

1 Titulus membrum principalo. Multum ubique ſuperbit Grallator hoc titulo, quod *oculus* ſit, *auris*, *manus*, & princeps membrum Eccleſiæ: unde perſuadere conatur incautis, ſibi ſuique ſimilibus convenire præfecturam authoritativam in Eccleſia.

Reſpondeo: hos titulos de prædicatoribus nuſquam aperte exſtare: ſed ſolummodo per conſequentias ex ſcripturis extrahi; quem demon-

monſtrandi morem alibi diximus non certum, ſed fere proclivem eſſe in errorem:

Quod ſi id aperte diceretur; figurata eſſet loquutio, & metaphorica; quæ ſi imprudenter torqueatur, multa daret abſurda. Pone aliquem eſſe *oculum*, *aurem*, *naſum*, & *manum* in Eccleſia, quis inde ſanus concludet, ſibi convenire quidquid illis membris convenit in corpore? Oculus certe tenerrimus eſt, rotundus, inconſtans & volubilis; ſolus lacrymatur, deliciarum index, impudentiæ feneſtra: Naſus in medio faciei, prominens, turgidus, aerem & faſtum ſpirans, indignandi inſtrumentum: ſic de auribus, manibus, & aliis membris ſi pergam philoſophari, multa prodibunt, quæ in Apollonium cadent: ſed cum dedecore. Dicet, credo, oculi proprium eſſe, videre & dirigere in corpore, naſi odorari, aurium audire, manibus operari: inde ſumi poſſe officium & dignitatem miniſtrorum. Sed quis fidem faciet, virtutes ſolum has ſimilitudines denotare in miniſtris, non vitia perſtringere? Quod ſi id quoque concedatur; oculos eſſe in Eccleſia ad videndum, aures ad audiendum, & principes partes principibus functionibus deſtinari; qua arte hoc exſtruet, ſolis prædicatoribus illam prærogativam convenire?

Paulus certe duobus inſignibus locis egregie philoſophatur de diverſitate, uſu, & conſenſu partium principum & ſervilium in corpore & Eccleſia: ſed qui omnia diligenter expendet, nuſquam illic inveniet, Pauli mentem fuiſſe; ſolis miniſtris & prædicatoribus proprium eſſe, Rom. 12. 1 Cor. 12.

ut ſint ſemper partes principes, oculi, naſus, auris &c. in corpore Chriſti; ut inde honoris aut imperii faſtum obtineant: quin potius contrarium urget, ignobilibus & infirmioribus ob neceſſarium uſum plus honoris eſſe tribuendum: Nec aliud definit, quam, illi deberi in Eccleſia membri principis dignitatem, ſine faſtu tamen & imperio, cui præcipua dona collata ſint à Deo ad providendum & ſerviendum Eccleſiæ: in quibus licet ad miraculum excellerent Apoſtoli; nunquam de ſua archia ita gloriabantur; quin cuique etiam indigniori membro conceſſerint paritatem, ac in aliquibus majoritatem ſupra ſe. tam alienum fuit à faſtu illud Apoſtolicum regimen, ut nil indigni illic pareret, ſi unus & idem hodie oculus eſſet cras nonniſi auris: nunc pes, nunc mauus, nunc genu, hoc eſt, promiſcuè muniorum labori ſe aptabant, quotiens tempus ac neceſſitas flagitaret.

Quis non hodie ergo indignetur, qui Walachrum Grallatorem audiat ita ſuperbè his titulis ſe jactantem, ut nulli, ne quidem magiſtratui (qui omnium Caput eſt) ſe ſubjectum eſſe aſſerat in Eccleſiæ ſuæ negotiis: quia oculi, naſi, auris, & manus ſibi titulum putet competere ex officii jure? cum ex ſcriptis ejus conſtet, ſi *oculus ſit*, glaucomate aut ſuffuſione laborare, ſi *naſus*, immunctarum eſſe narium & muci illuvie inodorum: ſi *auris*, ſeditionis & ſuperbiæ tinnitu, gravedine laborare, denique majeſtatis Eccleſiaſticæ *marejotico lymphatam illi mentem efficere*, ut *nec manus nec*

pes

pes officium rectè faciat : ut non indignus eſſe videatur, qui tandem Eccleſiæ Romanæ fiat *cervix*, *gurgulio*, aut *kockyx*.

Illuſtris eſt titulus *Epiſcopi*, cui aſſimile nomen *viſoris*, & *ſpeculatoris*, dicuntur quoque *lux* in candelabro vel in alto monte ſtans, Doctores Eccleſiæ : ex quibus omnibus colligunt papiſtæ, ſibi authoritativum jus eſſe omnia cognoſcendi & judicandi : unde regia tandem poteſtas reſultat. Epiſcopi. Eſech. 33

Reſpondeo, figuratos eſſe omnes titulos; ex quibus nil aliud ſequitur, quam officium Doctorum eſſe, diſpicere de ſalute Chriſtianorum, & de interitu illos admonere; quod non eſt proprie imperiale, ſed ſervile opus. Inſpector enim agriculturæ Booz vocatur puer vel ſervus Booz. Ruth. 2. Stultus certe eſſet, qui ſe tanquam authoritativum & poteſtativum regem jactaret hoc titulo, quod alteri laternam aut facem præferret; vel adhoc conductus, ut in turri eſſet ſpeculator. Dicet forte Grallator, ſe non eſſe vulgarem inſpectorem, aut luciferum, nec gregarium ſpeculatorem, ſed Eccleſiaſticum & inſignem; quia ipſe Paulus dicat, Epiſcopatus *munus* eſſe honeſtum ac glorioſum, immo duplici honore dignos eſſe prædicatores.

Reſponſio facilis eſt, non diffiteri me, quin Epiſcopatus munus ſit honeſtum : ſed inde non ſequitur, imperandi jus naſci Epiſcopis, quia duplici honore digni ſint. Sic enim viliſſima membra corporis & neceſſitati ſervientia haberent principatum in corpore, quia Paulus dicit honorem ampliorem cõferri membris corporis

 debi-

1 Cor. 12. *debilioribus*, & *indecoris*. Non credo tam abje-
23. ctum eſſe Apollonium, ut γυναρχίαν & muliebre imperiam velit Chriſtianis perſuadere, contra Naturæ & Dei legem, cum tamen Apoſtolus doceat, mulieri ut debiliori vaſi majorem honorem convenire & deferri. Quid? ſi inſpectio & ſpeculatio Eccleſiaſtica authoritatem regiam conferat; qua conſequentia evincetur, ſolis Præ-
Act. 20. dicatoribus convenire hoc jus? Id enim patet
1 Tim. 5. ex variis locis ſcripturæ, onus & officium Epiſ-
17. copatus non ſolis prædicatoribus ordinariis, ſed omnibus ſenioribus tribui, immo diaconis quoque ſub Apoſtolis conveniſſe: ut hic poteſtas regia non manſura ſit in ſuperlativa ſanctitate Paſtorum, ſed tranſeat ad comparativam Seniorum, & poſitivam Diaconorum: ne mihi dicendum ſit, omnibus quoque laicis & Eccleſiæ membris fuiſſe commune ſub Apoſtolis docendi, & proin epiſcopatus, munus. Ut ut ſe ex his argutè extricare conetur Grallator, hoc tamen certum manet; Epiſcopatus dignitatem Apoſtolis olim præeminentia quadam conveniſſe, & hodie Papiſticis Epiſcopis non convenire: quia poteſtatem regiam quidem exercet hoc jure Pontifex Romanus, ſed Chriſti populo docendo neutiquam vacat. Novus iſte Papiſta Walachrus hoc inſulſo ſcripto oſtendit, ſibi deeſſe aut facultatem aut voluntatem rite providendi & prælucendi populo Chriſti, cum tot falſitatum ſit convictus: unde merito concludi poteſt, ſi ſub Epiſcopatu regia poteſtas contineretur, tamen ad eum, ut non Epiſcopum, non pertinere.

Cre-

Creber quoque eſt apud Papiſtus titulus Præpoſiti & ducis.
προεστῶτος, *præpoſiti* & ἡγουμένου, id eſt, ductoris:
quibus jubentur Chriſtiani *duplum honorem exhibere*, & *obedire*: unde concludunt, miniſtrorum 1 Timot. 5. 17.
Eccleſiæ eſſe in eccleſiaſticis ſemper *præire* & *præeſſe*, ac proin nemini ne quidem magiſtratui ſubeſſe. Heb. 13. 17.

Reſpondeo, ſi tales eſſent *duces* & *præpoſiti*, quales tunc erant de quibus hæc ſcribit Paulus, conſequentia haberet aliquam ſpeciem: quia erant inculpati, & infallibiles; ac proin vere *duces* & *præpoſiti*: Sed ſi veteres papiſtas intuemur, ſunt ſeductores; ſi Walachrum iſtum theologum cum ſua cohorte, quia tam crebri ſunt in erroribus & blaſphemiis; quis eos cenſeat in numero ducum? *Cæci ſunt duces*, quos Chriſtus jubet fugere, ne illorum ductu in foveam incidatur.

Deinde, ſi id quoque concedamus, ut vere *duces* & *præpoſiti* ſint in Eccleſia; quis inde perennem præfecturam & regnum iis concedet in Chriſtianos? an qui præpoſitus eſt, & dux; nunquam, aut nuſquam poteſt poſtponi & duci? qui rei militaris morem norunt, (unde metaphora hæc ſumpta eſt) id ſciunt, nil familiarius illic eſſe, quam ut idem nunc dux ſit cras ducatur; alibi præpoſitus, alibi ſubjectus: ſi quiſque ſic argutetur, ut ſemper præeſſe, nunquam ſubeſſe velit; vel quia alibi ſibi obediatur, & honor præſtetur, putet ſe nullibi obedire aut deferre debere, is ridebitur: quiſque enim monarcha fieret, & ad confuſionem omnia abirent. Quare hoc ſæpe monui, in ſpiritualiſſimo illo

illo Eccleſiæ regimine ſub Apoſtolis non fuiſſe hoc axioma, ut qui dux eſſet & propoſitus, ſemper præiret & præeſſet: ſed vulgare erat inter illos, ducere duci, præire ſequi, præeſſe ſubeſſe. Id regimen ſcio non reſpondere typho papiſtico, qui ſemper præire & præeſſe volunt: ſed tamen optume convenit cum præcepto Pau-
Heb. 13. 17. lino, ubi monet *obedire ductoribus*, ſed coſeſtim addit, *quia excubias agunt pro animabus veſtris.* unde videre poſſit Walachrus Papiſta, hunc *ducis* titulum non patrocinari ſuo faſtui regio. Dicit enim aperte Paulus, tales eſſe duces Concionatores, qui excubiis agendis ſint adſtricti: Nemo autem tam parum militiæ gnarus eſt, qui id neſciat, infimæ dignitatis eſſe præfectos & gregarios ferè milites, qui excubiis aſſiduis adſtricti ſunt: ut hic Grallator ridicule ex infimæ ſortis ſtipendiario ſe facere ſtudeat totius militiæ imperatorem ac Monarcham.

4 *Angeli.* *Angeli* quoque nomen obtenditur pro principatu Eccleſiaſtico: ſed hæc vox proprie nuncium denotat. Quis autem ſe *regem* eſſe jactabit, quia *nuncius* ſit. Fateor, magnam eſſe dignitatem Cæleſtium Angelorum & ſpirituum, ſed nimis carnalis dicitur eſſe Apollonius, quam ut credamus, angelicam vitam illic vivere, niſi novi papatus ſubtilibus inventis Thomæ Angelici doctoris encomium voluerit præripere.

Paſtoris. Major faſtus ſumitur ex voce *Paſtoris*; unde immenſa Papæ majeſtas in omnes Chriſtianos monarchas à Bellarmino excuditur. Quia enim

Petro

Petro dictum eſt, *paſce oves meas*, concludit, Petro conveniſſe paſcendi jus *omnes oves:* & quia id jus Petro datum eſt; colligit quoque Papæ Romano datum eſſe, *tanquam Petro*, ut omnes oves Chriſti paſcat. Paſcere autem illi *regere eſt*, *paſci regi*. hinc aperte ſtatuit, Monarchis omnibus, ut ovibus, convenire, ut paſcantur, id eſt, regantur, Papæ ut paſcat & regat reges, juxta verſum Virgilii, *Tityre coge pecus.* ———

Hanc fabulam videtur probare novus ille Papiſta Walachrus: tam frequenter enim loquitur de *authoritativo* paſcendi ſuo munere, ut ex *virga* ſua *paſtorali* faciat *gladium*, immo *regium ſceptrum*.

Reſpondeo: titulum Paſtoris figuratum eſſe; & mala conſequentia ad ſe trahere Papiſticos illos paſtores quidquid in terrenis paſtoribus & ouibus reperitur. Paſtores hodie ſunt maxime ſervile & abjectum hominum genus; quod fere aliis muneribus ineptum animam pro ſale habet & fruges conſumere natum eſt, ut lentitudinem paſtoritiam deſcribens Poëta, alibi dicat:

——— *tu Tityre lentus in umbra*

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas: quem paſtoritium luſum Spiritualis ille paſtor Hellebrandus Papa viſus eſt exprimere, cum Cæſarem Henricum 4, ſupplicem exſpectans apud Canoſſam, in arcem Mathildis divertit, ut ſe ibi cum ſua Amaryllide tantiſper oblectaret. Non credo tamen Walachrum illum paſtorem his paſtoritiis virtutibus ſuperbire velle: ut jam nullus dubitem, eum ſibi aptari velle quidquid uulgo in paſtoribus reperitur.

Sic

Sic de *ovibus* quoque dicam: multum differre ſpirituales Chriſti oves (hoc eſt, Chriſtianos fideles) à vulgaribus: hæ enim quadrupedes ſunt, lanigeræ & brutæ beſtiæ, quæ nec ratiocinari, nec loqui, ſed balare tantum poſſunt. Etſi autem non multo majori in pretio ſunt ſpiritualibus Eccleſiaſticis apud Papiſtas laici; tamen hoc dicam pro ſanctis Chriſti ovibus & grege; multum eum differre à brutis gregibus; quod non modo oves illic ſint λογικὰ; ſed hoc rarum accidat in grege Chriſti, quod ex ove paſtor poſſit fieri, & ex paſtore ovis: In externis enim gregibus eſſet miraculum, ſi ovis mutaretur in paſtorem, & paſtor in ovem: At in Chriſti gregre nil rari in hoc eſt: Si enim paſcere, eſt *docere* aut *regere*, ut fatentur papiſtæ; videmus etiam inter Apoſtolos hoc fuiſſe promiſcuum, ut qui hodie doceret, cras doceretur. Apollos enim docebat Aquilam & Priſcillam, ut paſtor oves: Sed Aquila & Priſcilla ſeorſim ſumtum penitius inſtruebant, & fiebant paſtores ex ovibus, ipſe autem paſtor fiebat ovis. Neque hoc diffitebitur Grallator, quin inter oves & diſcipulos ſæpe ſedeant, qui ſtudiis ita proficiunt, ut doctores fiant, & ex ovibus paſtores. Scio Papiſtis non eſſe admodum gratam illam metamorphoſin, quia ſemper paſtores, nunquam oves eſſe volunt. Sed hoc tamen verum eſt in ſpirituali Chriſti grege, illam mutationem raram vulgo fieri. Unde apparet inſulſitas Papiſtarum, qui ex metaphorico Paſtoris titulo concludunt, ſibi licere in oves Chriſti λογικάς, quod externis paſtoribus in brutas. Similia nun-

quam

quam ſunt trahenda extra intentum ejus quo adhibentur, alioquin extra cynoſuram abitur.

Paſtoris nomen in ſcripturis tribuitur regibus politicis, ad moderationem inſinuandam. tribuitur quoque Eccleſiæ præfectis; ſed cum magna reſtrictione, & interdictione imperii: *Reges dominentur* (inquit Chriſtus Apoſtolis) *vos autem non ſic.* Ita Petrus interdicit paſtoribus Math. 20.
κατακυρίευσιν, *imperium.* ut prorſus contrario ſpiritu 1 Pet. 5.
ferantur Papiſtæ, qui ex hoc titulo imperium in 1. 2. 5.
Eccleſiam excudunt:

Paſtoritia enim *virga* hodie eſt vehementer *Authoritativa*, *poteſtativa* ac *regia*; & habet duos apices, ſive claves ſibi affixas, quarum altera eſt *concionalis*, altera *juridicialis* ſive *cenſuralis*, ut alibi oſtendimus: qua tanquam gladio punctim cæſimque vibrare conantur veteres novique Papiſtæ: ſed (quod fatendum eſt) diſpari adhuc modo. Papa, ut vetus ovium Chriſti latro ac Antichriſtus, concionalem apicem virgæ paſtoralis non amplius curat. Etſi enim in ſcripturis *paſcere*, *prædicare* & *docere* eſt, tamen paraphraſi Papæ & Jeſuitarum, Paſcere ut Papam, eſt inſtar muti canis *tacere*. Si enim aliquis in veritate prædicanda ſtrennuior ſit, ſæpe hoc viſum eſt, ut is ad conclave Papæ adlectus ſit, quo ſilentium ita illi imponeretur, ut extra aulam Papæ *paſcere* adhuc *docere*, intra aulam vero ac conclave Papæ, *paſcere* non *docere* ſed *tacere* tantum ſit. Bellarminis alibi hoc abſurdum diluens, dicit non eſſe conveniens, ut Papa per ſe doceat: ſufficere ut per alios doceat, quos mittit: uti Paulus Timotheum & Titum, quem in Creta reliquerat,

querat, ut oppidatim prædicatores ordinaret: quod effugium Ieſuitæ licet venuſtate non caret, in hoc tamen hiat, quod Paulus & Apoſtoli non modo per alios prædicarunt, ſed imprimis per ſe: Papa vero nunquam per ſe, ſemper per alios. Utcumque ſe res habeat; hoc apparet, Papam contentum eſſe ſolo apice juridiciali virgæ paſtoralis. Etſi enim non dignatur ſe abjicere ad prædicandi officium, tamen in hoc abunde ſatisfacit Paſtorali muneri, quod totam Eccleſiam Chriſti regit, hoc eſt, quod leges præſcribit, legationes principum audit, regna & coronas dividit, terras diſtribuit ex plenitudine poteſtatis, bella etiam gerat pro patrimonio Petri (ut faciebat Iulius) Reges & principes, ut immorigeras oves, excommunicet, & ſibi ſupplices venire cogat, totum orbem Chriſtianum bellis concitet: vel ſi moderatioris genii, obeliſcos erigat, caſtella ædificet, ſcenas hiſtrionicas adornet, ſplendida convivia edat, cum Vannociis & pueris ſe oblectet, & multa alia, quibus abunde ſatisfacere creditur Paſtoritio ſuo muneri, ut non mercenarium modo, ſed furem & latronem eſſe illum Romanum Saſtorem, Chriſtiani facile videant.

Walachrus iſte Papa pumilus, necdum confidens ſuæ virgæ paſtorali, utroque apice adhuc utitur. *Iuridicialis* enim, quia imbecillior eſt, quam ut omnia pro arbitrio poſſit proſternere, habet adhuc in pretio *concionalem*, ut ſi quid forte domi ſomniet, quod ſuæ Hierarchiæ opituletur, id confeſtim declamando incautis perſuadeat: vel ſi alibi inſtar arietum cornu feriant Politici,

Politici, & in paſtoribus corripiendis audaciores ſint quam brutas oves deceret, eos ex ſuggeſtu publicè ut atheos perſtringat; ac per indirectum omnes oves (hoc eſt) populum in eos concitet: ut raro illum pedi apicem deponere dicatur, quin raucedine ad aphoniam deveniat. Non creditur tamen concionali illa virga proprie ita delectari, quin cum magno Papa malit quoque eum deponere, ſi vel Epiſcopatu apud Anglos, vel alibi ſuperintendentia donatus poſſit per ſe tacere, per alios prædicare: Alter certe apex *juridicialis* illi ſacroſanctus eſt, ut nil magis paſtoritium illi ſit, quam in omnium res inſpicere, omnium menſis & negotiis intereſſe, omnium honori boniſque inſidiari, denique omnia mundana obire & perſtringere paſtoritia illa virga, omnibuſque præeſſe, nulli ſubeſſe: in quibus Papæ paſtoratum venuſte imitatur quidem, ſed valde deflectit à Paſtoratu Apoſtolorum, ipſiuſque Petri, qui paſtoribus præcipit 1 Pet. 5.
regimen ſine *imperio*. At hic noſter quærit imperium ſine *regimine*; quod vel deſinat in tyrannidem Papalem, vel in ſeditioſam anarchiam, ut quiſque paſtorum faciat quod velit. Rurſus, nil magis perſuadere conatur Walachrus Papa, quam ſibi ut Paſtori eſſe ἐπιταγήν, ſine ὑποταγῇ, hoc eſt, *authoritatem* & *imperium* ſine *ſubjectione*: At Petrus contra vult juniores ſubjici ſenioribus, ſed confeſtim addit, *omnes viciſſim*, aut *invicem vos ſubjicientes, colite humilitatem*: ut ſæpe jam mihi dicendum ſit, tales fuiſſe paſtores Apoſtolos, quibus nec moleſtum fuit nec indignum, præeſſe ſubeſſe, regere & regi: Papiſtæ vero tales

ſunt, quibus blaſphemum & Simoniacum, ſi in Eccleſiaſticis ulli quam Chriſto immediate ſubſint.

6 Oeconomi. Paris fere authoritatis eſt titulus *Oeconomi*, quo ubique ſuperbit Grallator, & ſe Magiſtratus judicio ſubjectum eſſe negat. Dicit enim, *cauſas eccleſiaſticas & paſtorales nonniſi eccleſiaſtica authoritate dijudicandas eſſe: poteſtate civili dijudicari eſt abſurdum*. Etſi enim fateatur, in aliquibus caſibus Eccleſiaſticos ſubeſſe judicio Politicorum; tamen id putat tantum fieri extraordinariè, & clero prorſus irreformabili: ac tunc quoque judicari rem debere non a Politicis, ſed ſolis Eccleſiaſticis, tanquam Oeconomis.

1 Cor. 4. 1. 2. Math. 24. part. 1. p. 354.

Hanc theologiam ſumſit à Bellarmino, qui dicit, Papam eſſe generalem Eccleſiæ œconomum, qui proinde *nulli paret*, *omnibus imperat*, ſtatuitque jure hujus œconomiæ illum non politicis modo, ſed ne Concilio generali ſubeſſe: quod venuſtè colligit Ieſuita ex parabola de œconomo; dicit enim Chriſtus, quod ſi *ille œconomus incipiat potare*, & *verberare conſervos: veniet dominus ſervi ejus*. ad quæ Bellarm. *auditiſne, quis judex papæ ſit? non dicit à Concilo judicabitur*, ſed *dominus veniet*, ergo Chriſto *judicandus relinquitur*. Non mirum eſt, Ieſuitas tam anilibus commentis Chriſtianis illudere: ſciunt enim Papæ vim jam non conſiſtere amplius in perſuaſione, ſed coactione: magis hoc mirandum eſt, ex Walachra illa Claſſe talem tenebrionem proreptare, qui vi omni ſæculari deſtitutus, audeat ſimiles immo majores ineptias profundere: Pontificia enim deliria deſinunt in Monarchiam;

Math. 24 48.

Wala-

Walachra verò in ἀναρχίαν & confuſionem. Si enim jure œconomiæ Eccleſiaſticæ nemo concionator ſubſit politico judicio, ut immediate à Chriſto dependeat; ſequitur quoque, non ſubeſſe Eccleſiaſtico; niſi immediata à Chriſto dependentia laceretur.

Dicet Grallator; jus hoc œconomicum non frangi Eccleſiaſtica ſubjectione: tunc enim *ſpiritus prophetarum prophetis eſt ſubjectus*, qui omnes 1 Cor. 14
immediate à Chriſto dependent, quod non repugnat libertati œconomicæ.

Hoc commentum alibi attigi, & poſt amplius explodam:

Quæram nunc, an authoritativè præcipiat Paſtor vel *Oeconomus* particularis Eccleſiæ, qui tale decretum facit, quod ejuſdem vel alterius Eccleſiæ Oeconomi dicunt eſſe iniquum, ac proinde abrogant? Si ait, tum luci naturæ repugnabit, quæ docet authoritatem abſolutam non habere quidquid ab altero judice poteſt abrogari. Si negat, tum fateri cogitur, Oeconomis Dei, quales illi Walachri ſe jactant, non eſſe abſolutum jus: quia jure dependentiæ (ut ſupra docui) conſiſtorium poteſt judicare fratres, Claſſis Conſiſtorium, & Synodus Claſſes, & ſic in infinitum.

Certe ſi Paulus hoc vult illis verbis, *Spiritus Prophetarum prophetis ſubjectus eſto*, ſuffragiorum multitudine ſemper debere acquieſci, quaſi in veritate definita à talibus Oeconomis, quales hodie ſunt, tum Chriſti populus cogetur, ſciens, prudens, ſæpe ſe ſubjicere illi, quod falſum & iniquum eſt. Quotiens enim hoc accidit (quod

de Concilio Tridentino queritur Calvinus) ut centum cornuti aſini ſuffragiis conveniant in rem falſam, nonaginta novem ſi contra ſtent pro vero, illa numeri majoritas ſcilicet tam gravis rei deciſionem faciet. Neque hic excipi debet, illos fuiſſe falſos Epiſcopos: aliter rem habere in piis & reformatis: Nil enim hic certi reperietur, niſi vel theopneuſti & infallibiles ſint omnes, ut ſub Apoſtolis erat; vel ſaltem unus, quod de Papa mentiuntur Ieſuitæ, & ſic finem litigandi illic ſtatuunt. Walachri illi circulatores, quia id non audent aſſerere, perpetuo in girum rapiantur neceſſe eſt; ut ſibi tanquam œconomis perpetuo velint fidem haberi, & non haberi. Utcumque enim incautis perſuadeant, authoritative & inculpate ſe præcipere, & ſibi parendum eſſe; tamen ad lancem & cotem redacti à doctioribus, coguntur quoque fateri, ſe in multis turpiter labi & fallere: quod vel in his Grallatoris centonibus videmus, quos non modo ille ſuperbus Chriſti œconomus pro oraculis uenditat, ſed totam decuriam Claſſiariorum in ſui patrocinium adſcripſit, quos jam multoties vidit lector, in mendacia, blaſphemias & nugas aſſenſiſſe:

Hoc ratum ſit: Non eſſe nunc Paſtores, aut œconomos in Eccleſia, ne quidem in mundo, quibus abſolutè ſubjici poſſit ac debeat; ſed hujus rei criterium manere in examine cujuſvis, ad lancem ſolius verbi divini. Fateor, magnam Chriſtianorum partem vel incuria,

vel

vel ſuperſtitione hic oſcitare, ut multa fide implicita credant prædicantibns; ſed ea oſcitantia innumerarum animarum interitu ſemper compenſatur: ut meritò carpendi ſint Authoritativi illi & poteſtativi œconomi, qui honorem ex ſtupido Chriſtianorum obſequio hodie venantur.

Si cogitaſſent illi Walachri Papiſtæ, qua reſtrictione hunc œconomi titulum ſibi tribuat electum vas Paulus; non toties in ſuæ ſuperbiæ 1 Cor. 4.
patrocinium attuliſſet hunc titulum Gralla- 1. 2.
tor. Paulus enim ibi quoque utitur titulo ὑπηρέτας: quæ vox fit ab ἐρέσσω remigo, ut ſe faciat quaſi *remigem inferioris ſcamni*. Quam abſurdum eſſet, aliquem ſuperbire de officio & onere remigandi, quod ſedens in humili ſcamno, remigio eſſet à Principe adjudicatus? hoc non puduit illos divinos navis Chriſti naucleros Apoſtolos de ſe ipſis fateri, quamquam incommunicabili prærogativa eſſent Oeconomi, ſe tamen ab omni imperio & faſtu eſſe alieniſſimos, quia faterentur ſe quoque in humili ſcamno ut remiges velle ſedere.

Honorem quoque & authoritatem continet nomen *Patris*, ſed non ſemper imperium. Ius 7 patris.
patrium propriiſſimè eſt in Patre naturali: eſt enim abſolutum & inſolubile: Multis dein confertur ex ſimilitudine. Reges enim dicuntur Patres, Domini: Senes ob canitiem jubet Paulus, Timotheus ut revereatur tanquam patres: ſic 1 Tim. 5.
quoq; titulus Patris Epiſcopis tribuitur. Sed hinc abſolutum dominium cudere & privilegium nemini parendi, eſt puerile. Si enim contentioſe res

 traha-

trahatur, Rex erit Pater Epiſcopi, Epiſcopus pater Regis; is quoque Pater erit ſenis; & ſenex viciſſum pater illius. ſic quiſque alteri parere nolet, ſed imperare, & orietur ἀναρχία. Quare hoc iterum ruminandum eſt, figuratas phraſes non nimis contentioſe trahendas eſſe. Paulus ſibi nomen Patris tribuit improprie, & tamen multas prærogativas habuit ad illum titulum. Nemo propriè pater Eccleſiæ eſt & credentium quam Deus, ex cujus verbo ut ſemine regeneramur. Paulus ipſe fatetur, ſe ſatorem & plantatorem eſſe. Quis non dicet improprie dici, ſi agricola dicatur pater frumenti, aut arboris?

Hoc tamen privilegio pollebant Apoſtoli, quod Dei inſtinctu produxerant verbum theopneuſton, unde fides ſemper generàtur.

Id quoque in Galatis gloriatur ſibi peculiare fuiſſe, quod eos ut Pater primum converterat, & ad Eccleſiæ formam redegerat. Tot prærogativis licet emineret Paulus in jure patrio, tamen nil magis conſpicuum fuit in ipſius regimine, quam quod longè abfuit ab omni faſtu & imperio. Quare Papiſtas iterum imitatur Grallator, quod hoc communiſſimo jure patris, quo *pædagogus* magis eſt quam pater Eccleſiæ, de ſuo imperio & poteſtate regia tam alte coaxat, ut ſe omnibus Politicis præferri velit. Verbum enim, quod prædicat, nonniſi alienum ſemen eſt quod ſpargit, neque id infallibile, ut Pauli erat, ſed corruptum & maximè mendax in multis: nec credimus tam annoſum eſſe illum Grallatorem, ut Eccleſiam Mittelburgenſem primus fundarit; ut certe omnibus prærogativis

gativis careat, quibus patrium jus Paulus ſibi vendicat. Unde ridiculus eſt iſte figuratus & larvatus Eccleſiæ pater, quod ex magiſtratibus pueros & filios ſuos faciat; quorum pater nonniſi remota ratione poſſit dici; & quia eos tanta contentione perſtringit; at ſeditionem in illos paſſim moliatur, qua honore & bonis eos exuat ac tandem clave juridiciali excommunicet, hoc eſt, cælo ipſo excludat. Iocabamur hic inter nos: Illos Walachros Patres eſſe ex genere *catorum*, quos dicunt phyſici catulos ſuos, quos genuerunt, mordere ac etiam devorare; ſic ut feles matres catos mares & ſuorum catulorum patres infeſtiſſimo odio proſequantur, & à catulorum ſuorum contactu contentioſiſſime arceant. Si tam portentoſus Pater eſt ille Walachrus Grallator, non mirabitur, ſi poſthac Eccleſiæ, ut matres, eum deteſtentur & propellant, tanquam Patrem ἄστοργον.

Mirifice ampullatur titulo *Legati*, ad quod citat locum 2. Cor. 5, 20. ubi Beza vertit; *legatione fungimur*, quod Paulus dicit πρεσβεύομεν, & propriè ſignificat, *præsbyterio* fungimur: Sed noſter tenebrio, illa interpretatione Beza delectatus, inde paſſim clamitat ſe eſſe *Legatum* Chriſti: Licet autem ipſe Paulus ſtatim hoc exercitium legationis ſtatuat in *precibus*, & humillima perſuaſione: tamen Walachrus ille veſpertilio altius ſemper pipire volens in ſuis cryptis, quam noctuæ ipſæ Athenis clamant, concludit inde paſſim, ſe hoc *Legati* Chriſti titulo donari *authoritativa* & *poteſtativa juriſdictione* ſuprà omnes politicos.

8 *Legati.* part. 1. p. 125.

Dicit enim loco citato, Magiſtratus nuſquam dici *legatos Chriſti*, ſed tantum *diaconos* & *vicarios* Dei. in quo figmento multum recedit à ſuo Calvino, qui ubique magiſtratus ornat titulo *legati Dei*. Et certe ſi bene expendiſſet quid ſcriberet, vidiſſet plus convenire Magiſtratui, quam Eccleſiaſticis, quia ipſis tribuit titulum *vicarii*, quod plus eſt quam *legati*: Non enim credo libenter ſibi titulum vicarii Chriſti velle aſſumere Apollonium, ne nimis ſimilem ſe faciat Papæ Romano. Ille enim, contempto titulo *legati*, dicit ſe eſſe *vicarium Chriſti*, ut ridenda ſit vertigo Apollonii, quod minoritatem conatus eſt imprimere magiſtratibus ex titulo majori, Eccleſiaſticis contra majoritatem ex titulo minori.

Sed aliam hic feſtucam quærit Grallator: Diſtinctionem enim miram facit inter *regnum Dei, & Chriſti*, vel *regnum mediatorium Chriſti*, & *creatorium*, ut illud multo dignius & ſanctius faciat, quam hoc: unde colligit ſe multum præferendum eſſe omnibus Politicis, quia hi tantum ſunt *legati Dei*, ipſe autem *legatus Chriſti mediatoris exaltati*, quaſi velit aliquid dignius aut ſanctius eſſe ipſo Deo. Fateor me non invidere illi compilatori, ut ei placeat quidquid novum illi eſt: hoc tamen addo, id commentum hic ad rem nihil facere: Paulus enim inſigni loco, 1 Cor. 15. deſcribens mediatorium regnum Chriſti, dicit ex jure, & quaſi in compenſationem operis mediatorii, quo ſe immenſe humiliaverat, illi theanthropo quoque datum eſſe ſummum honorem, ut non modo *ſedeat ad dextram*

tram Dei patris: ſed miranda œconomia Patrem depoſuiſſe ex illo tempore omne imperium, & contuliſſe *Chriſto mediatori*, qui id non ante finem mundi deponet, & poſt judicium reddet Patri, quod Apoſtolus vocat myſterium, & ego fateor me ignorare, ſed adorare. Unde jam concidit aſſertum illud Papiſtæ Walachri.

Si enim poſt aſcenſum Chriſtus ſolus regnat & imperat in cælo, terra, & ſub terra (ut loquitur Paulus) conſtat, omnes Reges & politicos, etiam Turcas & gentiles, pertinere ad regnum Chriſti mediatorium, & eſſe Chriſti mediatoris vicarios ac legatos. Quomodo enim eſſent alterius legati, cum jam ille ſolus ubique regnat? ut hic neceſſe ſit, alia iterum commenta parturiant Walachri commentatores, quorum inſtitutum alibi comparavi porcis, quorum eſt ſterquilinia invertere.

Nunc addo, Ægyptium hieroglyphicum fuiſſe impoſtorem exprimere pictura *porci*. Id enim impuro illi animali proprium eſt; ungulas bifidas habet cum puris communes, quibus lutum & ſtercora perpetuo dividens, nunquam tamen ab ſordibus ſe dividit & liberat; quia luto gaudens natura pecus eſt: Ita Walachros hæreticos videmus ut impuros porcos multis diſtinctionibus, & quaſi ungulis bifidis, dividere ineptias; & tamen nunquam ab erroribus ſe liberare.

Principalis error Walachrorum eſt, quod temerè & falſiſſimè ſibi tribuunt titulum *legati Chriſti*, haud aliter ac olim Judæi clamabant de *templo domini*, & hodie papiſtæ de *Eccleſia*.

Ut aliquis legatus Regis ſit, duo requiruntur: ut habeat *teſſeram* & poſſit oſtendere certa documenta, (quæ *credentiam* vocant) quod regis legatus ſit. Alterum: ut habeat *inſtructionem*, hoc eſt, plenè inſtructus ſit de voluntate & mandato ſui regis, ita ut ſi velit ſaltem poſſit omnia legationis requiſita promere. Si enim alterutrum horum deſit; omnis legationis dignitas concidit: ut ſi quis legati officium ſumit, & teſſeras habens, mandata regis vel ignorantia, vel malitia pervertit, is non erit vere legatus: rurſus, ſi mandata regis aliquis fide promat, ut legatus, & tamen nullum jus, aut teſſeras habet ſuæ legationis; is quoque pro legato regis non eſt cenſendus, ſæpeque compertum eſt, ut talis farinæ Legati ab regibus puniti ſint ut impoſtores.

Ad hanc legem ſi examinetur Papa, comperitur facile eſſe Antichriſtus, Si enim quæratur de tabulis ejus legationis, dicit ſe ſedere in cathedra Petri, & à perſona ad perſonam, à Petro hoc jus ad ſe perveniſſe, vera ſcilicet electione: & multa alia, quæ de ſuis credentiis mentitur. De inſtructione ſi quæſtio oriatur, etſi multi Papæ nil fuerint quam portenta, omnis divivini humanique juris contemptores, tamen ex vi cathedræ dicunt illum fieri infallibilem, ut *omnia jura habeat in ſcrinio pectoris*. Hoc commentum multis ambagibus obtruditur hominibus, & jam ad multas annorum centurias ita in Papatu obtinuit, ut qui id credere nolit, argumentis ab excommunicatione, carcere, faſciculis & morte petitis cogatur acquieſcere. Hic vetus papiſmus eſt. No-

Novus papiſta Walachrus multo inconcinnius de ſua legatione gloriatur: quia fateri cogitur; nec apertas tabulas legationis ſe habere, nec plenè inſtructum eſſe, ut Legati Chriſti nomen mereatur. Quæram enim, quas teſſeras habeat certas, quod à Chriſto legatus ſit? Dicet proculdubio, has; quod ab Eccleſia, hoc eſt, cætu externo hominum profitentium Chriſtum ſit electus & ordinatus in prædicatorem: ſed hoc eſt idem per idem probare. Quæſtio enim redibit; ubi Chriſtus hoc dixerit, ſe habiturum pro legato ſuo, qui a Chriſtianorum cætu, quocumvis modo, electus, & ordinatus ſit hodie in prædicatorem? ſi talis rex nunc exiſteret, qui pro legatis ſuis agnoſceret quot quot bona vel mala via legationis jus arriperent, is inconſideratus haberetur, & ſuæ dignitatis parum ſollicitus. Quam indignum eſt ergo, de Chriſto tanto Monarcha hoc ſuſpicari, quod illuſtre *Legationis* ſuæ *jus* in ſacris ita proſtitueret, ut pro ſuis vicariis & legatis ſtatim agnoſceret, quicumque externam pompam vocationis poſſent oſtendere? Id commentum in veteribus papiſtis diu exploſum eſt. Non quod diffiteamur, aliqua vocatione illos gaudere, ſed quia non ſit juſte & ex Chriſti præſcripto, cenſetur pro nulla.

Utcumque non eundem impudentiæ gradum tribuam illis Walachris; tamen ſi fateri velit Apollonius quod ſcit, nil eſt certius quam totum vocandi morem illic humanum & ſæpe carnalem eſſe, ut indigniſſimum judicem, ſi Chriſtus tam laxus fuerit & profuſus in ſuæ legationis

gationis

gationis dignitate conferenda, cum non difficilius ſit, in veteramentaria taberna honeſti vel inſignis viri habitum pretio comparare, quam illic favore, vel vi legati Chriſti titulum acquirere ſpiritualibus artibus Apollonianis.

Iam de *Inſtructione* ſi quæratur, oſtendi anteà, neminem eſſe hodie, qui ſe audeat dicere infallibilem. Simulac enim concionando abibant à Cathedra & lectione Moſis ſcribæ tempore Chriſti, facile admiſcebant fermentum ſuarum traditionum ſuæ doctrinæ: a quo proinde cavere jubet Chriſtus, licet eorum verbis parere jubeat, quamdiu in Cathedra Moſis hoc eſt, ſimplici lectione manebant. Ita nunc fieri Wallachræ claſſi, hoc ſcriptum Apollonii oſtendit: qui legationis ſuæ authoritatem non in prælectione, ſed concionali declaratione collocans, jam multoties à me convictus eſt erroris, & compertus ab inſtructione ſui Regis deceſſiſſe.

Unde non minus delirare mihi videtur, cum corruptam vocationem & fallibilem prædicationem obtrudit pro vera legatione Chriſti, quam ſi æs alienum diſſolvere volens, in tabula pingat typos & colores variarum monetarum, & creditori in ſolutionem velit obtrudere. Non eſt obſcurus hic tumor, tam ruinoſam eſſe illic Apollonii ſpiritualitatem Eccleſiaſticam, ut non ex poſitiva tantum ſanctitate Diaconali, comparativa Preſbyteriali, ſed (quod mirandum eſt) a ſuperlativa Concionali id obſcenum opprobrium prodierit,

dierit, quod turpiſſimo fraudandi propoſito aliquot illic verſuram facientes foro ceſſerint. Si viſum eſt Apollonio ſuo collegæ opem ferre tali ſolutione, ut per pictorem in tabulas ingentem monetæ numerum illi conferat, fruetur per me ſua liberalitate; tamen non plus ſatiſfaciet creditoribus illic ſolvendo pictos nummos pro veris, quam nobis hic de legationis ſuæ dignitate incorrupta vocationis prædicationiſque umbras & picturas obtrudendo.

Paulo certè & Apoſtolis licuit gloriari, quod legati Chriſti eſſent; quia erant miſſi immeditate, *neque ab hominibus nec per homines:* unde vocationis teſſeris erant inſtructi, pietate vitæ, docendi infallibilitate, & miraculorum poteſtate: hæc legatio Chriſti, ut Apoſtolicum munus in illis ſolis exſtitit & deſiit. Minor fuit quodam modo dignitas Euangeliſtarum, qui ex ore illorum ſcripſerunt, ut Lucas; vel docuerunt ut Timotheus, quem dicit Paulus audiviſſe doctrinam ſalutis *ex ſuo ore inter multos teſtes:* Monetque ut eam quoque *comittat fidis hominibus & aptis ad alios docendos.* Qualis etiam fuit Titus: ut hi non immediate legati Chriſti fuerint, ſed Apoſtoiorum: quibus tamen conveniebat loqui μετ' ἐπιταγῆς, *cum imperio*, ut Beza vertit, vel cum *authoritate*, ut Calvinus.

Act. 1.

2 Tim. 2. 2.

Etſi enim Apoſtolis legatione longe diſpares erant; tamen quam diu illi vivebnat poterant ad illos provocare: magnam quoque partem ſpiritua-

ſpiritualium donorum ipſi in ſe oſtentabant, ut merito iis authoritas concederetur in Eccleſiis, non tanquam legatis Chriſti propriè & immediate, ſed Apoſtolorum, divinis tamen, & ob dona Spiritus inſignibus. Poſt illorum deceſſum illuſtris ille modus vocandi, donaque conferendi per manuum impoſitionem, ceſſavit; ut vix trecentis poſt Chriſtum annis aliquid illius raræ vocationis ſuperfuerit: immo in locum donorum prorumpente Antichriſto, ſucceſſerunt omnis generis corruptelæ & vitia. Et tamen ſi priſcorum temporum lumina, Auguſtinum, immo Beruardum Anno 1300 (tanquam lucem in Cimmeriis tenebris lucentem) videamus; fatendum erit, glaciem eſſe illum Walachrum circulatorem ad illa ignea; quorum nemo, credo. auſus fuiſſet tam audac̃tar proclamare, quod ſit immediatus Chriſti legatus, quam hic Gerro ubique ſpargit. Non aliter errat, quam dum pictores in Mariæ picturis regia periſtromata affingunt, quia ex Davidis regis ſtirpe erat: à cujus opulentia nil retinebat tamen cum Chriſtus naſceretur, quam omnium divitiarum carentiam. Luc. 2.

9 *Pontificis.* Qui ſuperſunt tituli non multo plus abſunt à blaſphemia quam à fallacia. Apoſtolus ad Hebræos loco inſigni volens attollere ſupra omne Heb. 5. 4. humanum faſtigium! adoraudam vocationem *Chriſti* & incommunicabilem ad ſacerdotium æternum & mediatorium opus totius generis humani, inprimis eam illuſtrat modi divinitate, quam declarat in typica Araonis vocatione, quæ omnes leviticorum Pontificum, dein ſequutorum

rum inaugurationes ſplendore ſuperavit: quem tamen infinitè quoque ſupetgreſſus eſt modus æterni ſacerdotis Chriſti; quippe qui non ab homine aliquo in terris, ſed cœlitus inaugurationem nactus eſt, Nulli enim angelorum dictum: *filius meus es tu, ego hodie genui te*, de qua aperte loquitur Apoſtolus, cum dicit: *nemo hunc honorem ſibi ſumit, niſi qui vocatus ſit, ut Aaron, & Chriſtus*. Unde apparet, temerarium eſſe, hujus tituli privilegium ſibi poſt Chriſtum ab aliquo homine aſſumi. Id tamen auſus eſt, tanquam Antichriſtus, vetus Papa Romanus, inter alia ſuperbiens, quod Chriſto ſucceſſerit, ut vicarius pontifex, in Eccleſia militante. Noſter Grallator, ſui prædeceſſoris veſtigiis inhærens, non quidem ſe pontificem adhuc jactat, ſed concionatorii muneris ſui dignitatem volens inprime-incautis & ſuperſtitioſis hominibus, tam creber eſt in hujus elogii commemoratione, ut nuſquam dubitari velit de ſuique ſimilibus intelligendum eſſe, quod hic Apoſtolus dicit de ſolo Chriſto & Aarone. Putat enim generalem regulam hic ſtatui, nuſquam eſſe vocationem ad ſacrum munus, niſi ei quoque [conveniat hoc, quod honorem non aſſumſerit, ſed à Deo acceperit. Id certè in Aarone typicè, & Chriſto verè apparuit. At qui hujus aliquid rimabitur in in peſſima vocatione Papæ; aut humana ac vitioſa Apolloniana (qualem aliquotiens deſcripſi) is certè Chriſto injuriam fecerit, & hominibus perſuaſerit, ut credant verum eſſe, quòd oculis ſuis contra poſſunt experiri. Non eſt ignobilis etiam Apollonio titulus,

ad Hebr. 1. v. 5.

Quod

10 *Titulus ſponſi & quod ſit maritus Eccleſiæ.* *Quod Epiſcopi habendi ſint pro ſponſis, ac maritis Eccleſiæ*: Id enim ſi verum eſt, facili via obtinere ſe putant, Eccleſiam (cujus minima pars aut vilior ipſi eſt magiſtratus) maritali obſequio ſubjectam eſſe debere miniſtro; quia apertè dictum eſt mulieri; *voluntas tua marito tuo ſubjecta erit.*

Hæc parabolica ludibria parum etiam ponderis haberent apud cordatos, ſi in ſcripturis ſacris alicubi miniſtris Eccleſiæ tribueretur titulus *ſponſi* aut *mariti*: Sed hoc tantum abeſt, ut ipſe Baptiſta ſoli Chriſto hunc honorem contulerit, *quod ſponſus eſſet, quia ſponſam habebat*, ſibi tantum ſervans titulum *amici*: quæ modeſtia nimis quam diſpar eſt typho hodiernorum papiſtàrum, qui ſe ſponſos eſſe ac proin ſponſam habere audacter effutiunt. Ego id puto dignitati Chriſti incommunicabili multo plus officere, quod quis ſe vicarium ſponſum, aut maritum dicat, quam caput miniſteriale Eccleſiæ: de cujus poſtremi indignitate plenis voluminibus diſputatum ſemper eſt cum papa: cum tamen evidens ſit, nihil inhoneſti involvere, quod quis *miniſteriale caput* ſub Chriſto dicatur; obſcenitatem contra continere, ſi quis vocetur *vicarius ſponſus* aut *ſecundarius maritus* Chriſti Eccleſiæ in terris.

Non eſt operæpretium tanquam de re magna laborare: ad quotlibetarias ineptias tantum adigam Walachrum iſtum papiſtam, quibus ſe cum veteribus amicis oblectet aut cruciet.

Primo enim quæram; ſi paſtor aut prædicator ſit ſponſus aut maritus Eccleſiæ, ex quali genere maritorum fuerint Apoſtoli, qui nullam Eccle-

Eccleſiam ſpecialem habebant, ſed omnes procurabant? ſi enim dicat non fuiſſe maritos & ſponſos, quod ipſi facile agnoviſſent, faciet eos dignitate Walachris tenebrionibus inferiores. ſin contra fateatur; ſanctiſſimos Apoſtolos, in ſuſpicionem adducet lenocinii, quaſi jus habuerint cum alienis uxoribus ubique concumbendi: quod portentum Mahomet in ſuo Alkorano ſibi vendicavit, ut pro Prophetica Majeſtate haberet licentiam omnium cubilia inſultandi. Porro, ſi connubium ſtatuat inter Eccleſiam & paſtorem ordinarium, quæram; an non indecorum ſit, unam mulierem habere multos maritos? quod nulla lege conceditur: & tamen in illo ſpirituali conjugio nihil vulgarius. multæ enim eccleſiæ duos, tres, quattuor, & fortè Mittelburgenſis multo plures habet miniſtros ac proin maritos, quibus ſi vicaria benevolentia utatur pro arbitrio, faciet ſuam ipſe ſponſam Apollonius adulterii ſuſpectam: niſi perſuaſerit ſibi fidem bene præſtari, tanquam anteſignano marito, ipſe autem tanquam κερατίφορος ſuccedaneam operam concedat ſuis collegis, tanquam ſubſignanis.

Quid ſi una Eccleſia cum uno marito connubium rite formet, quæram iterum; an quid magis proprium poſſit eſſe connubio quam indiſſolubilitas? In hoc vero ſancto & ſpirituali connubio, nihil magis abſurdum. Utcunque enim ſcholarem meum aliquis elabitur, & adhuc *Florente juventa fervidus eſt*: non poteſt eſſe tam abjectæ conditionis Eccleſia, quin tanquam ſponſam formoſiſſimam ambiat, modo id conferat, ut paſtorali pallio,

 & ſti-

& ſtipendii honore per eam coronetur : neque hoc uncquam fit intento ſervandi ſemper illam conjugem: ſed inſectorum more tantiſper ejus conſortio utitur, donec alas comparet ſibi, quibus altius evolet, quas cum nactus eſt, non diu delectatur illa priori conjuge ; ſed tanquam adulter aliam mulierem incipit ambire , quæ vel ob civicam lautitiem, vel urbana commoda, vel alio quovis mundano reſpectu, illi longe formoſior eſt, cujus potiundæ deſiderio ita impudenter flagrant ſæpe illi ſpirituales mariti, ut non modo malis artibus conentur obtinere illam *novam ſponſam* ; ſed feſtinatione tanta rapiantur , ut priori necdum legittime diſſoluto, poſterius connubium occupent.

Jam & hoc quæram : Si Eccleſia eſt uxor Miniſtri, quomodo cum conjugii caſtitate conſtat, quod miniſter aliquis πολυπράγμων alienæ frugis amator , abeat exſpatiatum in alias provincias , ut ſe oblectet , ac intereà Eccleſiam ſuam committat aliis maritis ſpiritualibus , ut maritali officio illic utantur? annon ipſe ſuæ uxoris leno tum ſit? Imprimis , ſi re per ingluviem aut ignaviam adeſa, cogatur Eccleſiæ maritus proficiſci in Indiam aut alium terræ tractum , ut rebus ſuis conſulat, in quo caſu derelinquit ſuam uxorem , & alteri ditiori ſe pro tempore adſociat; ac ne derelicta ſit illa tanquam vidua , vicarius aliquis maritus ſuccedit in vicem prioris; qui tamen non patitur ſe prorſus diſſolvi à priori illa uxore, ſed ſervat jus redeuudi ad priſtinam ſponſam, ſi poſterior poſt diſpliceat. Multa poſſent proferri adverſus

verſus

verſus Eccleſiaſticum connubium inter miniſtros & Eccleſiam, quæ mihi videntur tam indecora eſſe, ut ſi verum eſſet, quod illi tenebriones ſuſurrant, miniſtros Eccleſiæ eſſe ſponſos ac maritos ſuæ quemque Eccleſiæ, omnes Eccleſiæ habendæ ſint pro proſtibulis, miniſtri autem pro lenonibns, & impuris mæchis. Sed hæc nunc de hoc titulo ſatis.

Unum uidebatur reſtare ad regnum Apollonii commendandum, quod miror illum, qui ubique Papæ mimus eſt, non quoque à Papa mutuatum eſſe. Eſt inſignis locus Jeremiæ, ubi Deus Prophetam ut inſignem legatum mittens, inauguravit hoc inſigni elogio: *vide, præficio te* Jerem. 1, 10. *hodierno die gentibus ipſis & regnis, ad exſtirpandum & demoliendum, ad perdendum & deſtruendum, ad ædificandum & plantandum.* &c. quod elogium ſi ad verbum ita accipiatur, tantam poteſtatem crederes contuliſſe Ieremiæ, ut liberum ei videatur fuiſſe omnibus gentibus & regibus authoritative imperandi. Sed ipſe Ieremias ſuo exemplo docuit non ita ad litteram eſſe accipiendum; quia magnam illam legationem ita obiit, ut inter opprobria, injurias, carcerem, & mille pericula fluctuando, nonniſi judicia Dei cum ſumma humilitate hominibus prædicaverit. Papa, mirus verbi Dei corruptor, hoc elogium multo aliter interpretatus eſt. Sixtus enim v. in bulla, qua excommunicavit Eliſabetam Angliæ Reginam, anno 1588: hæc verba ita accipit, ut ex illis ſibi ſumat jus diruendi totum regnum Angliæ, ad quod negotium tunc habebat promptum carnificem Philippum Hi-

ſpanum, qui ferali Claſſe CL. navium decreverat illud regnum tunc occupare, & ex mandato Pontificis omnes reformatos illic delere: ſed illud fulmen chartaceum tunc in ventum abiit: ſaltem apparuit ex bulla Pontificis, quæ ſpiritualis ejus ſit poteſtas, ſi non per ſe immediate, ſaltem per ſatellites ſuos, regna & gentes exſcindere illi licere gladio ſpirituali excommunicationis, idque privilegio illo Jeremiæ, qui licet primus fuit ejus poſſeſſor, tamen tam parum eo ſuperbiit, ut ſatis oſtenderit in vitæ moderatione nil tale ſe in illo privilegio vidiſſe, quod nunc Papa novus interpres tam apertè exſculpit. Sed quid poteſt aliud exſpectari *ab Antichriſto, homine peccati, filio perditionis*? Walachrus Grallator, impotentiæ conſcius, nuſquam hoc elogium (quod ſcio) anſus eſt ſibi aptare: qui tamen clandeſtina conſilia & machinas ejus videtur obſervare, quas cum conjuratis cottidie molitur contra magiſtratum Mittelburgenſem. Id adſeverant, nil magis in animo & votis illi eſſe, quam ut ſemel tandem poteſtate fruatur diruendi & exſtirpandi illud regimen illuſtris illius civitatis, cujus ſolius ſeveritate ſentit effrenem dominandi libidinem ſuam coherceri: & quamquam nulla illi ſanctior creditur eſſe catecheſis, quam ut fidis hominibus commendet id ſtudium, ut ſecum in omnes occaſiones attenti ſint, ut fundamenta illius regiminis ſubruant, & vincla unionis diſſolvant, ſuaſerim tamen, ne canabinum hoc opus nimis contentioſè trahat; ne telam Eccleſiaſticam contexere ſtudens, qua ſe exornet, tandem deſinat in reſtim Politicã, qua ſe ſtranguletr.

Per-

Perſtrinxi brevibus Elogia, quibus paſſim ſuam majeſtatem Eccleſiaſticam excolunt Papiſtæ, quorum quædam ficta ſunt & extra ſcripturas; pleraque figurata, & metaphorica; omnia vero conditionata: quæ non indicant quid Eccleſiæ miniſtri ſint, ſed quales debeant eſſe: videlicet, paſtores, ductores, patres, & inſpectores Eccleſiæ: pro quibus habendi ſunt, quatenus dona habent ad illa munia requiſita, & iis recte utuntur. Olim, cum doctores erant theopneuſti, vocatio divina, & manuum impoſitio efficax, licebat Chriſti populo acquieſcere & deferre obedientiam ſuis paſtoribus & ductoribus tanquam fidelibus Patribus, Epiſcopis & legatis Chriſti, æquè ac Chriſto & Deo ipſi, quia erant infallibiles. Sed illa felicitas tam brevis fuit, ut etiam ipſis Apoſtolis ſuperſtitibus falſi fratres irreptarint in Eccleſias, qui eloquentiæ & vocationis typho auſi ſunt ſe ſanctis Apoſtolis æquiparare, immo anteferre: ut jam tum divini illi viri monuerint Chriſtianos, nulli ſpiritui abſolutè credere, ſed ad ſcripturas eſſe examinandos, an ex Deo ſint ſpiritus, priuſquam iis fides habeatur. Si illa circumſpectione opus fuit Chriſti populo tunc, cum tot erant infallibiles doctores, quibus poterant cæca obedientia tuto ſalutem animæ committere, ſine ullo metu jacturæ; quantæ ſollicitudinis nunc eſt res ſalutis, cum in toto orbe terrarum multis annorum centuriis, nemo repertus ſit, cui ita adſtiterit Deus, ut infallibilem fecerit, ac proin talem cujus curæ abſolutè aliquis poſſit ſe committere. Portentoſum eſt incantamentum, quo Romanus Antichriſtus jam

diu faſcinavit orbem Chriſtianum, quod ſe credi velit infallibilem: & hæc ſocors credulitas, juſto Dei judicio, innumeras inſignes animas præcipitavit in gehennam: Neq; hæc temeritas in ſolo Papa eſt: nemo tam temulentus eſt monachus, aut ſacrificulus, qui non ſuę vocationis charactere ita ſuperbiat, ut audacter clamet, ſe eſſe ducem, cuſtodem animarum, præpoſitum ſalutis, œconomum cæli, legatum Chriſti: quod ab illis rabulis tanta contentione ſæpe fit, ut omnia dira ſibi imprecentur, & non corpus modo ſed animam populo dent in vadimonium, ſi perperam doceant aut ducant: etſi catiorum nonnulli ſubodorentur, meras impoſturas eſſe, quæ jactant; tamen crebro illo gloriandi inſtituto id illic accidit, ut populus, abjecta omni ſalutis cura, ſocordi lentitudine, precioſiſſimum animæ æternæque ſalutis theſaurum committant cæcis ducibus, quos ipſi cæci cum ſequantur, neceſſe eſt innumeros in foveam exitii incidere. Grallator eandem viam ubique rimatur: non contentus eſt, ut honorem habeat pro benefactis, & is æſtimetur quem ſe fidelitate oſtendit,
1 Cor. 4. (quod de veris œconomis dicit Paulus:) ſed quamvis ſentit ſuam virtiginem, & nemo non videat ejus infantiam; vi ſuæ vocationis & (quod dicunt papiſtæ veteres) characteris, ubique ſibi tribuit jus *anthoritative* & *poteſtative* agendi & docendi in Eccleſia: quod non alio fine ab illo ejuſque ſatellitibus toties jactatur, quam ut populum huc adducat, ut cæca obedientia omnibus ejus dictis & mandatis ſubſcribat, quod ſi obtinuerit, non modo accidet

ut

ut authoritatiuis mendaciis & fraudibus (quales in his centionibus multæ ſunt) ſæpe acquieſcat; ſed quantum nobis hic de hominis ingenio judicare licet, vix quatuordecim diebus perſtabit una theologia in illa Eccleſia. Quia enim in hoc ſuperbire videtur, ut tanquam apis omnia vireta pervolitet, ſine judicii juſto acumine: hinc accidere illi neceſſe eſt, ut tanquam mutabilis chamæleon, cuicumque herbæ aut plantæ noviſſime inſideat, ejus colorem & ſpeciem induat: unde neceſſe eſt, eum cottidie nova ſomnia parturire; quæ ſi omnia poteſtative & authoritativè accipere tenentur ejus oves & filii, næ vertiginoſi patris vertiginoſa extiterit ibi propago, & familia digna quæ tandem *Naviget Anticyras*. Utcumque imperito vulgo perſuadeat ſua commenta, non credimus tamen hic in Friſia, unquam id adſequuturum eſſe, ut Magiſtratus & Politiæ Mittelburgenſis rectores illic permoveat, ut ejus poteſtativas & authoritativas fraudes & nequitias non videant. Inclytum eſt enim in noſtra aliiſque provinciis nomen Rectorum civitatis Mittelburgenſis, vel hoc nomine, quod terribile Duynkerkenſium pyratarum nomen ſuis argonautis uno anno ita fregerit, ut quos indomitos eſſe credebamus una urbs exſtingui poſſe oſtenderit: Imprimis, quod externo odio & inſidiis undequaque preſſi felici prudentia adverſus mille remoras enitantur in ſuæ reipublicæ libertatem & commodum; ut nunquam iis inter tot præcipitia mens & animus defuerit, Hagæcomitis optume pro communi etiam Patriæ ſalute conſulendi, ut jam diu fa-

teantur noſtræ provinciæ deputati, raro ſe penituiſſe, quod ſententiæ illius civitatis ſubſcripſerint. Etſi enim in præſenti videantur aliquando durius conſulere; tempore tamen compertum eſt, juſtiſſimum & ſaluberimum ſæpe fuiſſe illorum conſilium: Id magis miramur in illa civitate tam conſtanti prudentia fieri, quam videmus ex hoc ſcripto in ſinu habere talem viperam, quæ nullis non conatur modis diſſidii virus evibrare, vel Eccleſiaſtico vel politico ſibilo, ut iſtius regiminis fundamenta quatiat & convellat: in quem caſum aliquando adtractus illuſtris Amſtelodamenſis reipub. Senatus, ſimilis farinæ crabronem ex alveari ſuo pro authoritate deturbavit, & dein pacem ſuo Regimini & Eccleſiæ reſtituit. Raræ moderationis exemplum præbet Walachra metropolis, quæ injurioſiorem fucum nacta, hactenus ab ſeveritate abſtinens ſinit illum propriis bombis obtorpeſcere. Ut non incerta ſpe teneamur, nunquam novo hoc Papatu occupatam iri illic Eccleſiam; quipppe quæ tam inſignes nacta patronos ac nutritios, facile evaſura ſit Walachrorum illorum turbonum machinas, ne calamitoſo infortunio ex illo angulo confæderatæ noſtræ reipub. ubi primo exturbatum Papæ tyrannicum imperium eſt, primo rurſus prodeat in auram novus papatus, veteri vel ſimilis, vel deterior. Id ne fiat hactenus pro modulo operam dedi, & pergam dein ultimo capite monere.

CAP. VII.

Quid magiſtratui in Eccleſiaſticis conveniat.

VIdimus hactenus eloquentiam Grallatoris in extollendis negotiis, quæ hodie obeunt in cultu celebrando, qui vocantur *Eccleſiaſtici* in Wallachria ac *Spirituales*, uti inter papiſtas *Clerici*. Oſtendimuſque, nil nunc eſſe in toto choragio ſpeciali modo ſanctum; ſic ut aliquis Chriſtianorum teneatur jure ſanctitatis abſtinere, ſi donis inſtructus ſit ad ea negotia obeunda; nullum quoque modum nunc eſſe, quo aliquis divino jure ſpeciali inauguratur, ut illa negotia poſſit obire ſolus *authoritativè* & *poteſtativè* (ut loquitur.) Vocatio enim, Electio, & Conſecratio per mannum impoſitionem hodie ibi nil ſunt, quam humana & corrupta media, quibus uſus oſtendit nil ſpiritualis efficaciæ ineſſe. Perficiuntur enim ſimonia, fraude, & peſſimis artibus, ut raro aptiſſimus eligatur, ſed ferè is, quem promiſſa, dona, & humanus favor provehit: Impoſitio etiam manuum, formam veteris inſtituti ſervans tantum non vim, nunquam comperitur, aliquid conferre Spiritualium donorum: Id tantum accidit, ut Apolloniano & papiſtico typho quaſi novæ & infuſæ ſanctitatis turgeat quiſquis exteruæ vocationis pompam nactus eſt: hoc eſt, ſi virgæ & ferulæ ſcholaris metum effugerit aliquis

nudiuſtertius ordinationis & characteris Eccleſiaſtici privilegio, putet ſe omnibus politicis & gregariis Eccleſiæ membris eſſe ſpiritualiorem hodie: Si tamen linguarum, ſcientiæ, & bonarum artium imperitus ſit, nunquam à manuum impoſitione comperitur doctior factus: immo ſi ante vocationem gerro, fraus ſit, ligurro, & Bacchi calamitas, raro accidit, ut poſt vitia deponat, ſed cautius tegat, ne ſtipendii miniſterialis ſpiritualitatem cogatur amittere. Non poteſt apertius exemplum eſſe, quam in Walachro illo Papiſta, qui tam diu jactat ſe gaviſum eſſe vocationis Eccleſiaſticæ jure, & tamen necdum dedidicit mentiri, fallere, & principatus blaſphemare. Fateor, Apoſtolorum tempore longè aliter ſe rem habuiſſe, ob donorum ſpiritualium ubertatem: ſed ea nunc Eccleſiæ egeſtas eſt, ob humana vitia & juſtum Dei judicium, ut à vero & puro frumento (quo illi ſaginabanrur) hodie redacti ſimus ad ſiliquas, de quarum diſpenſatione tamen cum ſuperbius coaxet hodie ille Walachrus tenebrio, quam illi de veri frumenti: Subulci titulo dignior quam Paſtoris, haræ porcorum quam caulæ ovium videtur eſſe accommodatior. Certè qui rem juſto judicio æſtimet, is mecum fatebitur, non aliter quam inter papiſtas *deſperatio monachum facit*, pleroſque etiam hodie egeſtatis metu, aut melioris fortunæ deſiderio ad theologiam ſe tanquam ad mechanicam applicare, nulloque ſpiritualiori intento rapi, quam ut liberalis ſtipendii aucupio gaudeant, à mechanici ſudoris fætore & famis metu liberati: mox altius ſpirantes,

tes, ſanctitatis obtentu in ditiorum familias inſinuent, & ſic ſe opibus hujus mundi inferciant; multo cautiores Chriſto, qui Apoſtolis ſuis legatis unam peram non conceſſit; ii verò & publica & privata contra paupertatem ſe armant: cujus bonæ fortunæ ſpes cum oriatur à qualicumque Eccleſiæ electione & manuum impoſitione, non eſt mirum, quod in iis ſpiritualem vim ſtatuant, quæ tam ſubito fortunam mutet: quamquam penitius intuentibus patet, omnis Eccleſiaſticæ dignitatis nervum & ſuccum fluere à politicis. Niſi horum approbatio & mandatum ad quæſtorem accederet de ſtipendio numerando, vix aliqua Eccleſiæ vocatio & conſecratio tam efficaciter moveret Eccleſiaſticum ſpiritum, quin quaſi argentangina facile intercluderetur. Quam verum hoc ſit, illuſtrabo uno exemplo iſtius Grallatoris, quod hic nobis narratum eſt. Decreverat ante annos aliquot Senatus Mittelburgenſis apes illas ſuperlative ſpirituales, tunc mirifice intra alveare tumultuantes, pacare medicamento ex argentina & nummularia confecto (quo Marnixius dicit vehementer delectari apes Eccleſiaſticas,) ſingulis miniſtris ſuæ urbis numerari jubens per quæſtorem centum florenos, honorarii ſpecie; quod beneficium improviſa dulcedide eos tunc affecit; ſperantes annuum ac hereditarum fore. Id autem illis reipublicæ rectoribus expreſſa lege ſancitum eſt, nemini beneficium ex publico conferre, quod ad vitam duret, & perpetuum ſit; ſed tantum ſub conditione retractus, ſi ex publico commodo videatur eſſe; immo ne muneris

muneris ullius, quod civitatis dono confertur, qualiſcumque tandem, certa & perpetua illic poſſeſſio eſt; ſed quiſquis aliquo beneficio aut officio civico fruitur, is tenetur quotannis per libellum ſupplicem continuationem poſtulare: quod ſi vel faſtu vel incuria negligatur, de facto id beneficium ceſſat, aut id munus impetrabile aliis eſt. Fecerat eam legem prudenter; quia compertum erat jam ab longo; perpetuas illas muniorum poſſeſſiones in ſubditis facere ſocordiam & faſtum, ut quaſi beneficiorum authores contemnere viderentur.

Hæc lex tunc non obſervata, & ingruentium onerum neceſſitas fecit, ut quoque id beneficium in miniſtris ceſſaret. Illic quaſi allio paſtus Grallator, cum ſuis ſubſignatis, legatione magiſtratum adire, ſollicitare, dein increpare, obteſtari, tandem in ſuggeſtu, compitis, viis, domatim, gregatim, debacchari, furere, conviciis proſcindere, impios eſſe, atheos, religionis hoſtes, per indirectum omnem cultum demolientes, ſubtrahendo victum miniſtris, & bovibus triturantibus os obturando: denique nil non molientes quod ad ſeditionem faceret: donec, nil ad omnia commoto magiſtratu, ſpiritualis iſte orgaſmus mora deſæviret, omni ſpuma in ventum rejecta. Id ſi verum eſt (quod hinc nolumus aſſeverare) oſtendit, principale fundamentum ſpiritualitatis Eccleſiaſticæ Walachræ non eſſe in corde, aut ore, aut capite, cui manus impoſita eſt, ſed (quod ante monui) illic ubi Iudæ quoque erat, in crumena. Nemo enim philoſophus ignorat, principale ſenſorium illic

eſſe

eſſe, quo uno tacto & moto, omnia alia ſenſoria ſtatim moventur. Quia autem crumenta Eccleſiaſtica tacta, omnes ſpiritus concionales, Cenſurales, & fulminatorii ita ſubito incaluerunt illis Walachris Clericis, ut omnis generis functiones ederent; non inconcinnius judicare videor, quam olim Sleydanus narrat judicaſſe Eraſmum; qui à Saxone interrogatus, cur tanta per totum orbem Chriſtianum turba exſtiterat ad prædicationem Lutheri, reſpondebat; Lutherum arduam maximè rem aggreſſum eſſe, quippe qui tetigerat coronam Papæ, & ventrem monachorum, indicans totum veteris papiſmi ſpiritualitatis focum tunc fuiſſe Papæ & majoribus præſulibus, in honore & faſtu; vulgaribus autem monachis & ſacrificulis, in victu & ventre. Utcumque hæc fateor nunc fuſius jocatum eſſe, non inutile tamen erit prolegomenon, ut me accingam ad ultimum tractatum: in quo, ſi alibi, omnes ſubtilitatis pyxides exhaurit Apollonius, ut formalem & ſpecificam diſtinctionem faciat inter negotia Eccleſiaſtica & Politica, vel (ut ipſe loquitur) inter *poteſtatem Eccleſiaſticam* & *Politicam*, quas ita dirimit, ut hanc quaſi aſtralem in polo & cælo collocet; illam vero in ſolo & terra: unde non plus putat coaleſcere poſſe, quam ſi cælum ſolo velis unire: ſic ut perſuadere conetur, non magis licitum eſſe & poſſibile Politicis, ut politicis, tangere & tractare negotia eccleſiaſtica, quam ſi aliquis in terra ſtans cælum velit attingere: ut tanquam ludicrus exorciſta circulum circumducat

Eccleſiaſticis *internis*, aut *internè externis* (ut loquitur,) intra quem ſi pedem audeat ponere politicus, ſtatim Lepra Uſiaca, aut malo dæmone ſit mulctandus: paſſim exprobrans Magiſtratui, ſi in Concionatorium, cenſorium, nomotheticum, & imprimis Sacramentarium negotium audeat irrumpere, futurum eſſe *Simoniacum, Impium, Tyrannum, conculcatorem juris & legum Chriſti: violatorem ſponſæ Chriſti*, immo *calcatorem ſanguinis Chriſti*; denique *monſtrum & Antichriſtum politicum.* Hæc tanquam abſolutus dictator ubique ſtatuit eſſe orthodoxa. ac proin Muſculum, Macovium, Cl. Vedelium, & quotquot ab hoc diſſentiunt, dicit *orthodoxiæ repugnare, laxos habere ſoccos, pudenda tegere ficulnis foliis, ut Adam, paraſitos & Gnathones Politicorum, virulentos proditores jurum ac libertatis Eccleſiæ*: ut nullum ſtabulum ſtercore magis refertum eſſe poſſit, quam hoc opus maledictorum floſculis Apollonianis in Patres Patriæ & pios magiſtratus. Etſi autem libere dicam pueriles ineptias eſſe, quidquid magno hiatu profert, quas jam ante enervavi, tamen in acervum hic colligabo quidquid ſpargit in hanc rem næniarum, ut in ſynopſi videat lector, enerve eſſe quidquid hic contra Politicam majeſtatem evomitur.

Summa argumentorum huc recidit, ut oſtendat Eccleſiaſticam poteſtatem & munia à Politicis δὶς διαπασῶν, & toto genere abeſſe, quia
part. 1. p. *authore, fine, objecto, mediis, ſubjecto*, & cæteris
47. & p. diſcrepent. Probat autem omnia petitionibus
43. 94. principii; hoc eſt, fictis & chimericis poſtulatis, quæ ab omnibus fumivendulis & maximè Papiſtis mutuatur ſine judicio. Ad

Ad authorem quod attinet, ſtatuit *Politicam poteſtatem* & regimen pertinere ad *regnum tantum Dei*, & *creatorium*, & quaſi Deum tantum creatorem habere authorem; at Eccleſiaſticam poteſtatem pertinere ad *regnum mediatorium* & habere authorem *Chriſtum mediatorem & quidem exaltatum*: quia dicitur, in *altum evectum Chriſtum dediſſe Eccleſiæ dona & Apoſtolos, Prophetas* Eph. 4.
&c. ſed non *politicos magiſtratus*. Reſpondeo, me mirari temulentiam illius hominis; qui diverſitatem quærit in rebus benè comparatis. Quid enim hoc intereſt, utrum Deus creator aliquid faciat, ſtatuat, ac mandet, an Deus mediator? Si hæc λεπτομερία in theologiam irrepat, innumeræ orientur ineptiæ. Sed ego antehac principaliter reſpondi, Magiſtratus politicos in novo teſtamento omnes à Chriſto mediatore & exaltato inſtitutos eſſe, & quotidie dari. Quæram enim, annon putet, Chriſti mediatoris exaltati dono & juſſu ſtatuiſſe Paulum Rom. 13. vt poteſtas politica *enſigera* habeatur pro Dei *vicaria* & *omnis anima ei ſubjecta* ſit? Niſi dicat Paulum hoc ſcripſiſſe mandato Dei creatoris, non mediatoris, ſequitur neceſſariò, illo loco à Chriſto mediatore exaltato per Paulum diviniſſimum ejus legatum, inauguratam eſſe poteſtatem, & regimen politicum qua tale, ſic ut nulla jam dubitatio eſſe poſſit, utrum Chriſtus mediator exaltatus ordinarit *poteſtatem politicam*: quia per Paulum expreſſe dicit, *quidquid poteſtatum eminentium eſt, à Deo ordinari, & quiſquis ei reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere*. Ne putet autem Grallator, hic per Deum intelligi Creatorem, meminerit

me

me ante ex inſigni loco 1 Cor. 15. oſtendiſſe, Chriſtum mediatorem poſt exaltationem accepiſſe omne jus regnandi, & proin ordinandi in terris. Depoſitum enim à Patre imperium is ut mediator accepit, & obtinebit ad conſummationem ſæculi: tunc id reſtituet Patri: Unde concludo, nullum eſſe nunc politicum regem, qui non Chriſtum mediatorem habeat authorem, quippe qui ſolus in cælo, terra & ſub terris vincit, regnat, & triumphat. Unde concidit primum diſcrimen ab Authore.

Fine. Alterum ponit in fine: ſic enim aperte ſcribit: part. 1. p. 61. 62. &c. *quoad fines harum poteſtatum, ſeorſum Deus poſuit poteſtatem civilem in ordine ad naturalia,* & ſeorſum p. 51. Eccleſiaſticam ad *ſupernaturalia, ut utraque ad ea ſola, quæ alterius ordinis ſunt, non poſſit ſe extendere.* p. 58. Et quia Cl. Vedelius ſtatuebat politicum magiſtratum pro fine præcipuo habere ſalutem æternam populi, reſpondet audacter; *nos vero negamus hoc vere dici de fine proximo & immediato, quem magiſtratus per ſe, vi & poteſtate ſui muneris,* p. 52. *producere intendit & curat.* & alibi apertius. *Sic in rebus publ. Chriſtianis fatendum civilem poteſtatem nil prorſus attingere, neque poſſe per ſe & ſua natura quidquam efficere, circa adeptionem beatitudinis æternæ, niſi in Pelagianorum caſtra tranſire velimus.* Hæc ſententia quia verè abſurda eſt, & portentoſa, volui ut lector eam ipſius Grallatoris verbis videat, cujus impietatem & falſitatem nunc paucis perſtringam.

Primo notanda eſt veſania hujus rabulæ, quod dicat Pelagianum eſſe, ſi dicatur Magiſtratum Chriſtianum quatenus talem, hoc eſt, ex natura officii

officii politici, poſſe attingere, aut efficere, negotia hodierna choragii Eccleſiaſtici. Videtur enim ignoraſſe quid propriè Pelagius ſenſerit. Pelagii ſententia erat, hominem naturalem, ſine ope gratiæ, poſſe pervenire ad veram fidem; quæ opinio tam falſa eſt, ac ſi quis ſtatuat, Lazarum ſemiputrem potuiſſe per ſe reſurgere, etſi Chriſtus eum non vocaſſet. Unde iſta ſententia merito exploſa eſt. Sed quid hoc habet commune cum hac quæſtione? primo veſanum ſuum livorem oſtendit in Magiſtratus Chriſtianos; quia ratione officii Magiſtraturæ & qua politicos, conſiderat eos tanquam *naturales* homines; quorum proprium eſt, quod ſint *mente cæci, voluntate perverſi, hoſtes Dei & filii iræ*: Ita loquitur ſcriptura de homine naturali, de cujus poteſtate Pelagius diſputabat. Annon eſt hoc potentatus blaſphemare, & principibus populi maledicere, eos ratione muneris tam ſancti, quod Deus ipſe ordinavit & inſtituit, hoc eſt, Magiſtraturæ facere homines cæcos mente, perverſos voluntate, & filios iræ ac gehennæ? An unquam Anabaptiſta auſus eſt tam turpiter magiſtratibus maledicere, quam hic tenebrio.

Accedat alterum commentum, quod opera Externa hodierni choragii Eccleſiæ æquiparat ſanctiſſimo, ſpiritualiſſimo, & diviniſſimo operi *fidei veræ*. Fides enim vera tam ardua res eſt, ut ad eam conferendam nemo etiam ſanctiſſimus Apoſtolus vim habuerit, nedum ut homo naturalis eam potuerit attingere. Dicit enim Paulus ipſe de ſe, *qui plantat & rigat nihil eſt, ſed Deus qui incrementum dat*: & alibi: *circumciſio cordis* 1 Cor. 3.

non in littera, ſed ſpiritu, vera circumciſio eſt; cujus laus
2 Cor. 10 *ex Deo, non hominibus.* ut verè deliri ſint, qui cum Pelagio putent, per hominem fidem veram poſſe acquiri, aut conferri, quia ſolius Dei & Spiritus ſancti eſt opus. Iam hic videat ſuam perverſitatem Grallator, qui ut magiſtratus contemnat comparat eos homini naturali, & ut ſui choragii negotia extollat apud imperitos, comparat diviniſſimo operi *fidei*, à quo diſtant infinite. Credere enim verè nemo poteſt, quam qui vere ſpiritualis, ſanctus, & Dei filius ſit. At choragium Eccleſiaſticam externum, & præcipuè ut nunc eſt, tam parum ſublimitatis habet, ut Judas ipſe diabolus, Nicolaus diaconus, falſi Apoſtoli, & innumeri impii homines potuerint ea cum lucro quoque & laude obire. Dicit
Philipp. 1 enim alibi Paulus, ſuo tempore non omnes præ-
5. 16. dicaſſe Chriſtum integrè, ſed alios honoris, alios commodi cauſa, & tamen fatetur cum fructu prædicaſſe. Tantum ergo abeſt, ut Magiſtratus politicus, ratione politicæ poteſtatis, debeat arceri ſub ſacrilegio ab Externo Eccleſiæ choragio, ut vix tam impius impoſtor, tam perverſus ſcurra, tam effrons hiſtrio poſſit reperiri, qui non, ſi ſimulet, illa negotia comperiatur aliquandiu poſſe obire, & cum plauſu quoque obiiſſe. Non opus habemus alio quam iſtius Walachri exemplo, qui dubitari non vult, quin illa ſpiritualia choragii opera jam diu obierit authoritativè, & poteſtativè; & tamen hic videmus eſſe impudentem blaſphematorem potentatuum. Hæc obiter.

Principaliter reſpondeo, corruptorem eſſe apertum

apertum ſcripturæ, & blaſphemum falſarium, quod ſtatuit, Politicos, quatenus politicos, id eſt, ratione poteſtatis politicæ, à Deo ita ordinatos & reſtrictos eſſe, ut tantum poſſint ac debeant intendere res carnales, ſæculares & hujus mundi, nequaquam autem poſſint attingere aut intendere res ſupernaturales, ad æternam ſalutem populi per ſe procurandas: quod non modo falſum, ſed blaſphemum aſſertum eſt in Magiſtratus & ipſum Deum. quod non didicit ab Apoſtolis, ſed Romanæ Babylon architectis. Illi (ut ſæpe dixi) irreverenter tractant Scripturas ſacras, ex iis ſumendo quod volunt, & dein addendo quod libet. Cum Petro dicitur; *tu converſus confirma fratres*, illi exponunt per additionem; tu Petre debes confirmare ſolus omnes fratres; nec tu tantum, ſed ſoli & omnes Epiſcopi Romani, tui ſucceſſores, idem jus habebunt confirmandi omnes fratres; hoc eſt, judicandi, expilandi, pervertendi omnes reges, & regna totius orbis. Hac dialecto loquuntur veteres Romanenſes: hanc ex iis didicit perbellè ille novus papiſta. Dicit ſcriptura ſimpliciter, Magiſtratū, ſupereminentem poteſtatem à Deo ordinatam eſſe in tutelam & conſervationem publicæ pacis & tranquillitatis: Dicit quoque, Rom. 13.
obediendum ob conſcientiam, & eſſe remuneratricem eorum, qui bene faciunt; gladium autem gerere ad pænam malefacientium: Nil diſcriminans, an politicum, an Eccleſiaſticum bonum & malum ejus poteſtati ſubſit. Walachrus ille tenebrio, volens ſe in ſuis negotiis Eccleſiaſticis liberum facere ab hac poteſtate, plenis ge-

nis ebuccinat, Deum in ſuo verbo addixiſſe ſolis rebus mundanis Politicos, & incluſiſſe eos, qua tales, negotiis hujus vitæ, & tranquillitatis temporalis; immo hoc ordinaſſe, ut res ſalutis ſempiternæ non tangerent, immo ne intenderent per ſe & proprie procurare: quia conſcientiam ligare ad eos non pertineat.

Annon hoc eſt corrumpere, & detorquere ſcripturam cum ludibrio? Ut videatur portentoſitas hujus paradoxi, urgebo abſurdis.

1. Si Deus tali intento, & reſtrictione ordinavit & inſtituit Magiſtraturam & politicam poteſtatem, tum ſequitur, omnes Magiſtratus bene facere, quod qua tales, res cultus & religionis negligant, contemnant & non procurent. Qui enim officio ſuo ita fungitur, ut præſcriptum & ordinem Dei ſequatur, is officio bene fungitur. At conſequens eſt abſurdum & blaſphemum. ergo:

2. Si vera eſt ſententia Grallatoris, tum laude & præmiis digni ſunt Magiſtratus, quotquot abjecta religionis cura, de ſolis corporalibus hujus mundi, & commodis hujus vitæ, providerunt ſuis ſubditis; quales fuerunt maximè gentiles & impii Cæſares, & reges; qui de religione nil vel parum cogitarunt: ii enim ordinationem Dei optumè ſequuti ſunt. At conſequens eſt impium, & blaſphemum. Ergo.

3. Si verum eſt aſſertum Grallatoris, tum male fecerunt & pæna digni fuerunt Joſue, Salomon, Joſias, & omnes boni principes, qui

qui dicuntur imprimis ſolliciti fuiſſe de cultu & religione reſtituenda, & hoc etiam ante omnia fecere: quia omnes abiverunt extrà ordinem ſui officii à Deo mandatum, qui erat abſtinere à rebus religionis, & manere intra res hujus mundi. At conſequens abſurdum & blaſphemum. Ergo.

Si vera eſt aſſertio Grallatoris; tum ordo & poteſtas Magiſtraturæ eſt portentoſiſſima res totius mundi. Deus enim omnia facit & ordinat *propter ſe, etiam impium in diem malum: omnia à Deo, per Deum & ad Deum*; nec quicquam reperiri poteſt quod Deum authorem habet, quin habeat præcipuum & proprium finem, Dei honorem: Dei honor nuſquam magis promovetur, quam cum cultus & vera religio promoventur. Unde colligo, perverſiſſimam eſſe ordinationem Magiſtraturæ; quia hanc expreſſe ordinavit Deus, ut à cultus, & religionis cura abſtineret; ſed in mundi ſterquiliniis ſe contineat. Unde ſequeretur, Magiſtraturam proprie non ordinatam eſſe ad Dei honorem & gloriam. Conſequens eſt blaſphemum. Ergo. 4.

Si hoc fine & præſcripto incluſit Deus Magiſtratum: tum certe mirificè ordinem ſuum perturbavit, quando toties Reges & Proceres armavit, & mandato inſtruxit, ut cultus & religionis negotia tractarent. Dedit enim Moſi ad hoc legem, Joſuæ librum legis, & multis aliis præſcripſit & præcepit, ut relicta mundanarum rerum cura, de ſalutis & cultus rebus imprimis eſſent ſolliciti; quod vel 5.

in uno

in uno Solomone videre fuit: quæ omnia Deus fecit contra primum inſtitutum, & ordinationem politicæ poteſtatis. quam inconſtantiam Deo tribuere, blaſphemum eſt: ſed potius vertigo tribuenda Grallatori, qui ordinationem Dei tam falſam hominibus obtrudat, de poteſtate & officio Politicorum:

Denique, ſi Dei perpetua lex eſt, ut magiſtratus qua talis res religionis non curet, tangat vel exequatur per ſe & proprie; tum valde abſurdum eſt, quod in ſcripturis tot contraria mandata reperiantur; qualia ſunt

Pſ. 2. *nunc reges oſculamini filium. &c.* Eſa. 40, *Reges erunt tutores & nutritii Eccleſiæ.* & imprimis 1 Tim. 2. 2. *jubet Paulus orare pro impiis regibus, ut ſub iis tranquillè vivamus cum honeſtate & pietate.* ex quibus apparet, tantum abeſſe, ut Deus ſtatuto removerit à cura religionis & pietatis Magiſtratus Politicos, ut contra mandet

part. 1. p. 62. & velit præcipuum finem illorum eſſe, ut pietas & cultus promoveatur,

Hinc ictum volens elidere, ſacculum diſtinctionum effundit, ut ſaccario fumo oculos lectorum perſtringat, Grallator.

Dicit primò, non indicari à Paulo finem magiſtraturæ eſſe, ſpirituali bono Eccleſiæ incumbere: quia hic agit de impiis principibus; qui id tunc non intendebant, ſed potius contrarium:

Reſpondeo, homines non ſemper in munere ſuo intendere Dei præſcriptum finem; immo contra ſæpe luctantur; & tamen nihilo minus vèrum eſt, debere eos, ſi recte agant, illum

finem

finem à Deo præſtitutum ſequi, quem dicit Paulus eſſe *pietatem* & *tranquillitatem*: quem illi impii principes tunc non intendebant, ſed debebant intendiſſe, & ſperandum ac orandum erat Chriſtianis ut intenderent. Si velit rem intelligere Grallator, ſeipſum videat: ſcit, ſe rarò in ſuo miniſterio Eccleſiaſtico intendere ſalutem animarum hominum; ſed præcipuum ejus intentum eſt, victus, honor mundanus, & vindictæ cupido in omnes, quos putat, ſuæ ſanctitati non ſatis tribuere: quales ſunt illi imprimis politici.

Attamen, credo, nolit quemquam dubitare, quin intentum & finis ſui choragii proprie ſint, ſalus ſempiterna animarum: idem de politica poteſtate ſtatuat.

Fatetur tandem, Paulum hic indicare, finem Magiſtratus, à Deo præſcriptum, eſſe pietatis promotionem: ſed ne quid videatur Magiſtratui inde in ſacris concedere, agmen diſtinctionum interponit. Dicit enim, hunc finem non eſſe *immediatum*, *proximum*, *proprium*, quem *per per ſe producere poteſt*, ſed tantum *per accidens*, per *miniſtros* Eccleſiæ & *pietatis*; ut ſi centies diceret ſcriptura, finem magiſtraturæ & intentum magiſtratuum primarium eſſe religionis curam & ſalutis promotionem, hoc nil commoverit illum Grallatorem: dicet tamen contra, nil illi licere in his ſacris negotiis, ſed manendum eſſe in proprio fine, qui eſt cura tranquillitatis & mundani boni; ſalutis autem res eſſe finem improprium, remotum, per accidens, ad quem obtinendum ipſe per ſe nil faciat, ſed procuret per

indirectum, ut à Chriſtianis & imprimis Concionatoribus fiat; ſi nimirum egregia templa ædificet, bona ſtipendia miniſtris conferat, bonum panem & generoſum vinum Cœnæ & cultui comparet, cujus prægustatu ſpiritus concionatorii incaleſcant, opiparas menſas & convivia præbeant, ad ea prædicatores ſæpe invitent, ut mechanicæ ſobrietatis gravedine excuſſa, liberi & ſubtiles reddantur ſpiritus ad aſtrales choragii ſpiritualitates exhauriendas: quæ quotiens ei antehac ex voto fluxerunt, non dubito quin ſæpe ſecum dixerit, (quod Papa de tota religione Chriſtiana, *quantum honorem & commodum attulit nobis illa fabula de Chriſto?*) de ſuo choragio; quantum honorem, & delitias confert nobis fabula illa de mira ſanctitate noſtri Choragii Eccleſiaſtici! indignitas rei & verbi divini aperta corruptela (quod ſæpe ante hac) invitum abripuit, ut ad jocum deducerem non veras ſed Walachras fictas choragii ſanctitates. Vnum optaſſim, quod priuſquam inſignem Pauli locum tot puerilibus effugiis corrupiſſet, legiſſet Calvini in hunc commentarios, quem pro forma tanti facit, ut ubique ſuum vocet: hic certè ut alienum rejecit & neglexit. Raritatis cauſa pauca hic adſcribo.

Si qua ergo, vel publicæ tranquillitatis, vel pietatis, vel honeſtatis cura nos tangit, meminerimus, eorum quoque habendam eſſe curam (intelligit Magiſtratus) *quorum miniſterio tam præclara ad nos perveniunt. Si roget quiſpiam, an pro regibus orandum ſit, à quibus nil tale percipimus: reſpondeo, huc*

huc tendere vota noſtra, ut ſpiritu Dei gubernati, bonorum, quibus antea nos privabant, miniſtri nobis eſſe incipeant &c. *tenendum enim ſemper eſt iſtud principium, tam ad religionis* (arrigat aures Grallator!) *quam tranquillitatis & honeſtatis publicæ cuſtodiam deſtinatos eſſe à Deo Magiſtratus; non aliter quam terra procreandis alimentis ordinata eſt. quemadmodum itaque pro pane quotidiano orantes, Deum rogamus ut terram ſua benedictione fæcundet: ſic in illis prioribus beneficiis ordinarium medium, quod ſua prouidentia conſtituit, reſpicere debemus &c.*

Præterea hic officii admoneantur principes, & quicumque Magiſtratum gerant. Neque enim ſatis eſt, ſi jus cuique ſuum reddendo, injurias omnes coerceant, pacemque foveant, niſi & religionem promovere, & honeſta diſciplina mores componere ſtudeant. Neque enim fruſtra hortatur David, filium oſculentur, nec fruſtra denunciat Eſaias Eſai. 49.
ſore Eccleſiæ nutritios. quare non eſt quod ſibi blandiantur, ſi ad cultum Dei aſſerendum adjutores ſe præbere neglexerint.

Hæc certe ut ſunt inſignia & pia, ita ex diametro pugnant cum Walachri iſtius commentis: tam abeſt, ut ad Magiſtratum pertinere curam religionis propriè, proximè, per ſe neget (ut Grallator nugatur) ut potius oſtendat, eum à Deo principaliter deſtinatum eſſe ad religionis curam, idque non remotè, impropriè, & per accidens, ſed propriè, & per ſe; niſi perſuadeat Walachrus ille papiſta, ad terram improprie, remote & per accidens pertinere, quod fruges

producat: ut ſi rem ex æquo æſtimemus, hoc loco Calvinus plus tribuat & majores partes Magiſtratui in religionis & ſempiternæ ſalutis promotione, quam ipſis miniſtris Eccleſiæ. Hi enim tantum conſiderantur ut agricolæ & ſpar-
Rom. 13. ſores ſeminis, magiſtratus ut terra: ſicut autem conſtat, terram propiorem & magis propriam eſſe cauſam frumenti, quæ ſemen ſuo ſinu fovet & ad maturitatem perducit, quam cultores, qui poſt ſationem interquieſcunt, vel remoras incrementi amovent; ita vel imprudenter ſcripſit Calvinus, vel primariam, & maxime efficacem cauſam religionis & ſalutis procurandæ ſtatuit Politicos magiſtratus. Hæc nunc de fine politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis latius diſſerui, ut quas ubique de hoc ineptias ſpargit Grallator disjicerem. Is certe non aliter ubique agit cum Politicis, quam Homerica meretrix Circe dicitur tractaſſe ſocios Ulyſſis, quos, cum eſſent alioqui prudentes homines, ut ſibi manciparet, dicitur eos cantu & virgula, qua percutiebat, mutaſſe in porcos, ut ſetigeram cervicem non poſſent ad cælum attollere. Non aliter impoſtor, ut in ſuo Eccleſiaſtico regno ſolus regnet, virga ſua concionali conatur Politicis induere belluinum animum, ut credant ad ſe nil pertinere, & captum ſuum ſuperare curam cæleſtium rerum & ſalutis ſempiternæ: ſed abunde ſuo officio fungi, ſi de corporalibus, terrenis, & culinariis rebus, cum Martha, tantum cogitent; & veluti porci, in caducis & ventri ſervientibus ſe perpetuo volutent; altiora & cæleſtia Eccleſiaſticis committant.

Tertium

Tertium diſcrimen inter poteſtatem politicam, & Eccleſiaſticam ſtatuit in mediis, quibus utuntur; quæ fingit longe diverſiſſima eſſe, & toto quaſi cælo diſtare. 3. Mediis.

Poteſtas magiſtratus, inquit, *judicia ſua exequitur modo carnali, gladio corporali, vi coactiva externa, armata*: Eccleſiaſtica vero *ſpirituali modo, cenſura, objurgatione, ſuſpenſione* & *excommunicatione*, & alibi vocat hæc media *ſanctificata, ſpiritualia*: ut hic iterum Eccleſiaſticum ſuum negotium & regimen conſideret ut cæleſte & ſpirituale, Politicum verò ut carnale & terrenum. part. 1. p. 26. & paſſim. p. 91.

Reſpondeo, mendacii tibiam iterum hic inflare Apollonium, ut ſui choragii fimbrias exornet: Utrumque enim antecedentis membrum falſum eſt aut fallax. Falſitas ut deprehendatur, quæram, an putet media, quibus utitur magiſtratus (quæ injurioſe dicit carnalia) talia eſſe, ut nil ſpirituale in ſe habeant, aut poſſint habere? rurſus, an media Eccleſiaſtica, imprimis qualia ſunt Walachri choragii, talia ſint, ut nil corporale & carnale contineant? ſi illud ajat, hoc neget; facile ipſo eventu ac ſenſu falſitatis convincetur.

Quantum ad media politica; finge ea nil eſſe quam virgas, equuleos, laqueos, & gladium, omnia corporalia (quod falſum eſt) tamen inde non ſequeretur, ea media eſſe pure corporalia & carnalia. Poſſunt enim multum ſpiritualitatis ſibi habere adjunctum: qualia ſunt imprimis *ordinatio Dei* & Chriſti mediatoris, qui ut ſpiritualis rex, eos ſpirituali mandato armat, & ea ratione ſpirituales & (ut Calvinus dicit) ſan-

ctos

ctos legatos ſuos facit. Deinde hæc media multum mutantur *Ratione utentis.* Sicuti enim quod ex fide vera non prodit, pollutum & carnale eſt; ita quod à verè fidelibus fit, multo alium ſanctitatis & ſpiritualitatis modum induit; ut reformatorum & piorum Magiſtratuum gladius multo plus ſpiritualitatis & ſanctitatis in ſe habere poſſit, quia fit in timore & reverentia Dei, quem non curat impiorum gladius.

Ultimo: *finis & intentum* agentis multum mutat naturam operis. Vnde mirandum eſt, quod ubique Grallator impios magiſtratus & pios promiſcue conſiderat, in jure tractandi ſacra. Multum enim intereſt, an gladio utatur ad idololatriam & falſum cultum ſtabiliendum, quod facit impius; an contra ad verum cultum & ſalutem animarum promovendam, quod pius magiſtratus intendit. Qui hoc diſcrimen non videt, is fateatur neceſſe eſt, æquè juſtè gladio uti eum, qui graſſatores & nefarios defendit, juſtos contra opprimit, cum eo, qui contra Graſſatores punit, & juſtos tuetur. Hæc ita conſiderata oſtendunt, media politica, etiam gladium ipſum, non eſſe ita carnalia, ut nil ſpiritualitatis ſibi habeant admiſta, ſed ſpiritualia fieri ab *authore*, *ſubjecto* & *fine*. Si hoc necdum capit Apollonius, illuſtrabo exemplo Chriſti & Apoſtolorum. Non negabit, credo, illos in Eccleſia uſos eſſe ſpiritualibus & ſanctis mediis: malè enim rexiſſent Eccleſiam, quod cogitare impium. Atqui hoc docet ſacra Hiſtoria, eos ſæpe uſos eſſe corporalibus

ralibus mediis, & gladio æquipollentibus: quale eſt id, cum Chriſtus facta virga ex funiculis nummularios ejecit, menſas invertit, & templum purgavit: cum ſe judicem externum fecit adulteræ, non abſolvens eam ſi accuſatores juſtos habuiſſet; cum ſicarios ad ſe capiendum egreſſos verbo omnes humi poſtravit: cum Petrus Ananiam & Sapphyram ob mendacium momento ante pedes occidit; cum Simonem & Elymam cæcitate percuſſerunt, cum Hymeneum & Alexandrum diabolo in carne vexandos tradidit Paulus. Annon hæc fuerunt corporalia & externa media, gladio æquivalentia? quid enim poſſunt aliter facere tormenta & gladius politicus, qnam corpus affligere, & mortem corporis inferre? ut certiſſimum ſit, Chriſtum & Apoſtolos illic uſos eſſe poteſtate coactiva, mediis corporalibus, gladio æquivalentibus. Jam hic in præcipitio detineo Walachrum iſtum ſoricem. Aut enim dicere debet, Chriſtum & Apoſtolos corporalibus & non ſpiritualibus mediis, (& proin malis) uſos eſſe in Eccleſia ædificanda, quod blaſphemum: aut externa illa corporalia & gladii media poſſe etiam ſpiritualia fieri & Eccleſiaſtica: quod jam ante negavit. Nulla hic rima eſt, qua elabatur, quam quæ illi ſuppeditatur à Papa.

Math.21.
Joan.8.

Is carcere, gladio, armis, veneno, & omnibus carnalibus mediis utitur: negat tamen carnalia eſſe, ſed ſpiritualia, quia à ſe ſpiritualiſſimo uſurpentur: quod etſi nil quam ludibrium eſt, tamenpoteſtate ſumma armatus cogit

homi-

homines, ne contrahiſcere audeant. Si parem cum Papa poteſtatem poſſideret iſte Walachrus papiſta, quamquam tot maleficiorum conſcius nunc ita execratur & metuit illum Carnalem gladium Politicorum; non multum temporis excurreret, quin carcere, tormentis, flagellis, & gladio uteretur ad explendos animi affectus, quos tamen ſpiritualitatis nomine facilè ornaret, quia Eccleſiaſticus & ſpiritualis iis uteretur in Eccleſiaſticos & Chriſtianos.

Priuſquam decedo à primo membro, hoc quoque addo; non omnia media, quibus utitur Magiſtratus Politicus, eſſe virgas, tormenta, & gladium: ſæpe adhibet leges, admonitiones, correptiones & minas, quas non dubitamus ipſumGrallatorem ob turbulentias aliquando ſenſiſſe, quas tempus docet tantæ efficaciæ eſſe ſæpe, ut quos centies Eccleſiaſticè corripiendo non poterat compeſcere & corrigere Eccleſiaſticus, una correptione emendet Politicus, ut jam apertum ſit, deque quaque maledicum & injurium eſſe in ſuos magiſtratus Apollonium, quod media, quibus utuntur, contemptim indigetet corporalia, exrerna & carnalia.

Jam Eccleſiaſtica media videamus. Gloriatur ubique eſſe ſpiritualia tantum: ſed ſplendide mentitur. Vidimus enim ipſum Chriſtum & Apoſtolos, diviniſſimos Eccleſiæ architectos, multis corporalibus mediis legittime eſſe uſos. Etſi enim certum ſit, ſpiritualibus mediis uſos eſſe ad Eccleſiam ædificandum; non tamen hoc ita præciſe acceperunt, ut omnia ſpiritualia, nil corporale eſſet, quo uterentur. Uſi enim ſunt

ſunt aqna communi ad baptizandum, pane & vino, ad cænam: oleo ad ungendum, & multis aliis, quæ conſtabat eſſe res corporales & naturales; quibus tantum accedebat ſpiritualitas & ſanctitas relativa ab uſu. Grallator alibi ex part. 1. p. ſuo Parkero tam ſpiritualiter diſſerit de miniſterio 87. Eccleſiaſtico, ut vix floccum carnalitatis in illo relinquat: *Fit donis* (inquit) *& authore ſpiritus*, ad *ædificationem ſpiritus & animarum*, per *arma ſpiritualia, verbum & ſacramenta*, immo modo *agendi ſpirituali* per *evidentiam ſpiritus*. Si nobis 2 Cor. 10 perſuadere poſſet ille tenebrio, hæc omnia tam 2 Cor. 2. 4 reperiri in hodierno choragio, quam in illo Apoſtolico veteri inventa ſunt, necdum perſuaderet, nil corporale aut carnale eſſe in ſuis Eccleſiaſticis mediis. Paulus enim inter ſpiritualia media ſui cultus numerat *mare rubrum* & *nubem*, in *quibus baptizati erant* Iſraelitæ; ſic *manna* & *aquam ex Petra fluentem*, vocat ſpiritualem potum & cibum. Si quis perſuadeat, illud mare, nubes, manna & rupem, prorſus ſpiritualia fuiſſe, & nil naturale aut carnale habuiſſe, quia ſpiritualia dicuntur; is delirio proximus erit: quia non homines modo, ſed pecora & jumenta per mare illud tranſiere, ex manna ederunt & ex petra biberunt: ut hic iterum papiſtarum dialecto cretizet, & dictum ſecundum quid accipiat ſimpliciter; nimirum quia in Eccleſiaſticis mediis & choragio aliquid ſpirituale ſit, ergo prorſus eſſe ſpiritualia, & nil eſſe in iis carnale. Haberet ſpeciem veri res, ſi loqueretur de Choragio tempore Apoſtolorum; de quo ſolo intelligenda ſunt quæ ex ſuo Parkero citat: ſed bis culpan-

pandus eſt, quod tam grandia ſemper ſpiret de ſuo & hodierno Choragio, quod ſcit ipſe tam
Eſa. 1. corruptum eſſe, ut merito de eo dici poſſit, quod Propheta de cultu ſui temporis: *argentum tuum ſcoria factum eſt*, & *vinum veſtrum aqua dilutum.* Si ad convivium ab hoſpite vocatus Apollonius, exſpectans vinum Theologicum, quod vocant *cos*, acciperet oligophorum, multa aqua aut lotio dilutum; annon diceret ſibi injuriam fieri; & fraudulentum eſſe hoſpitem, qui talem miſcellam pro vino obtrudat? Tali modo Chriſtianos fallit iſte tenebrio, quod corrupti ſui choragii negotia comparat Apoſtolis. Prædicatio enim ejus eſt fallibilis, immo in multis nugatoria, mendax, & blaſphema. Sacramentorum imprimiſque cœnæ uſus venalis, & affectibus humanis ſerviens, impuris ſæpe proſtituens, dignis denegans ejus uſum. Clavis *concionalis* rubiginoſa, & cælo aperiendo aut claudendo ineptiſſima: huc proprie contendens, ut cælum claudat iis, quibus Deus apertum eſſe dicit, aperiat contra iis, quibus Deus clamat eſſe clauſum. *Iuridicialis*, qualem ille affectat, nil eſt quam graſſatio in famam & bona hominum per indirectum, & carnificina conſcientiæ in hominibus ſimplicibus & ſuperſtitioſis. *Nomothetica* quid aliud eſt, quam novitatum, & puerilium ſcrupulorum ſcaturigo & litium ſeminium: ut ſcilicet, quod unus probat alter improbet, quod hodie ratum ſit, cras abrogetur, & ſic lis ex lite, negotium ex negotio, ſemper trahatur? Quia enim Walachris illis turbonibus nullæ certæ cynoſuræ ſunt, aut regulæ æquitatis

tatis & juſtitiæ, quas ſequantur in agendo, ſed omnia agunt puro arbitrio, ut is vincat qui fraude, vel clamore & pertinacia ad ſe trahat ſuffragiorum pluralitatem: hinc rariſſime accidere poteſt (uti in Papiſtis quoque videmus) ut veritas vel æquitas ipſa inter illos vincat; ſed opinio fere dominetur, quæ cum nitatur mutabili ingeniorum gyro, & perverſis, quibus fere æſtuant, animi affectibus, non eſt mirandum, ſi (quod tempus docet) ex nomothetica dependentia nil fere prodeat, quam quod paci Eccleſiæ directè, politicæ per indirectum fere obſit. Denique, *Vocatio*, qualis hodie, non modo humana eſt, ſed ſi Walachra ex uſu Grallatoris conſideretur, ſimoniaca & multis perverſiſſimis fraudibus ſpurca: ut certe liberè dicam, non eſſe quod carnalitatem exprobret Politicorum mediis Grallator, quia ipſe fateri cogatur, non minus carnalitatis adhærere ſuis Eccleſiaſticis: & fere *fine* ac intento ſpiritualitatis vinci à Politicis; qui utut corporalibus mediis utantur, tamen fere comperiuntur in illis, quæ pro religione ordinant & agunt, Dei cultum & hominum ſalutem directè intendere, in Grallatore & ſimilis farinæ inſectis nunquam directa intentio ſit Dei cultus aut hominum ſalus, ſed propriè alimentaria merces, mundanus honos, & tandem affectuum expletio in bene vel male obſequentibus.

Multa dein corradit ex circumſtantiis quibuſdam, quæ accidunt politicæ poteſtati, & non Eccleſiaſticæ; ex quibus, ſi vera eſſent quæ *4. Argumentum à circumſtantiis.*

dicit

dicit, tam formalem differentiam poteſt ſtatuere inter politicam & Eccleſiaſticam poteſtatem, quam ſi ex albedine & nigredine eam ſtatuat inter corvum & cygnum, immo inter gallinam & gallinam. Accidens enim non poteſt eſſentialem differantiam ſtatuere, imprimiſque tale, quod utrique ſubjecto poſſit eſſe commune.

Poteſtas politica, inquit, poteſt cadere in *puerum, mulierem, impium*. poteſt quoque *hæreditate adiri*: quæ omnia in Eccleſiaſticam poteſtatem non poſſunt cadere. inde concludit, formalem differentiam eſſe inter utraſque has poteſtates.

Reſpondeo, ſi inde formalis & toto genere diverſitas oriretur, tum certè formaliter differrent Franciæ & Angliæ regnum, quia illic viri tantum, hic vero feminæ quoque regnant: ſic hæc duo regna toto genere differrent à Polonico; quia hoc electivum eſt & hæreditate non aditur, in illis vero naſcitur ſucceſſor. Haberet aliquam ſpeciem commentum, ſi talia accidentia narraret, quæ in Eccleſiaſtica poteſtate non reperirentur: ſed pleraque etiam in Eccleſiaſticis comperta ſunt. Magni illi Eccleſiaſtici Levitæ, à quibus ſemper ſuam ſanctitatem mutuatur, annon naſcebantur à puero in jus ſuæ ſanctitatis? quid obfuit Samueli, pueris Prophetarum, Jeremiæ, Chriſto, Joanni, & Timotheo; quod pueri adhuc, & admodum juvenes, Eccleſiæ miniſterio admoti ſunt, cum donis adhuc inſtructi eſſent? ut non tam annorum, quam ſcientiæ & pietatis infantia ab Eccleſiæ munere arceat: à qua quantum abſit Apollonius, hoc inſulſo ſcripto indicat; qui

jam

jam diu vocatione Eccleſiaſtica gaviſus, oſtendit ſe nil eſſe, quam annoſum puerum, qui *non diu vixit, ſed diu fuit.* Ex Prophetiſſis, Anna, Maria, & aliis apparet, Deum non ita prorſus ab Eccleſiæ munere ſemper amoviſſe mulieres, ut hic nugator perſuadet. Quod autem dicit, *gentiles & impios Magiſtraturam potuiſſe bene gerere*; nil obſtat: quia Chriſtus ipſe dicit, *multos in fine mundi dicturos eſſe, annon in nomine tuo prophetavimus?* & tamen dicet Chriſtus, *ſe eos non noviſſe.* ſcit ipſe Apollonius, inter prædicatores Eccleſiaſticos multos eſſe, qui hypocritæ, & impii homines ſunt, quos ſi propterea non arcet à contactu Eccleſiaſtici hodierni Choragii, cur arcendi ſunt Politici? Multa ſimilis farinæ ſpargit, quæ prætereo, quia nil valoris habent. Seneca.

Inſigne & præ cæteris venuſtum ei eſt, quo ſæpe utitur: 5.

Eccleſiaſtica poteſtas & regimen eſt cæleſte; quia dicitur *regnum cælorum*: Non eſt hujus mundi; dicit enim Chriſtus, *regnum meum non eſt de hoc mundo*: denique *nemo militans Deo implicat ſe curis ſæcularibus.* Inde concludit, Politicum regimen prorſus diſtare ab Eccleſiaſtico; quia illud eſt regnum *ſoli*, & de hoc *mundo*, & qui Politiæ ſerviunt, *implicant ſe curis ſecularibus*, immo, ut ante vidimus, tanquam porci iis ſolis debent inhærere. Math.13 Joan.18. 13. 2 Timot. 2. 4.

Reſpondi anteà de hoc figmento obiter; nunc penitius excutiam.

Utrumque enim antecedentis membrum falſum eſt, & fallax.

Primo, hoc *nego*, Eccleſias viſibiles eſſe reg-

num Cæli aut cæleſte. Tunc enim Eccleſia Mittelburgenſis eſſet revera *cælum*; quod falſum
Math.21. eſſe vel hoc ſolo indicio conſtat, quod Chriſtus
30. dicit, in illo vero regno Cælorum *non nubi*, *nec nuptum dari*. At quotidie in cælo illo Mittelburgenſi Apolloniano connubia celebrantur. Fateor in Eccleſia viſibili homines inſtitui & erudiri de regno Cælorum, ut tandem eo poſſint pervenire, quod negotium metonymice vocatur *regnum cælorum*: ſed inde concludere, Eccleſiam viſibilem eſſe regnum cælorum propriè & cæleſtia, quæ in illo ſunt, nimis puerile eſt, & ſenſibus repugnans. Tum certe Grallator, Eccleſiæ Walachræ metropolitanus, eſſet vehementer cæleſtis; quem tamen ex his centonibus videmus valde adhuc terrenum eſſe; quæ ſoli lepra non illum modo infeſtat, ſed pleriſque hujus cæli regibus perquam familiaris eſt, ut niſi terrenum regnum Politicum contineret in ordine illud cæleſte regnum, in mutuam perniciem cito concurſuri ſint illi cæleſtes reges: ut non invenuſtè dicam, terræ regnum nunc ſuſtentare illud Cæli regnum, ne corruat.

Similis fraus committitur in altero loco, ubi Chriſtus dicit, *regnum meum non eſt de hoc mundo*. Interrogabatur à Pilato Chriſtus, an rex eſſet? fatetur ſe regem eſſe; ſed non hujus mundi, id eſt, quod hic in mundo regnum ſuum vellet exercere. Rationem addit; ſi tale eſſet meum regnum, *ſatellites mei pro me pugnarent*. Unde apparet, Chriſtum rotunde loquutum eſſe; quia dicebat ſibi tale regnum eſſe, quod non exerceret in terra, ſicuti apertè & propriè non fecit, ſed in cælo cum ſederet ad dextram Dei. Gral-

Grallator putat, regno hoc Chriſti intelligi regimen viſibilis Eccleſiæ; quod ſi verum eſſet, Chriſtus captioſe & intricatè reſpondiſſet Pilato; quia ſic accipiendo, hoc regnum Chriſti proprie fuiſſet in mundo & pars mundi: immo in hoc regno habebat ſuos ſatellites, & temporis progreſſu plures accepit: Reges enim & imperatores facti ſunt propugnatores hujus regni & Eccleſiæ Chriſti. Quamquam ergo fatear, quodam reſpectu Eccleſiæ viſibili convenire titulum regni Chriſti & Cælorum; tamen abſurdum eſt hoc loco id ſic accipere; cum abſolute hic negetur, hoc regnum eſſe *de hoc mundo*: Eccleſia autem viſibilis, præſertim quam fingit Walachrus, *in mundo*, & *de mundo ſit*, & nimis quam mundanis vitiis ſcateat.

Non minor fraus fit in corrumpendo loco Pauli, quem corruptè citat cum pontificiis: *nemo militans Deo implicat ſe curis ſecularibus*. Verba proprie ſonant; *nemo militans implicat ſe vitæ negotiis, ut imperatori placeat*: quibus verbis Apoſtolus ſimili militum docet, prædicatores verbi divini, & quod alibi dicit, *Seniores in verbo laborantes*, qui ſe miniſterio verbi conſecrant, non debere ſe implicare negotiis hujus vitæ, puta mercaturæ, agriculturæ, & cæteris; ſic ut iis ſe implicent, & earum occupatione vel dulcedine ita abripiantur, ut cum *Dema* ſtationem deſerant amore præſentis mundi. Hic planus ſenſus eſt loci Paulini: cujus perverſam corruptelam nunc iudicabo. Ex hoc loco concludit, prorſus illicitum & indeco-

rum eſſe miniſtro verbi, ut res & negotia hujus ſæculi curet, aut ullo modo tractet: quod non modo ſcripturis repugnat, ſed vere papiſticum commentum eſt. Paulus quidem vult, operarios verbi divini ſe non implicare, hoc eſt; prorſus involvere negotiis ſecularibus: at prorſus ea non tangere, ab iis in totum abſtinere, nuſquam præcipit: immo Chriſtus ipſe & Apoſtoli praxi contrarium oſtenderunt. Quæram enim, an ſæculare opus hujus vitæ fuerit, piſcari? nemo id, credo, negabit. At Apoſtoli, cum triennio fere toto fuerant Diſcipuli Chriſti, ſemper tamen exercuerunt ſuam piſcaturam; immo poſt Chriſti reſurrectionem piſcati ſunt: & quis ſcit, an non quoque poſt miſſionem Spiritus Sancti? Certe Paulus ipſe, poſtquam diu Apoſtolatu functus erat, Corinthi inter prædicandum exercuit cum cum Aquila ſuam mechanicam ſcenopegiam. Si legem ſuam ita intellexit Paulus, ut Walachrus ille torquet, tum apertus legis. ſuæ violator fuit. Quare pontificium eſt commentum, quod hic novus Papiſta à veteribus mutuatur; cum hæc verba ita interpretatur, quaſi prorſus illicitum ſit prædicatoribus, res ſæculares tangere, aut iis occupatos eſſe. Ille error progreſſu temporis fecit prædicatores ſegnes, delicatos: immo occaſio fuit Antichriſti. Divites enim Chriſtiani cogitantes ſecum, prædicandi negotium eſſe difficile & totum hominem requirere, paulatim illis ſuppeditarunt de ſuis tam multa, ut vellent eos prorſus liberos eſſe à ſollicitudine rerum ad victum vitamque neceſſariarum. in quem finem cænobia

nobia & clauſtra ædificarunt & magnis reditibus donarunt, in quibus poſſent Prædicatores Monachi amæne & commode vivere, expediti omnibus curis, ut ita liberius vacarent ſtudiis ſuis. Hoc inſtitutum initio licet mundanum, non malum tamen fuit: progreſſu autem temporis factum eſt, ut avaritia occuparit animos clericorum, ut tanquam ſpirituales harpyæ plus ſemper poſcerent & affectarent, donec in illam altitudinem excrevit avaritia, ut unus Papa Romanus ditior factus ſit omnibus regibus totius orbis: ex quo vitio dein nata eſt ſuperbia, dein ſegnities & neglectus ſtudii theologici; denique omne genus luxus: ut monaſteria illa facta ſint lupanaria & ſodomitarum haræ. Hæc omnia orta ſunt ex malo intellectu hujus loci, quem nunc in Magiſtratus contumeliam conatur torquere Grallator. Quia enim ex his putat ſe imperitis perſuadere poſſe; indecorum & illicitum eſſe miniſtris prædicatoribus tractare res ſæculares; hinc per circuitum concludit; ergo Politicis quoque illicitum eſſe tractare res Eccleſiaſticas. Fingit enim eos quaſi porcos, ſolis mundanis & bioticis rebus addictos & implicatos ſemper eſſe: in quo non modo injuriam facit piis politicis, ſed impudenter patrocinatur ſuis Eccleſiaſticis: Uti enim conſtat multos pios politicos in cura ſæcularium rerum valde moderatos eſſe, in rebus ad religionem pertinentibus Zeloſos; ita tempus docet, non paucos Eccleſiaſticos neglecto & contempto prædicandi officio, tam implicatos eſſe mundi negotiis, ut hodie Chriſtianornm aures offendere non debeat,

quod mercatura & nummularia obruti prædicatores, cum fraudatione piorum Chriſtianorum, cogantur foro cedere & verſuram facere. Hæc oſtendunt, effrons eſſe inſectum illum Walachrum, qui prætextu fugæ ſæcularium tam longè diſcriminat Eccleſiaſticos à Politicis, cum ipſe Walachris illis exemplis, & propria conſcientia convictus ſit, nil fere eſſe, quod magis curent & affectent Eccleſiaſtici πολυπράγμονες, quam mundi & hujus ſæculi negotia.

6 Argu. Huic aſſimile eſt quod paſſim oberrat; *Politica poteſtas eſt Monarchica*, Eccleſiaſtica ſemper *debet eſſe ariſtocratica*. ergo politici non poſſunt regere Eccleſiam.

Argumentum iterum contextum ex aliquot mendaciis. Falſum enim eſt, Politicum regimen ſemper eſſe Monarchicum. Noſtræ patriæ regimen confæderatum eſt Ariſtocraticum; quale Venetum, Helvetiæ & multa alia. Alterum mendacium eſt; Eccleſiæ regimen ſemper eſſe Ariſtocraticum: quia ſub Heli, Samuele, Machabæis & alias fuit monarchicum. Quin etiam in novo Teſtamento non ſemper fuit Ariſtocraticum, ſed ſæpe monarchicum. Quęram enim, cum Chriſtus fuit in terra & rexit Eccleſiam, annon tunc fuit Eccleſiæ regimen monarchicum? certè ſi unquam alias. Rurſus, cum Paulus ſolus erat Antiochiæ, & in Syria, annon tunc illius Eccleſiæ regimen fuit monarchicum? quis enim cum tanto Apoſtolo erat comparandus? Denique, cum Joannes Euangeliſta ſolus erat in mundo (qui longiſſimè vixit) annon tunc Eccleſia habebat inſignem in terra monarcham? Certe ſi talis doctor

ctor hodie in mundo reperiretur, eſſet quaſi monarcha Eccleſiæ, & dignus cui totus Chriſtianiſmus aſſurgeret.

Unde non malam conſequentiam facit Papa, quod ſe caput & monarcham dicit Eccleſiæ totius, nec etiam Reges & proceres terræ, quod illi aſſurgunt: ſi verum eſt quod jactat, quod Petri ſucceſſor ſit, donis infallibilitatis præditus æquè ac Petrus. ſed quia ipſa experientia docet, eum donis omnibus Petri, maximè infallibilitatis, carere, ſed contra, nil eſſe quam immane portentum & omnium vitiorũ ſaburram: hinc fit, ut ipſe impoſtor & totius Chriſtianiſmi irriſor ſit, & miſerè hallucientur Proceres, quod homini tam indigno& nefario tantum deferant. Falſa ergo omnia ſunt quæGrallator pro oraculis effutiit, unde nil niſi falſum poteſt excudi. Quamquam hoc ultimo addam, licet Chriſtus & Apoſtoli fuerunt jure monarchæ Eccleſiæ, tamen ea moderatione ſemper rexiſſe Eccleſiam, ut non monarchicè, ſed revera Ariſtocraticè in ea verſarentur: ut hinc appareat, non neceſſe eſſe, ut ſemper monarchice regat, qui monarchiæ jus habet. poteſt enim eo non uti, niſi ariſtocratice. Quod ſi de Eccleſiaſticis verum eſt; cur non poſſet quoque in Politicis regibus fieri, ut monarchæ quidem eſſent, ſed in Eccleſiæ negotiis verſantes ariſtocraticè agerent? quod ſæpe faciunt reges, & ſic regimen Eccleſiæ non erit monarchicum, etſi in eo monarcha verſetur regendo ariſtocratice.

Multum roboris tribuit huic arieti, quem 7 Argu.
paſſim oſtentat, quaſi vehementer cornutum;

cum tamen ἀκίρεος ſit & junceus:

Poteſtas formaliter Eccleſiaſtica immediatè dependet à Chriſto mediatore, ſponſo Eccleſiæ; qui dedit Apoſtolos, prophetas, doctores & Paſtores Eccleſiæ, non autem Magiſtratus: Eph. 4. *& hanc poteſtatem po-*
part. 1. p. 37. *ſuit in Eccleſia. Math.* 18. *At magiſtratus non eſt Eccleſia: unde colligit, Magiſtratus munus ad Eccleſiam nec requiri nec pertinere;* & ex conſequenti *neutiquam ei convenire, ut Eccleſiæ poteſtate utatur.* Diſtraxit in varia argumenta hoc unum; ego ineptiarum faſcem feci, ut ſimul disjiciam.

Primo notandum eſt vetus & ſæpe jam disjectum commentum: quod perſuadet poteſtatem Eccleſiaſticam habere *Chriſtum mediatorem, ſponſum Eccleſiæ authorem*; non *Politicam.* Id certè ſplendidiſſimum mendacium eſſe, ante oſtendi; & nunc latius demonſtrabo.

Palmarium argumentum illi eſt; quod Chri-
part. 1. p. 37. ſtus in terris degens, omnia Eccleſiæ munia per ſe aut diſcipulos obivit: at magiſtraturæ munus non obivit, ſed reſpuit & diſcipulis interdixit: Unde (quaſi anabaptiſtam agens) concludit, magiſtratnram nec Chriſtum habere authorem, nec ad Eccleſiam pertinere. Quæ omnia nil ſunt quam falſitatum σωρὸς & acervus.

Primo enim quæram, unde hoc didicerit, nullum munus ad Eccleſiam requiri uſque ad finem mundi, quin Chriſtus id per ſe, aut diſcipulos in terris degens obierit? nuſquam hoc dicit ſcriptura, ſed figmentum Apollonii eſt. Alioquin dicat mihi, quando præcentoris munus obierit Chriſtus aut diſcipuli ejus in Eccleſia? quia Martyr dubitat, an publici cantus uſus in Apo-

Apoſtolica Eccleſia fuerit, quem dein à Judaica Eccleſia mutuati ſumus. Multa munia cum Apoſtolorum deceſſu deſierunt in Eccleſia; in quorum ſupplementum varia coegit neceſſitas, & excogitavit humana induſtria, ſine ullo peccato & nævo; niſi multitudine omina corrupiſſet Antichriſtus.

Alterum mendacium eſt, Chriſtum & Apoſtolos hic Magiſtraturam non obiiſſe; quod figmentum jam ante exploſi: uſi enim ſunt poteſtate coactiva, externa, & gladio æquivalenti. Chriſtus virga templum expurgavit; judicium Math.21 Adulteræ ſibi deferri paſſus eſt; ſatellites ad ſe Joann.8. capiendum irruentes verbo humum projecit; & imprimis palmitum die aſinæ inſidens inter veſtium ſtratus & totius populi applauſus, regia pompa ſed humili, Hieroſolymam adequitavit, ut *rex*; quod tam apertum eſt, ut ipſe Matheus Math.21. addat, tunc impletum eſſe quod à Zacharia dictum erat; *ecce rex tuus tibi venit manſuetus* &c. ita etiam corporales pænas, mortis, cæcitatis, & aliarum afflictionum exercuerunt in Eccleſia Apoſtoli; quæ omnia evincunt, utcumque faſtum & terrenam pompam politici regiminis contemſerint & vitarint; ipſum munus tamen neceſſitate poſtulante obiiſſe in Eccleſia.

Attamen, inquit, Chriſtus evectus in altum dedit Eccleſiæ dona & munia ad Eccleſiam neceſſaria, inter quæ non recenſetur munus Magiſtraturæ: unde concludit, hoc ad Eccleſiæ ædificationem non requiri. Reſpondeo, inter illa munia referri, 1 Cor. 12. etiam κυβερνήτας, & προϊσαμένους Rom. 12. gubernatores, & præfectos, quos

quos fuiſſe morum & vitæ cenſores, magiſtratus officium ſupplentes, Calvinus & Aretius in hos locos indicant. Deniq; finge his locis non numerari munus magiſtratus, an ergo non inſtituit? immo vero apertè hoc inſtituit Petrus, & imprimis Paulus Rom. 13. & 1 Timoth. 2. ut jam ante multis oſtendi. Neque eſt quod obtendat, Chriſtum ipſum illa munia dediſſe, per ſe: magiſtraturam nonniſi per Apoſtolos commendaſſe: Id enim nonniſi frivolum cavillum eſt. ſolos enim Apoſtolos immediate miſit, reliqua munia dein inſtituerunt Apoſtoli, & poſt illos Timotheus, Titus & alii: unde apparet, nihilo minus, quam Eccleſiæ munia, Chriſtum mediatorem exaltatum habere authorem munus Magiſtraturæ, quia id illuſtriſſimo elogio ejuſdem Apoſtoli ſancitum eſt, nomine & authoritate Chriſti exaltati, cujus ſolius ductu omnia nunc ordinantur & reguntur in cælo, terra & ſub terris, ut ſæpe oſtendi.

Objicit: hæc dona & munia data eſſe Eccleſiæ; non autem magiſtraturam.

Reſpondeo, Eccleſiaſtica illa dona & munia data quidem eſſe Eccleſiæ, aut in Eccleſia, ut dicitur 1 Cor. 12. ſed Epheſ. 4. dicit Paulus data eſſe *hominibus*, generali voce utens: Ita quoque magiſtraturæ munus omni mundo quidem dedit & inſtituit Paulus; ſed ſub his quoque Eccleſiæ: quia fecit enim præfectum *omnis animæ*. Niſi dicat Eccleſiaſticos animam non habere, inde ſequitur, Paulum quoque ſubjeciſſe Eccleſiam Politicis, ita ut ab illis debeant defendi in bono, & puniri in malo. Quis ergo ſanus dicet,

Chri-

Chriſtum non inſtituiſſe officium magiſtraturæ, & non dediſſe quoque Eccleſiæ, cum ipſe per Paulum conſtituerit magiſtratum pro legato ſuo in terra unico, cui uni voluit omnes animas, proin Eccleſiaſticas quoque, parere ſub conſcientia, quorum authoritate & gladio vult Eccleſiam in bono defendi? hæc enim omnia tam aperte in loco Paulino & aliis ſcripturæ jacent, ut nulla ratione poſſint obtenebrari.

Grallatori ſat ſcio hanc theologiam non placere, qui papiſtico illo furore occupatus eſt, quod Magiſtraturæ munus non ſit Eccleſiaſticum, hoc eſt, ad Eccleſiæ ædificationem & conſervationem neceſſarium; immo potius collocat hoc munus *extra Eccleſiam*, non *intra* aut *in*: quia illa phraſis nimis *ambigua* illi eſt, & *repugnans juri divino*, ac proinde ſtatuit Magiſtratus officium tantum *circa Eccleſiam*, aut Eccleſiaſticos: ut de Politicis non aliter loquatur, quam Heccius & alii cornuti aſini de Luthero, qui ad Colloquium Wormatienſe veniens, non ſtatim admittebatur in plenum conſeſſum, ubi totus chorus erat ſanctorum Eccleſiaſticorum, ſed ducebatur primo ſeorſim in privatum conclave, quod cornuta illa pecora dicebant bene & ſecundum ſcripturas factum eſſe: ſcriptum eſt enim, *foris erunt canes & venefici*. Non multo reverentius ille Walachrus de Piis magiſtratibus garrit, quos ubique ut carnales & bioticos affigit curis & negotiis mundi: Eccleſiam autem & Eccleſiaſticos elevat ſupra mundum, uſque ad polum: ſed meræ ſunt chymeræ. Scriptura *ſacra* contra, Magiſtraturæ officium ita extollit

part. 1. p. 24.

ut

ut indicet, Eccleſiæ perpetuum & ita neceſſarium eſſe, ut ab ea ſeparari non poſſit, ac ſine eo non poſſit conſiſtere, ſed areſcere debeat, haud aliter ac frumentum, quod terra deſtituitur, ut loquitur Calvinus; uti poſt latius oſtendam.

Garrit quidem ubique, Eccleſiam ſub Apoſtolis, & ſæpe alias caruiſſe magiſtratu Politico: ſed nil quam mendacia ſunt, quæ ante refutavi, & poſt adhuc refellam: & ſi quoque accidederet per impoſſibile, ut omne prorſus politicum regimen abeſſet ab Eccleſia, non tamen deſineret eſſe munus in Eccleſia, & quaſi pars ad conſtitvtionem neceſſaria. Uti enim corpus uno pede truncum, manet adhuc ſine pede, ſed mancum, parte neceſſaria carens: ita conſiſteret quidem ſine Magiſtratu politico Eccleſia, ſed difficulter, & non longo tempore. Statim enim oriretur ἀναρχία, & quiſque faceret quod vellet; quam quia Apollonius tantopere molitur in ſua civitate, ſpe novi Papatus; inde oriuntur tot maledica figmenta, quibus conatur magiſtraturam, ut pure mundanam, exſibilare, & Magiſtratum gerentes prorſus ab Eccleſiæ negotiis excludere. Utcumque habeat; quia Eccleſia ſæpe caruit piis doctoribus, ſacramentis, & aliis ad Eccleſiam requiſitis, non infirmiori connexo concluderem, ea quoque ad Eccleſiam non pertinere; ſed accidentia eſſe, Eccleſiæ circumjacentia. quod Grallatori eſſet abſurdiſſimum.

Objiciet, credo; ſi hoc verum eſſet, tum Chriſtus feciſſet Eccleſiæ poteſtatem imperfe-

ctam

ctam & mutilam, quæ dependeret à poteſtate extranea politica. At hoc pugnat cum loco Math. 18. *dic Eccleſiæ*; ubi eam plena poteſtate inſtruxit.

Reſpondeo, nil quam nugas & figmenta Jeſuitica eſſe quæ illi pro ſua Hierarchia comminiſcuntur, & hic ab iis mutuatur.

Primo enim nego, cum Chriſtus dixit, *dic Eccleſiæ*, hoc intellexiſſe ſub his verbis, quod Eccleſiaſticos, diſcriminatos à politicis, armaverit plæna poteſtate regiminis exercendi intra ſe ſecluſo Magiſtratu.

Dixi enim ante, per Eccleſiæ vocem intelligi in ſcripturis quemvis conventum ſive Eccleſiaſticum ſive Eccleſiaſtico-politicum, immo tumultuarium, qui ad judicandam rem convocatur, aut concurrit. ſæpiſſime quo- Act. 19.
que totum corpus fidelium oppoſitè ad re- Act. 15.
ctores; aliquando corpus Eccleſiæ cum rectoribus; nunquam, quod ego ſciam, de rectoribus ſeparatis à corpore. Jam hic tripodem Delphicum adeat neceſſe Apollonius, ut nobis divinetur, quid hic per Eccleſiam intelligat Chriſtus, quia ipſe non definivit hoc loco, nec alibi in ſcripturis explicatum videmus.

Apollonius proculdubio cum papiſtis, ſuæ mercaturæ invigilans, mallet intelligere de Eccleſiæ προεστῶσι: totus enim in hoc eſt, ut poteſtas illa mira Eccleſiaſtica, per varios giros & circulationes Eccleſiæ corpori & imprimis Magiſtratui extorta, concentretur in ſolis rectoribus, hoc eſt, conſiſtorio, & quia Diaconi tantum ſunt *poſitive* Eccleſiaſtici, ut folles in

organo;

organo; Seniores tantum *comparative*, ut *tibiæ*, quæ per ſe mutæ & non vocales ſunt: hinc tandem tota poteſtas deſinit in Concionatoribus ſuperlativè Eccleſiaſticis, qui tanquam magiſtri ſymphoniæ, organo illo Eccleſiaſtico pſallant & ita ludant, ut quæque tibiarum non alium tonum proferat, *quam quem* illi Organiſtæ velint. Ita philoſophantur de ſuo, *dic Eccleſiæ*, veteres & novi papiſtæ, Chriſtum intellexiſſe, dic Papæ, vel Clericis, vel prædicatoribus Euangelii. Sed de hoc ne gry in loco Mathæi, immo contrariatur, quod Chriſtus ſic intelligendo indicaſſet judicem, qui tunc & multo tempore poſt adhuc non erat in rerum natura. Quam abſurdum fuiſſet, Chriſtum dixiſſe piis: ut conſcientiam liberetis à lite cum fratre, abite ad Conſiſtorium & præpoſitos Eccleſię, qui tunc nulli erant & multo poſt primum oriebantur? unde veriſimilius eſt, Chriſtum illic per *Eccleſiam* intellexiſſe judicem vel arbitrum litium indefinitè & (ut alibi dixi) ſine qualitate expreſſa; hoc eſt, talem qualem poſſent adire: ſive Eccleſiaſtico-politicum, quale tunc erat Synedrium: ſive Eccleſiaſticum ut poſtea ſub Apoſtolis fuit: ſive Politicum, qualis fuit in Eccleſia poſtquam magiſtratus Chriſtiani facti ſunt, membra, cuſtodes, & nutritii Eccleſiæ. ut hinc appareat, Grallatori aquam hærere, quod hoc loco, ob vocem Eccleſiæ, putat excludi à negotiis Eccleſiæ Magiſtratum: quia pleræque acceptiones vocis Eccleſiæ tales ſunt, ut magiſtratum includant, una tantum quæ magiſtratum excludit; quæ non modo ficta eſt, ſed nullo expreſ-

ſo in-

ſo indicio à Chriſto exprimitur : ut jam hic appareat futilitas argumenti, quo ubique delectatur ; Chriſtus dedit hanc *poteſtatem Eccleſiæ*, at *Magiſtratus non eſt Eccleſia.* ſi enim luſit, ſub collectivo nomine vel *repræſentatæ* vel *repræſentantis Eccleſiæ*, tum verum eſt, magiſtratum non eſſe Eccleſiam : ſed ſic ne Apollonius quoque eſt Eccleſia (niſi ſe Papam dicat,) & non ad magiſtratum modo, ſed nil ad Apollonium iſta poteſtas Eccleſiæ pertineret. Si vero loquitur de Eccleſia, quatenus indefinitè a Chriſto ea vox uſurpatur, tum non majori evidentia poteſt aſſerere, miniſtros Eccleſiaſticos ſolos ſub voce Eccleſiæ intelligi, quam ſolos Magiſtratus : quia utrique Eccleſiæ pars ſunt & Magiſtratus judicaria poteſtate præeminentior.

Alter error eſt, quod ex his verbis, *dic Eccleſiæ*, mira paraphraſi excudunt totum ædificium immanis hierarchiæ Papæ veteres Papiſtæ ; ut, ſi oſtendere velint, Papam eſſe judicem omnium litium Regum, donatorem & diviſorem terrarum, monarcham omnium monarcharum, infallibilem cenſorem & expilatorem omnium nationum, diſpenſatorem omnium ſcelerum, etſi quid infandi ab illo committitur ; hoc totum putant Chriſtum ſanxiſſe illis voculis, *dic Eccleſiæ.*

Grallator, eadem catecheſi imbutus, ex illis verbis, *dic Eccleſiæ*, omnia fere exſculpit : magiſtratus nil Eccleſiaſtici poſſe tractare, immo ne tangere, ac ne quidem intra ſed tantum *extra* & *circa* Eccleſiam eſſe debere ; nil habere

quod de *vocatione*, legum poſitione, & cenſura deciſivè Miniſtris præſcribat; ſed hæc omnia ſolis Eccleſiæ miniſtris convenire, & in hoc eſſe liberos & immediatè dependentes à Chriſto, nulli magiſtratui ſubjectos, in tantum, ut ſi in moribus & vita errent, non liceat magiſtratui, ut pio filio, ſtatim aſſurgere in miniſtrum, ut patrem, ſed primo indulgendum eſſe ejus vitiis, & dein (niſi in paucis caſibus) non licere ei pœnam infligere, ſed tantum procurandum ab illo ut Eccleſiaſtici, tanquam ſpecialiter ſancti, ſpecialiter ſanctum miniſtrum puniant; quod tam veriſimile eſt facturos illos Walachros, quam Elephantibus committas, ut ſe mutua Elephantiaſi purgent: hæc & innumera alia concludit fere ex duobus illis verbulis, *dic Eccleſiæ*. Sed hoc revera nil aliud eſt quam ex feſtuca trabem facere. Ego contra dico, Chriſtum his verbis nil aliud ſtatuiſſe, quam ut frater reconciliabilis agens cum fratre irreconciliabili, poſſit & debeat in compoſitionem litis invocare auxilium Eccleſiæ, & Eccleſiam quoque teneri auxilium præſtare fratri in lite componenda. Quid hoc, obſecro, facit ad illam immanem Eccleſiaſticam hierarchiam fundandam; ut ei ſit abſoluta poteſtas conſecrandi, excommunicandi, præcipiendi, & ſimilium? ſi enim ſequentia verba, *Si eccleſiam non audiat, ſit tibi tanquam publicanus & ethnicus*; inſtituunt jus excommunicandi, tum illud non dat illic Chriſtus Eccleſiæ, ſed fratri reconciliabili. Non enim dicit, Eccleſia illum Fratrem habeat vel declaret pro publicano & Ethnico: nil minus: ſed dicit, ſit tibi ut publica-

publicanus & Ethnicus; hoc eſt, tu Frater potes illum habere pro publicano & Ethnico. Si hoc ſignificat excommunicare, tum Chriſtus dedit jus excommunicandi non Eccleſiæ, ſed cuivis privato fratri. ut mirandum ſit, tam ſuperbum Theologiæ conſultum tam ſocorditer expendiſſe ſuas leges, ex quibus tam magna privilegia exſtruit.

Unum reſtat mendacium in hoc argumento indicandum, quod dicit, Eccleſiæ miniſtros, immediatè Chriſto ſubjectos eſſe, & ab eo dependere: unde concludit, non ſubjectos eſſe magiſtratui politico. Merum commentum.

Quæram, unde hoc conſtet; ego certe in ſcripturis nunquam legi. Dicet, poteſtatem Eccleſiaſticam habere Chriſtum immediatum authorem, quia dedit claves Eccleſiæ, dixit, dic Eccleſiæ, & dedit Apoſtolos prophetas &c. ex quibus omnibus conſtat, officium, & (ut vocat) poteſtatem Eccleſiaſticam à Chriſto immediate ordinatam eſſe. Fateor, id vere dici de Eccleſiæ muniis: nec minus verum eſt de politica poteſtate, quam Chriſtus mediator quoque immediate ſtabilivit, dicens, *Date Cæſari quæ Cæſaris, & Deo quæ Dei.* Imprimis cum per Paulum Magiſtratus declaravit *ſuos legatos* eſſe; & ipſos Eccleſiaſticos ſub conſcientia iis ſubjicit: ut jam poteſtas politica non minus immediatè dependeat a Chriſto, quam Eccleſiaſtica. Sed qua ratione inde exſculpet, omnes qui illa poteſtate utuntur, hoc eſt, miniſtros & prædicatores verbi, immediate quoque Chriſto ſubeſſe, & ab eo dependere? Id pontificium com-

 mentum

mentum eſt & veteratoria fraus, cujus falſitatem quivis hic deprehendet. Si enim omnes immediate à Chriſto & Deo dependent, qui officio aliquo funguntur, quod Chriſtus vel Deus immediatè inſtituit; tum omnes magiſtratus, Patres, Domini, Diaconi, lectores, & quotquot aliquo munere funguntur, quod à Deo inſtitutum eſt, immediatè à Deo dependebunt; & proin ſub nullius imperio erunt, quoad illud munus, quam Dei vel Chriſti. quod paradoxon vel ipſe Grallaror in ſe deprehendet. Si enim omnes Prædicatores nemini quam Chriſto ſubſint ob poteſtatem Eccleſiaſticam liberam, quam poſſident, quomodo ſtabit dependentia, & ſpiritus prophetarum ſuberit Prophetis? Fatetur enim, fratres ſubeſſe Conſiſtorio, Conſiſtorium Claſſi, Claſſem Synodo, Synodum minorem majori in infinitum. Scio, Apollonium hæc tantum pro forma docere; quia ipſe alibi dicit, ſe *authoritate Synodi non teneri, plus quam humana.* Sed ego hic ſuis tricis intricatum eum teneo. Aut enim falſum eſt, Miniſtros ob officium in Eccleſiaſticis nulli quam Chriſto ſubjectos eſſe: aut verum eſt, conſiſtorium, Claſſem, Synodos, nil aliud eſſe quam Chriſtum ipſum. At hoc poſtremum eſt blaſphemum: ergo prius illud eſt falſiſſimum. Ridiculum certe eſt dicere, nemini quam Chriſto ſubjectum eſſe eum, qui innumeris ſubjectus ſit, quorum nemo Chriſtus ſit: ut videamus, illum Walachrum ubique pontificia vertigine raptari. Unde jam concludo, ſi immediatæ à Chriſto dependentiæ

part. 1. p. 177.

tiæ

tiæ fictæ Prædicatorum non obſtat, quod innumeris Eccleſiaſticis ſint ſubjecti, cur obſtabit hoc, quod magiſtratui Politico ſubjecti erunt? Dicet, credo, illam ſubjectionem futuram eſſe alterius *fori*, *carnalem*, & prorſus abſurdam, ac inſociabilem; (huc enim totus incumbit, ut ſe liberet à poteſtate illa gladii, quam valde execratur:) ſed ego hactenus oſtendi, non eſſe diverſas & tam diſparatas, Politicam & Eccleſiaſticam poteſtatem, ſed potius conjugatas à Deo, & ita copulatas, ut altera ſine altera conſiſtere non poſſit; ſic tamen ut, tanquam in conjugio, Eccleſiaſtica ſubjecta ſit Politicæ, tanquam mulier viro. Dicit enim Apoſtolus, omnem animam ſubjectam eſſe debere Politicis, ac proinde quoque Eccleſiam & Chriſtianos, qui animæ ſunt, & ad quos proprie Apoſtolus hoc mandatum ſcripſit. Nuſquam auten invenio, Omnis anima ſubjecta ſit Eccleſiæ præpoſitis, eſſet enim abſurdum & Dei ordinationi contrarium, æque ac ſi vir cogeretur ſubjectus eſſe mulieri. Hoc fuit inventum Papæ Antichriſti, quod prædixerat Joannes; qui depingit eum ut mulierem & meritricem ſuperbam, Apoc. 12 & 17. &c. purpura ornatam, calice & vino amatorio armatam; quibus ita dementaret Cæſares & monarchas, ut tanquam jumenta eos ſibi ſubſterneret, iiſque inſideret: quod revera in Pontifice Romano videmus, qui Eccleſiaſticus, & nil niſi femina & ſcortum, ſuperſtitioſis ſanctitatum inventis ita paulatim dementavit Politicos, ut depoſito virili & maritali vigo-

re, tanquam uxorii, conceſſerint omnem præfecturæ & dominii vigorem Papæ & ſcorto: ille autem, tanquam Hecuba & imperioſa femina, coegit eos, non pollicem modo, ſed pedem humiliter oſculari. Portentoſiſſima res! quæ ex hoc ſolo orta eſt; quod, dimiſſa religionis & Eccleſiaſticarum rerum domeſticarum cura, conceſſit eas, tanquam ad ſe non pertinentes, Politicus Eccleſiaſticis; haud aliter ac ſi vir totius familiæ rem tradat mulieri, hoc ſolo contentus, quod ventrem ſaginet; vel (ut dicunt Hiſtoriæ) ſicuti fecit uxorius Ninus, qui ſolo triduo conceſſit Semiramidi imperium & regimen totius regni; ſed quid accidit? illa ſtatim beneficiis, oblectamentis & variis artibus ita pellexit proceres regni, ut ante finitum triduum truncatus ſit Ninus, & totum imperium devenerit ad mulierem. Ita accidit uxoriis illis ſemiviris quoque in ſpiritualibus. ſimulac Principes ignavia negligunt res cultus & religionis, vel puerili terriculamento ab iis, tanquam alienis, abſterriti, committunt eas Eccleſiaſticis feminis; non diu permanet religionis puritas, & totius quoque regni politici tranquillitas turbatur: uti non modo in pontificatu apertum eſt, ſed aliquot regna non ita pridem ſuo exemplo docuere.

8 Argu. Aliud argumentum Apollonii epiſtemonicum ſequitur:

Poteſtas magiſtratus eſt ἀρχιτεκτονικὴ, inquit, cum mero imperio & poteſtate coactiva. At poteſtas Eccleſiaſtica eſt miniſterialis, ſine imperio. Dicitur enim Math, 20. *reges gentium dominentur,*

minentur, vos autem non ſic. ergo hæ duæ poteſtates diſtant δὶς διὰ πάσων, nec poſſunt miſceri.

In hoc argumento, ſi alibi, circulatorem & veneficum agit, qui fere auro obducunt deleteria boleta; & non aliter hic utitur ſcriptura, quam diabolus depravate & intento fallendi utebatur, cum Chriſtum tentabat.

Primo ſtatuit verum axioma, Magiſtratus poteſtatem eſſe architectonicam; quod Paulus non modo Rom. 13, confirmat; ſed hactenus nemo, quam Papiſtæ veteres, & hodierni Walachris conſentientes, in dubium vocarunt. ne tamen res involucris obſcureſcat, declarabo paucis, in quo conſiſtat poteſtas Architectonica.

Non requirit poteſtas Architectonica, ut is, qui eam poſſidet, omnia per ſe agat, aut poſſit agere, nullis legibus teneatur, nullius conſilio utatur, aut cum ratione obediat: ita loquitur Bellarminus injurioſe de poteſtate politica, vocans eam δεσποτικὴν. Illa poteſtas eſſet barbara & tyrannica; à quibus convitiis noſter Grallator non admodum modeſte ſibi temperat. Ne hoc quidem requirit poteſtas Architectonica, ut quis abſolute nulli quam Deo ſubſit: ita nullus propriè eſſet hac poteſtate præditus, quam qui omnes monarchas totius mundi haberet ſub ſuo imperio; qualis monarcha, credo, in orbe nullus fuit: unde bene Paulus de Antichriſto 2Theſ.2 prædixit, immanem ejus ſuperbiam fore; quod ſe efferret ſupra *omnes dictos Deos & Monarchas*; quod in Papa videmus, qui ſe dicit in terris nulli quam Deo ſubjectum eſſe, & monarchas omnes ſibi ſubeſſe; *nulli enim paret, omnibus imperat*,

ait Bellarm. Hæc poteſtas eſſet certe ſumme architectonica; ſed raro vel nunquam datur. Itaque architectonica poteſtas, communiter deſcripta, conſiſtit in hoc, quod quis in ſuo diſtrictu habeat poteſtatem ſummam, nulli illic ſubjectam; ſed cui contrà omnes ſubjecti ſint, nullo excepto; ſic ut poſſit illic ſolus præſcribere, mandare, & cogere, cum poteſtate puniendi, & cogendi, ſi opus ſit. Ita deſcribit eam egregiè Pharho, cum Joſephum donat, ſub ſe, poteſtate architectonica in totam Ægyptum: *Ego ſum Pharho, ſine te nemo attollet manum aut pedem in terra Ægypti.* Non eximebat eum ſuo imperio; nec liberabat eum legum & æquitatis præſcriptis; ſed, præter ſe unum, omnia & omnes ei ſubjiciebat. Ita Deus deſcribit architectonicam poteſtaem regiam; quod jus haberet *in filios & filias, in ſervos & jumenta,* denique *in bona ſubditorum.* non quod illi liceret quod liberet, (in hoc enim male faceret & tyrannicè:) ſed quod poteſtatem haberet, ſecundum juſti regulas, omnia cognoſcendi, dirigendi, & exequendi. Ita enim juriſconſulti ſtatuunt, nullum *imperium* eſſe ſine *juriſdictione*: nullam juriſdictionem ſine poteſtate *cognoſcendi, judicandi,* & *exequendi.* Talis eſt poteſtas Architectonica: quam ſi bene intellexit, & ſerio non ironicè ſcripſit, fatetur, ſolis Politicis convenire, uti quoque titulus libri, jus Majeſtatis indicat: ſed deridet magiſtratus, ut ſtatim indicabo.

Gen. 41. 44.

1 Sam. 8.

D. de juriſd. l. fin. §. 1. & l. 99. D. de verb. ſignif.

Alterum membrum antecedentis eſt; quod Eccleſiaſtici careant prorſus hac poteſtate architectonica, ac proin quod tota poteſtas Eccleſiaſtica

ſtica

ſtica debeat eſſe miniſterialis & ſine imperio. Quod axioma, præcisè acceptum, falſum eſt: quia ante oſtendi, Chriſtum & Apoſtolos, cum Eccleſiam regerent, habuiſſe poteſtatem architectonicam, & Monarchicam, qua, non cum pompa externa, nec ſemper, ſed tamen aliquando uſi ſunt in Eccleſia. Sed objicitur, Math. 20. Chriſtum dixiſſe: *reges gentium dominentur, vos autem non ſic &c.* Diſputabant autem tunc de præſidentia in regno Chriſti, & dixit abſolute Chriſtus Apoſtolis futuris rectoribus Eccleſiæ: *vos non debetis regnare ſed ſervire.* unde colligit, totum regimen & omnem poteſtatem Eccleſiæ debere eſſe *ſine imperio*, ſed cum miniſterio. Hæc ſunt enthymemata, quæ ille Jeſuitico more conſarcinat.

Reſpondeo, me hoc loco non legere commentum illud Grallatoris, totum Eccleſiæ regimen, vel totam poteſtatem Eccleſiæ ſemper debere eſſe ſine imperio vel poteſtate Architectonica. Si enim dicat, totam poteſtatem Eccleſiæ fuiſſe in Apoſtolis, quos hic alloquitur, principium petet, & ſupponet quod in quęſtione eſt. Primaria enim poteſtatis & regiminis Eccleſiæ pars ſemper (ut dixi) conſiſtit in Magiſtratu, & poteſtate in architectonica: unde etiam accidit, ut tempore Apoſtolorum Architectonica poteſtas reſederit in Chriſto & Apoſtolis miraculoſe, quia ordinarii magiſtratus erant hoſtes. Secundo, nego, hanc legem, quam hic dedit Apoſtolis, eſſe perpetuam: ſaltem non poſſet hoc ex loco oſtendi, quod Apoſtolis ibi mandavit Chriſtus, omni & ſemper Eccleſiæ miniſtro cõvenire.

Exemplis res fiet planior. Chriſtus, cum miſit Apoſtolos, dixit eis, *ne habete baculum & peram, nec pecuniam, nec duas tunicas*; *nec domos* voluit eos habere, ſed *quamcumque domum intrarent, ut ibi cum ſua pace manerent, donec exirent &c.* hæc omnia Apoſtolis, futuris Eccleſiæ rectoribus, mittens ad munus obeundum, præcepit. Niſi autem quis probet inſtituta monachorum, mendicantium, putidorum anachoretarum ridicula inter Papiſtas; quiſque videre poteſt, hæc præcepta non eſſe perpetua, & omnibus prædicatoribus communia. Eſſet, credo, ingrata & dura littera Grallatori & Walachris papiſtis, una ſemper tunica, ſine pecunia in crumena, & ſine domo propria vel conductitia, ut vagam locuſtam circumvolitare. Si tot leges tam ſollemniter Eccleſiæ rectoribus datæ perpetuæ non ſunt & Eccleſiæ neceſſariæ; difficillimum erit quoque ex loci circumſtantiis eruere juſtum diſcrimen, quo pateat, illam legem perpetuam & omnibus miniſtris communem eſſe. quod ſi id quoque rubiginoſis inſtrumentis effecerit; numquam id faciet ut verum ſit, toti Eccleſiæ interdictum eſſe, quod Apoſtolis aut Epiſcopis interdicitur. multa enim orirentur abſurda: illis non licet res ſeculares ex profeſſo curare, veſtes ſplendidas molles & aulicas geſtare; à loco ad locum oberrare, negotiorum cauſa peregre aliquandiu abeſſe; an hæc omnia à nemine in Eccleſia poſſent fieri? Frivola ſunt commenta: quæ inde oriuntur, quod putat iſte Walachrus Papiſta, nil Eccleſiaſticum eſſe, nec quicquam ad Eccleſiæ formam & regimen pertinere,

tinere, quam quod in uno & ſolo Concionantum choro concluditur. Scriptura contrà Reges & magiſtratus facit præcipuam partẽ Eccleſiæ; quippe tutores & nutritios, ac (ut loquitur Calvinus) in agricultura ſpirituali veluti *terram.* ut jam ſimili uno atque altero libeat inſulſitatem iſtius Walachri oſtendere. Perinde eſt ac ſi quis de agricultura agens, de ſemine deſpiciat, equos comparet, & inſtrumenta ad culturam requiſita; aratores, plantatores & rigatores habeat in promptu; & putet ſe totam agriculturam conſtituiſſe, cum tamen terram aut agros non habeat, quibus ſemina committat, aut agriculturæ labores impendat: is certe ut ſtolidus & rei ruſticæ prorſus ignarus ridebitur. Fateor quidem, ex parabola Chriſti conſtare, quoſque Math. 13. homines eſſe quaſi terram, in quam jacitur ſemen: ſed hoc non repugnat ſimili Calvini. Homines enim privati tantum ſunt ſeparatæ glebulæ in agro, in quas immediate incidit ſemen: ſed magiſtratus conſideratur ut generalis fundus, qui niſi omnes glebulas contineret, ſuſtineret & fæcundaret, diffluerent, & ſemen in illis areſceret. ut hæc Calvini ſimilitudo optume exprimat officium magiſtratus in Eccleſia, & inſulſitatem Grallatoris, qui Magiſtratum ſemper conatur extrudere ex Eccleſia. Utar alio ſimili quod Paulus inſinuat; ubi prædicatores vocat ὑπηρέτας, id eſt, remiges inferioris ſcamni in Eccleſia; unde conſiderat Eccleſiam viſibilem ut *navem.* Quis autem navim fingat in mari tempeſtuoſo ſine rectore, nauarcho aut nauclero? Debet ergo rectorem habere na- 1 Cor. 4.

vis

vis Chriſti: quæritur quis ille ſit? Grallator dicit, ſe eſſe & prædicatores, quia *duces* ſunt & *προεςῶτες*, & multas alias nugas, quas ante exploſi: ego dico, eos non eſſe; vel hoc ſolo titulo, quod Paulus vocat eos *remiges*, & quidem inferioris ſcamni, in hac navi. Quis unquam vidit in imperiali navi, ut nudi remiges, & quidem inferiores, remigio alligati, imperium teneant navis? pugnat cum uſu & ratione. Et ſi quoque hoc abſurdum non ſentiret Grallator, lex Chriſti illum convinceret. Ille enim, ut imperator navis, aperte dixit, vos *remiges*, *non ſic*, id eſt, ego nolo vos imperare in mea navi. Ergo hic apparet, quibuſcumque poſſit convenire regimen hujus navis, tamen Prædicatoribus ordinarie non convenire, expreſſa definitione Principis. Jam nil reſtat, quam ut vel rectore careat hæc Chriſti navis: vel alius quæratur præter prædicatores, quos conſtat non eſſe. Hunc ictum ut declinet, eligit Walachrus, nullum debere eſſe; quo tendit hoc totum argumentum, quo poteſtatem architectonicam exterminat ex Eccleſia & ponit tantum *circa* Eccleſiam, ſed hoc abſurdum eſſe patet ex hoc ſimili. Quam abſonum enim eſt, magnam navem in vaſto mari fingere ſine nauarcho, aut nauclero: vel etiam nauclerum talem fingere, qui intra navis foros non ſit, ſed extra eos, tanquam querula fulica, circumvolitet. Chimeræ ſunt & oponionum portenta, in quæ recidit ille Walachrus. Intra navem ergo debet eſſe nauarchus: quæritur, quis ſit? ſi nollet cum ratione inſanire ille tenebrio, vidiſſet, neminem eſſe poſſe quam magiſtratum: quia ipſe fatetur, magiſtratum eſſe caput &

put & Patrem populi: ſi quoque ille negaret iterum quod alibi conceſſit, Paulus ipſe facit magiſtratum generalem præfectum omnis animæ, hoc eſt, navis quoque hujus Chriſti: ut jam hic catervatim concidant omnia κακόδοξα Grallatoris, *Poteſtatem Architectonicam debere eſſe extra Eccleſiam*, magiſtratus regimen imperiale non *poſſe eſſe in Eccleſia;* ſed totam *poteſtatem & regimen Eccleſiæ convenire Prædicatoribus ut ducibus.* Hæc enim ex hoc ſimili omnia evaneſcunt. certe ſi verba illa Chriſti: *Reges dominantur, vos autem non ſic*, diligenter expendiſſet, vidiſſet, ex illis conſtare, magiſtratibus convenire regimen Eccleſiæ. Diſputabant enim diſcipuli non ſimpliciter de imperio, ſed de imperio in Eccleſia: unde concludo, Chriſtum quoque reſpondiſſe ad quæſitum; non ſimpliciter de imperio, ſed de imperio in Eccleſia. unde evinco, Chriſtum dediſſe Regibus & magiſtratui imperium in Eccleſia. quod enim Apoſtolis & prædicatoribus denegavit, hoc magiſtratui conceſſit. Dixit enim: *Reges dominantur, vos autem non ſic.* Atqui denegat Apoſtolis imperium in Eccleſia: ergo, ex lege oppoſitorum, Magiſtratibus dedit & conceſſit imperium in Eccleſia. Hoc argumentum ex verbis Chriſti deſumtum exſpectabo, quomodo Grallator eludet. Convenit certè cum paraphraſi Calvini, in hunc locũ; ex cujus cõmentariis pauca adſcribo. *Falluntur ergo, qui dictum hoc ad omnes pios promiſcuè extendunt, cum tantum ex reipſa doceat Chriſtus, ridiculos eſſe Apoſtolos, qui de gradu potentiæ vel honoris in ordine ſuo diſceptant: quia docendi munus, ad quod deſtinati erant, mundi imperiis nil affine habeat &c.*

Chriſtus

Chriſtus autem paſtores Eccleſiæ præfecit, non qui dominentur ſed miniſtrent. Ita refellitur error Anabaptiſtarum, qui reges & magiſtratus ab Eccleſia Dei exterminant, quia Chriſtus neget ſuis diſcipulis eſſe ſimiles; cum fiat hic comparatio, non inter Chriſtianos & profanos homines, ſed inter officia. Adde, quod non tam homines reſpexit Chriſtus, quam Eccleſiæ ſuæ ſtatum: fieri enim poſſit, ut qui pagi vel urbis erit dominus, ſimul docendi quoque munus urgente neceſſitate obeat: ſed Chriſto ſatis fuit, quid ferat munus Apoſtolicum, quid ab eo alienum ſit, tractare. Et paulo poſt: *Reſpondeo, ſi ſingula excutimus, Reges ipſos non recte dominari, niſi ſerviant; in hoc tamen differre minus Apoſtolicum à terreno principatu, quod reges & magiſtratus non impedit ſua ſervitus, quo minus imperent, & quidem cum magnifico ſplendore ac pompa emineant ſupra ſubditos; ſic David, Hiſcias & alii &c.* Et paulo poſt: *Separat Chriſtus Apoſtolos à Regum ordine, non quia regibus ſeſe offerre licet, ſed quia aliter ſe habet regia conditio, quam munus Apoſtolicum.* Hæc ille.

Unum reſtat de hoc argumento monendum; quod hæc non ſerio, ſed ridicule ſcripſit Apollonius, cum magiſtratui architectonicum dominium concedit, & Eccleſiaſticis eripit: nil minus illi cordi fuit: ſed toto hoc opere contendit, ut Eccleſiaſticos prædicatores faceret architectones, magiſtratus vero politicos viliſſima mancipia. De ſe enim & prædicatoribus dicit ubique, *quod legati Chriſti ſunt immediate à Chriſto ſervatore exaltato dependentes*; qui habent poteſtatem *authoritative, poteſtative præcipiendi*; poteſtatem αὐτοκρατορικὴν *ſub Chriſto*, & quidem *regiam*: An

An unqnam poteſt aliquis talem poteſtatem habere, quin ſit architecton? Ac ne de verbis videar diſputare, rem ipſam expendamus. Quid magis convenit cum poteſtate Architectonica, quom abſolutè liberum & nulli ſubjectnm *eſſe in aliqua re publica* ſic ut à nemine poſſit, immo ne ab architectone illus loci, puniri ſi male agat? At tales ille fingit eſſe omnes prædicatores in Eccleſiaſticis: *vocare debent libere & abſolute; clavibus concionali & cenſurali* debent quoq; *uti libere & abſolute, leges Eccleſiaſticas ſtatuere & promulgare ipſis ſolis convenit, inobedientes quoque pœnis ac excommunicatione cogere*; & in his omnibus, ut formaliter Eccleſiaſticis, dicit poteſtatem Eccleſiaſticam Prædicatorum tam liberam eſſe, ut *magiſtratui*, qui architectoon eſt, *nullo modo liceat ea tangere*: ſi enim politicus vocet, hoc eſt (illius paraphraſi) *confirmet*, ſi leges Eccleſiaſticas *per ſe & deciſive ſtatuat*; ſi per ſe, & per Eccleſiaſticos, *punire audeat Eccleſiaſticos*, immo ſi ſupplicia & pœnas Eccleſiaſticas alicui inflictas audeat abolere, aut ſupplicio gravatnm & appellantem ſuo patrocinio fovere, etiamſi juſtè punitum eſſe dubitetur, in illis omnibus caſibus aſſerit magiſtratum tyrannum eſſe, & jura ac privilegia Eccleſiæ, Chriſti ſponſæ, quæ Chriſtus ſuo ſanguine emit, calcare. Immo quod amplius eſt, ſi talia audeat Architecton, dicit Eccleſiaſticis eſſe poteſtatem illum puniendi cenſura excommunicationis: ac ejus officium eſſe, ut ſe ſuaque omnia modeſtè, ut ovis Eccleſiæ, miniſtris ſubjiciat. Hæc eſt theologica Hierarchia Grallatoris; quæ certe ex eccleſiaſticis miniſtris facit veros architectones; ex ip-

part. 1. p. 91. 93. 94

ex ipſo Architectone facit vile mancipium Prædicatorum: non enim debet magiſtratus permittere, ut fucum ſibi faciat Apollonius: quod dicat, hanc poteſtatem tantum eſſe in *Eccleſiaſticis*, & (ut loquitur) formaliter *internis* vel *externè internis* Eccleſiæ. Hoc enim ubique ſtatuit, *nullam rem tam politicam eſſe poſſe, quin aliquo modo pertineat ad forum Eccleſiæ.* unde ſequetur, nil eſſe in toto imperio, in quo liber eſſe poſſit magiſtratus à juriſdictione & cenſura Eccleſiaſticorum. Neque hoc alicujus momenti eſt, quod dicit, Eccleſiam pœnas non infligere, niſi ſpirituales & excommunicationis ad ſummum, quæ ad corpus non pertinent: hæc enim omnia ludibria ſaccaria ſunt, quibus conatur turpitudinem ſui intenti obſcurare: omnia enim ſupplicia Eccleſiaſtica, imprimis Walachra (ut ſæpe dixi) nullum alium finem habent, quam ut directe famam alicujus corrumpant; ac dein per indirectum bona & vitam: quia vita & fama pari paſſu ambulant. Qui ſeditioſa dicta, ſcripta & conſilia, quæ quotidie captat cum ſeditioſo Tertullo, quem magiſtratus infamia notavit, ille autem pro legato ab latere habet (ut nobis aſſeverant) obſervat, facile videre poteſt, nil ſpirituale ab illo Grallatore in cenſura & regimine Eccleſiaſtico ſpirari, ſed omnia eſſe carnalia & corporalia; quod ſtatim ſentiret magiſtratus, ſi per oſcitantiam ſui voti is fieret compos. Habet magiſtrum ſuæ fraudis Papam: is eadem cantilena, & quaſi Sirenum melodia, ſubjecit ſibi monarchas, jactando ſe *ſervum eſſe ſervorum*, & *aurum & argentem non habere.* quod adhuc

part. 1. p. 9.

adhuc hodie mentitur. Dicit, ſe prorſus *ſpiritualem eſſe*, & omnia ſua negotia ſpiritualia, ideoque diverſa prorſus ab negotiis hujus mundi, quæ ad politicum forum non pertineant: itaque fecit ſibi peculiare forum & peculiarem aulam; in qua licet omnia humano & barbaro faſtu agit, jactat tamen, nil ſeculare ſed omnia ſpiritualia eſſe; quibus artibus, non modo ſe liberum fecit à pæna & ſuppliciis Politicorum, quibus jure divino ſuberat; ſed contra ſimulata humilitate & verbali ſervitio tam alte progreſſus, ut jam regna & imperia donet & eripiat, & maximos orbis monarchas coegerit, ut equiſones,frenum & ſtapedem tenere, immo collum pro ſtapede præbere, ut calcet, & pronos pedem oſculari. Quamquam infinitis millibus ab illo apice diſtat Grallator, tamen illius eventus recordatione haud aliter titillatnr, quam Alchymiſtæ, ſpe chryſopœæ, in quam licet rem fere profundant ad egeſtatem uſque, nunquam tamen deſinunt dulcedine illa moveri, quin ſemper recrudeſcat deſiderium, & ægreſcat animus, medendo. Sed hæc nunc ſatis de hoc argumento.

Hactenus per indirectum pugnavit: nunc directum telum vibrat, deſumtum à Levitico cultu. Putat enim, nil certius eſſe, quam Deum in vet. Teſtamento ſub Levitis feciſſe inſociabilem diremptum inter Politicos & Eccleſiaſticos; quod diſcrimen putat eſſe morale ac perpetuum, & nunc quoque debere ſancte obſervari. Dixi de futilitate hujus argumenti aliquoties; nunc ſpeciatim indicabo, quot Arg. 9.

falſitatibus & abſurdis ſcateat.

Principio hoc dico mendacium eſſe, quod Deus diſcrimen fecerit inter politicos & Eccleſiaſticos, proprie. Fecit enim diſcrimen inter Levitas & alias tribus: ut ſive politici ſive Eccleſiaſtici eſſent, cum Levitæ non erant, arcebantur à negotio ſacerdotii: ſi contra Levitæ erant, & ſi erant politici, non arcebantur; ut videre fuit in Samuele, Heli, & aliis, in quibus politicum & Eccleſiaſticum regimen combinavit. Non negabit, credo, Grallator, diviniſſimos Prophetas fuiſſe Eccleſiaſticas perſonas: & tamen his non licuiſſet ſacrificare & Levitica negotia obire, ſi Levitæ non fuiſſent. Eligebat enim hos ex omnibus ſtirpibus Deus: ut hic appareat veterem mentiendi mechanicam iterum exercere Grallatorem, quod perſuadere nitatur, Deum diſcrimen feciſſe inter omnes politicos & Eccleſiaſticos, quod ejus figmentum eſt: cum jam conſtet diſcrimen hoc fuiſſe inter aliquos politicos & Eccleſiaſticos, & ſolos Levitas: ut hæc nil patrocinentur Concionatoribus Walachris, niſi oſtendant ſe ſolos eſſe veros Levitas, omnes politicos eſſe ex aliis ſtirpibus.

Secundo, conſtat hoc totum diſcrimen fuiſſe templarium, in negotiis ſacerdotii, quæ expreſſa lege ad templum Deus adligaverat; & ſic quoque omnes Levitas. Jam vero, hoc certum eſt, illa negotia fuiſſe ceremonialia & templo adhærentia, ut videre eſt in Epiſt. ad Hebræos. Conſtabant enim in ingreſſu in ſanctum ſanctorum, qui ſoli Pontifici licebat, in cuſtodia arcæ & cæ-

& cæterorum, in ſacrificatione intra templum ad altare, & cæteris, quæ Deus præſcripſerat, quomodo ab Levitis ſolis fierent. Jam vero videmus templum jam diu dirutum, & omnia illa ſacra abolita eſſe, omnia quoq; ſacrificia deſiiſſe cum Chriſti paſſione, quis non videt, illud ſpeciale jus leviticum quoque deſiiſſe, & abrogatum eſſe? ut ſi veri Levitæ nunc reſurgerent, ablato & deleto templo cum ſacris, faterentur ipſi ſpecialis juris ſanctitatem ſuam deſinere; quia nullius eſſet uſus. Hæc indicant, quam pertinax Levita ſit ille Walachrus; qui alibi tam timidus in refodiendo Judaiſmo, ut organi concentum in templis ferre non poſſit, hic veteribus levitis levior ſit; & leviticam ſpecialis juris ſanctitatem reſervare vult ablato tamen templo cum omnibus templariis ſacris & negotiis.

Sed concedamus Grallatori, Leviticam ſeparationem inter Chriſtianos hodie manere: an propterea illi licet in cultus ſacris determinandis quod libet? Levitis veris & veteribus hoc non licebat. Si pontifex dixiſſet aliis ſacerdotibus, mihi ſoli licet intrare in ſanctum ſanctorum; ergo vobis non licet intrare in ſanctum: negaſſent; quia Deus aliter definiverat. Si ſacerdotes dixiſſent Populo & Politicis, nobis ſolis licet ſacrificare: ergo vobis non licet huc venire, ſacra videre, precari, docere in templo, paſcha & circumciſionem celebrare, & alia cultus negotia obire, fuiſſent deriſi à Politicis, quia Deus hæc omnia ſpeciali, jure non addixerat Levitis, interdixerat populo & politicis. Hic videbit, ſpero, Walachrus ille Levita

ſuam inſulſam licentiam ; quam didicit, ut cætera, à ſuis magiſtris Papiſtis : qui ut ad pompam, & ſimplices animos capiendos, adornarent ſui cultus choragium, plæraque mutuati ſunt à Levitico ſacerdotio, ſed pro arbitrio ; & tamen (ut fateor) non inconcinnè ſuam comœdiam adornarunt. Levitæ olim erant conſecrati & ſeparatè ſancti ; ita ſunt illic clerici. habebant veſtes ſacras ; ſic illi. habebant ſacrificia ; hi quoque habent incruentum ſacrificium miſſam, quod nemo laicus poteſt tangere. habebant ſummum pontificem; ita illi habent Papam. pontifex geſtabat coronam ; Papa gerit tres coronas. pontifex indutus erat lorica ; Papa induit pallium Petri. Levitæ habebant ſanctum ſanctorum ; Papæ conclave eſt illic ſanctum ſanctorum. in ſancto ſanctorum erat arca & ſedes propitiatorii ; in conclavi Papæ eſt cathedra Petri : ſunt multa alia ſacra, quæ ego fateor me ignorare : unum imprimis erat apud Levitas ; quod in ſancto ſanctorum erant urim & thummim, unde reſponſa infallibilia dabat Deus per pontificem : ita Papa dicit, cum in conclavi & cathedra Petri ſedet, Deum quoque infallibilia reſponſa per ſe dare : non in omnibus quidem (ut fatetur Bellarm. eſſet enim hoc nimis aperte mentiri) ſed in ſtatutis *fidei & morum generalibus* : ut ſi vel centena quotidie reſponſa ex illo clonclavi edat Pontifex, quæ falſitatis convincantur, ſemper tamen à mendacio liber ſit : vel quia tantum lapſus ſit in *definitionibus particularis facti* : vel quocumvis modo

modo tandem mendacii convincatur, nunquam tamen aberrarit ab infinito illo veritatis ſcopo, qui eſt fidei morumque generalis præſcriptio: ut ſi in illo conclavi aliquando cum meretricula luxuriarit Pontifex, (uti in Delphico templo factum erat) ac non tam Papæ quam Veneris reſponſum inde prodeat ad Eccleſiam, non dubitandum ſit, ſanctiſſimæ ſanctitatis eſſe, quidquid ab illo ſancto exierit. Ut quiſque videat, veteris papiſmi actus & ſcenas, ad judaiſmum venuſte eſſe concinnatas. Inter reformatos ſimilia quærit Apollonius; ſed hactenus (quod ſciam) non invenit.

Optaremus certe, ut pro libertate *Walachri cæli, ſub quo natus, educatus* & ad omnem audaciam adſuetus eſt, *ſcaſam ſcaſam, ovum ovum vocaſſet*: non enim integrum nobis eſt ſemper in illo periculo verſari. Quis enim non miſerator Uſæ, qui ſolo arcæ, non tangendæ, tactu cecidit exanimis! annon exitiabile fuit Saulis factum, quod metu, & moræ Samuelis tædio, in ſacrificandi munus irruit? unde non in Samuelis modo, ſed Dei funeſtam indignationem incidit. quis Principum non horreſcat, qui videt Uſiam regem, tentando non tentanda, in lepram incidiſſe, quæ in vita illum à regimine, & in morte à regum ſepulcris extruſit? Ut rem gratiſſimam facturus ſit Grallator, ſi poſthac ſui choragii non tangenda apertius delineet.

part. 1. p. 391.

quid. apud reformatos

Ego certe hactenus invenire non potui locum ſanctum ſancti ſanctorum inter reformatos; niſi apud Walachros ſit muſeum Apollonii, ubi cum Tertul-

ſanctum ſanctorum.

lo ſuo, & aliis conjuratis, clandeſtina conſilia capit de ſubruenda magiſtratura Mittelburgica, & inſtituenda illic nova papali Hierarchia: conſiſtorium licet ſit conventiculum ſuperlativæ ſpiritualitatis illic, non videtur mihi mereri nomen ſancti ſanctorum; quia cuſtos, cum mulieribus, pueris & canibus illud promiſcue intrant; & ſic quoque tot ſancta ſanctorum eſſent quot ſunt Eccleſiæ: itaque in hoc ſyncopen patitur Walachrus judaiſmus.

Sacrific. externū. Sacrificia externa jam nulla ſunt Levitis peculiaria, niſi cum papiſtis miſſam ſtatuat; Spiritualia ſacrificia ſunt, eleemoſynæ, preces, cantiones ſacræ, quæ vituli labiorum dicuntur; & totus rationalis cultus; qui omnibus Chriſtianis Rom. 12. ut communis præcipitur; ſic ut certum ſit ab his omnibus non removeri poſſe magiſtratum, ob ſpecialis juris ſanctitatem. Quis enim dicat, magiſtratui non licere preces ſuſcipere in tem- *preces.* plo? licet (inquit Grallator) ſed non *publicas*, ut hic ſanctitas jaceat in circumſtantia, videlicet ut eædem preces, privatim conceptæ, ſanctæ ſint communi more; ſpecialiter vero ſanctæ, ſi publicè concipiat concionator. Quamquam hoc ſubtile diſcrimen ſcriptura nuſquam exprimat. Hoc quoque verum eſt multum hic decedere Walachrum levitam à veteri judaiſmo: Ibi ſacrificare ſpecialis juris erat; ſed non publice modo, ſed privatim: ſi enim iis, qui levitæ non erant, conceſſiſſent privatim ſacrificare in templo, ſibi ſervato jure publice ſacrificandi, polluiſſent ſua ſacra levitæ.

Sed ſi tam ſacrilegum eſſet magiſtratui, publicas

blicas preces in templo concipere ac feminarum more debeant tacere, vel privatim muſſitare; Cur non magiſtratui modo, ſed feminis conceditur, apertè & alta voce cantare in templo? nam hoc quoque eſt ſacrificium ſpirituale laudis: in hoc certe videtur ſua ſacra proſtituere. Niſi excipiat;in hoc quoque ereptam eſſe Chriſtianis licentiam, quia *præcentor* ſit, cujus cantus ſit ſpeciali jure ſacer, quem præcinentem totus cætus ſequitur: ſed ſic præcentor quoque inter ſpecialis juris ſacros eſſet recipiendus, quem arbitror nimis olere mechanicum hircum, quam ut eum velit Apollonius participem facere authoritativæ & ſpecialis juris concionatoriæ ſtactes: attamen quod in præitione precum facit concionator, idem in victimis laudum facit Præcentor. Fateor, pauculum intereſſe; quia hic ex libro præcinit tantum Pſalmos & cantica ſacra: ille nolens eſſe Clericus in libro, extra librum, immo, credibile eſt, ſæpe extra tota Biblia illic precatur, quidquid Apollonianus ſpiritus æſtuando exſpumare valet. Sunt certè piiſſimæ preces à Calvino & doctiſſimis theologis typis editæ in Catecheſi, in hunc uſum, ut totus populus iis adſueſcat, & ſic uno ſpiritu Paſtore præeunte precentur, quem uſum multoties Eccleſia in ſynodis ſanxit: ſed hæc vulgaria ſunt, & nimis accedunt ad conſtrictam & librariam Præcentorum ſpiritualitatem, quam ut ferventiſſimi Zelotæ Grallatoris ſpiritum poſſint explere.

Hoc poſtremo mirum: quod in *publica precatione*, ſpecialis juris ſanctitatem ſtatuat: cum ſub

veteribus Levitis conſtet, Annam matrem Samuelis, Solomonem in conſecratione templi, Hiſkiam regem, &c, tempore Chriſti, Phariſæum & publicanum in templo publice preces concepiſſe. Fateor, aliquando precandi negotium, ſpeciali mandato, extraordinarie aliquibus commiſſum eſſe, ut Iſaaco, Moſi, Noë, Daniel & Job: ſed hoc privilegium non erat Leviticum aut ordinarium, ſed oriebatur ex perſona, quatenus ea tum gratior erat Deo, ſive Eccleſiaſtica ſive politica eſſet. Optandum ſit, ut quotquot ſua liberalitate magiſtratus publico precum negotio præficiat, non modo apti ſint ad id modeſte faciendum, ſed Deo ob pietatem grati. In multis enim tam inconcinna polylogia ac barbaries eſt, tantaque manuum impuritas, ut metuendum ſit, ne talibus internunciis deteſtabiles Deo ſępe ſint Eccleſiæ preces. Concludo, in precibus ſub Levitis non fuiſſe ſpecialis juris ſanctitatem: cur ergo eſſet ſub novis his Levitis?

Prædicatio. Prærogativam quærit in *Prædicatione*; & dicit, privatim quidem licere omnibus, præter Concionatores, prædicare, ſed non *publice* in Eccleſia. hoc dicit eſſe *authoritativum* & *poteſtativum*, ac *jure legati* illud tantum *ædificativum*; & multa quæ in hanc rem comminiſcitur ſine apice ſcripturæ: ut hic ſanctitas iterum jaceat in circumſtantia, multum diſcrepans à Levitica veteri. Si enim ſummus pontifex in hoc poſuiſſet ſuam ſanctitatem ſpecialis juris, quod publice& interdiu ingreſſus eſſet in ſanctum ſanctorum, reliquo autem populo conceſſiſſet, ut priva-

privatim aut noctu inſtar glirium in ſanctum ſanctorum irreptaſſent, profanaſſet certe ſua ſacra. Non minus ridiculus novus hic Levita, qui mulieribus, laicis, & politicis, concedit privatam prædicationem ejuſdem verbi, ſibi ſervat pro ſanctitate circumſtantiam, quod publice poſſit in ſuggeſtu. Non fuit hæc circumſtantia, tantæ ſanctitatis apud Levitas, nedum apud Apoſtolos: non enim fuiſſent tam liberales, ut cuivis apto conceſſiſſent publice prædicandi officium; ut ne mulieribus quidem ipſis tecto capite interdixerint prophetandi licentiam ſi res ferret. alioquin ſolvat mihi nodum Apollonius, quomodo Paulus, qui alibi jubet tacere mulieres, expreſſe dicat, *mulier orans aut prophetans non velato capite, dedecorat caput*; non enim præcipit de eo Paulus, quod nunquam futurum erat, ſi abſolute non licebat mulieri prophetare: nec de privata loquutione domi loquitur, ad quam non requirebatur ut ſemper velata eſſet. Ergo hoc evidens eſt, non fuiſſe Apoſtolis notum illud ſubtile ſanctitatis Concionalis diſcrimen, ut ſpeciali ſanctitate & authoritative prædicaret ſolus Paſtor publicè prædicans, non autem alii, qui id privatim facerent.

Miram ſanctitatem ponit in jure *vocandi*. ſed hic iterum à veteribus Levitis deflectit. Illi naſcebantur in jus Leviticum; &, ſi ſpeciatim ad pontificatum aut aliquod munus ſpecialis juris ſeligebantur, factum hoc eſt fere à Politicis, non Levitis. *Vocandi.*

Moſes politicus Aaronem fecit ſacerdotem ſummum, veſtibus induit & exuit, ſuffecto Elea- Num. 20. 28.

 zaro.

zaro. Erant multi inſignes ſacerdotes; ſed Politicum Deus prætulit. Dicunt hoc feciſſe extraordinarie ut Prophetam; ſed hoc ſcriptura non dicit, ſed cauſam hujus rei tam gravis non indicando, inſinuat nihili eſſe hoc diſcrimen. 1 Reg. 2. 2. 26, 35 Ita David ordines ſtatuit miniſterii Levitici: Solomon Abiatharum à ſacerdotio detruſit, Sadocum ſuffecit: neque tunc collapſus erat cultus; nec conſuluiſſe legitur Levitas, ſed fecit pro authoritate: nec feciſſet id, ſi ſuſpicatus eſſet tantum ſacrilegii periculum in hoc jacere. ut Levitis olim peculiare jus vocandi non fuerit: unde id male ab iis mutuatur novus Levita Walachrus.

Judicandi, puniendi & cenſurandi jus. Paris farinæ eſt jus *judicandi, cenſurandi*, & puniendi, quod vocat nomotheticum & clavium. Id quoque Levitis peculiare non fuit, ſed generalem originem, ſub Deo, à Politicis habuit.

Ita leges Eccleſiaſticas inſtituerunt Moſes, Joſua, David, Solomon, Joſaphat, Joſias, omnes politici, non Eccleſiaſtici Levitæ. Dedit quidem Deus Levitis & Pontifici quoque judicandi partes per Moſem; Deut. 17. 9. 12. ſed non ſeparatim à Politicis ſed conjunctim cum iis; immo quia bis politicum judicem ultimo loco ponit, non inveriſimilis conjectura eſt, ſummum judicandi jus poſuiſſe in Politico, quippe à quo puniendi poteſtas dependebat. ut certè apertus perverſor ſit Levitici juris hic novus Levita, qui prætextu Levitici moris conatur detrudere à nomotherica & judiciaria Eccleſiaſtica Politicos; cum contra conſtat, Deum expreſſo mandato Levitarum judiciis politicos adjunxiſſe.

Nec

Nec alia fuit Apoſtolorum mens ; qui ad omnia graviſſima negotia Eccleſiaſtica, vocandi, leges ponendi, Cenſurandi, admiſerunt totam Eccleſiam, quæ ex politicis quoque conſtabat ; ſic ut jus quoque iis facerent, decidendi (ut ante oſtendi) quod non feciſſent, ſi hoc ita præciſe intellexiſſent eſſe Politicis illicitum. Act. 15.

Nil demum reſtat, quam jus *Celebrandi Sacramenta*, quod tam præciſæ ſanctitatis eſt Apollonio, ut illi ſit quaſi urim & thummim, ac ſanctum ſanctorum ; à quo non modo ſeniores & diaconos, nedum carnales Politicos, ſed ipſos quoque Proponentes ſub gravi ſacrilegio arcet ; ut in hoc ſtatuat apicem authoritativæ & poteſtativæ ſuæ prædicationis, quod ſit *cum jure adminiſtrandi ſacramenta* ; ut ſcripſit ad Anglos. *Sacramenta celebrandi.*

In hoc commento certe aperte relinquit Leviticum vetus jus: Illi enim in hoc nil ſpeciale habebant. Paſcha enim mactabat primitus quiſq; in familia; circumciſionem adminiſtrabat domi Pater, vel publica authoritate Joſua politicus. Manna colligebant & edebant omnes; bibebant omnes ex Petra ſequente, baptizabantur omnes in mari & nube. Hæc erant ſpiritualia ſacramenta veteris teſtamenti, quæ omnibus communia, certe nil ſpecialis juris reliquerunt Levitis ſolis. Hoc videtur temporis progreſſu obtinuiſſe, ut horum adminiſtratio ſollemnis à Levitis facta ſit : ſed hoc uſus potius intulit, quam expreſſa Dei lex, quæ videtur magis obſtare. Joſ. 5. 1 Cor. 10.

Ut hic veteres Levitas deſerat Walachrus ille Levita. Neque ab Apoſtolis venit illa præciſitas. Baptizandi enim poteſtas minoris valoris erat

Apo-

Apoſtolis, quam prædicandi; dicit enim Paulus, *Chriſtus non miſit me ad baptizandum, ſed prædicandum.* Agit gratias quoque Deo, quod non multos baptizaverat: quantum abeſt à theologia Walachra? Ipſe Calvinus ex Auguſtino probat, ſtatim poſt Apoſtolos laicos baptizaſſe; quod non tam cito feciſſent Chriſtiani, ſi præciſum & ſacroſanctum jus in hoc jacere ſuſpicati eſſent.

Par Cænæ ratio: cujus celebrandæ præciſum jus, quantum video, prodiit à Papatu; ubi ex cæna factum eſt idolum. ſi in hujus ſacramenti adminiſtrandi jure tanta ſanctitas & præciſitas jaceret quam fingit Grallator, feciſſet imprudenter Spiritus ſanctus, quod de re tam gravi vel nil, vel contrarium potius indicaſſet in ſcripturis.

Dicitur vulgo: Chriſtus primam cænam inſtituit, panem ſumſit, fregit, diſtribuit, uti quoque vinum. quia Chriſtus erat Paſtor, doctor Eccleſiæ, pro inviolanda lege id ſumitur, à nemine quam paſtore, non tamen doctore, celebrandam eſſe cænam. Id fundamentum Grallatoris aliquoties oſtendi eſſe mancum, & nunc iterum oſtendo. Chriſtus diſcipulorum pedes lavit: ſcribarum & Phariſæorum objectiones diluit: parabolas & obſcura religionis explicavit: precatus eſt pro omnibus electis: Ergone nemini quam paſtori liceat pedes lavare, obloquentibus reſiſtere, dubia religionis explicare, precari? Solemne fuit Chriſto in conviviis preces concipere: an hinc lex fiet, in conviviis

viis & nuptiis preces concipi non poſſe niſi à Paſtore ? Hoc exemplum ſi nimis curioſe affectet Grallaror; in ſuſpicionem veniet, quod guloſam hanc ſpiritualitatem à Papiſtis quoque velit mutuari: inter quos antiquum eſt, ut Paſtor in conviviis præſideat, & ſponſæ adſideat jure ſpiritualitatis. Chriſtus multa fecit occaſione, quæ legem imitandi non ponunt, niſi exprimatur, illud exemplum ſic & non aliter imitandum eſſe: quod in hac circumſtantia nuſquam ſcriptura facit; non magis quam noctu ſemper celebrandam cænam, aut pane azymo, quia utrumque fecit. Accedat, quod in inſigni loco Pauli, ubi cænæ inſtitutio repetitur, nil tale, immo contrarium innuitur. Conſtat enim Paulum hæc ſcripſiſſe, non Epiſcopis proprie, ſed toti corpori Eccleſiæ: dicit autem ſe tradidiſſe illis inſtitutum celebrandæ cænæ, quod à Chriſto acceperat. quidnam hoc? non modo accipere panem fractum, & edere; ſed *accipere, frangere, diſtribuere, edere, bibere*, inter ſe cum reverentia. hoc enim totum à Chriſto acceptum jus ait ſe illis quoque tradidiſſe. Ut mirum ſit, unde ſuperſtitioſa partitio nata ſit, ut Paſtoribus ſolis, ſub pæna ſacrilegii, jus ſit *accipiendi, frangendi* & *diſtribuendi*, panem cum vino; cæteris Chriſtianis tantum accipiendi, edendi & bibendi, & ſe bene ante probandi, ut loquitur quidam theologus. & ſi eenim omnibus & toti Eccleſiæ cum Epiſcopis mandet ſe quemque probare, tamen id quoque priviiegii ſibi aſſumunt hodierni hierarchæ,

1 Cor. 11.

ut

ut aliis præſcribant probationem, & de ea judicium ſumant an legittima ſit; ſed ad ſe illam legem pertinere nil putent, quin, ſi tempus ferat, improbatiſſimi ad ſacra poſſint proruere; quippe jure præciſæ ſpiritualitatis, donati poteſtate ſeipſos de probationis, omniumque maleficiorum defectu, diſpenſandi. Qui hoc non ſentit Papiſticum allium olere, næ is haud munctæ naris eſt theologus. Ego ex hoc loco colligo, Paſtoribus ſolis non eſſe jus panem Cænæ ſumendi, frangendi & diſtribuendi ſub ſacrilegio, ſi Diaconus, Preſbyter, conſul fidelis, aut aliud Eccleſiæ membrum pietate ſpectatum id faciat. Fateor, decoro & ordini hoc tributum eſſe progreſſu temporis, ut ſollennes hæ actiones delatæ ſint Paſtotibus prædicantibus: ſed id ex divino nullo mandato prodiit. ac proin qui tam ſuperſtitioſus ſit, ut credat ſacrilegium fore, ſi paſtore morte vel morbo vel quavis cauſa abſente, Cænam celebret Diaconis, Senior, vel aliquod membrum Eccleſiæ inſigne, is mihi videtur miſſariæ Cænæ non externum ſed medianum corticem vehementer lambiſſe. Summatim jam dico: nil ex veteri Levitico cultu invenire poſſe Apollonium, quod ſpeciali jure ſacrum poſſit transferre ad hodiernum Eccleſiæ choragium. omnia enim hodierni choragii negotia, quæ ille pro tam ſpecialiter ſanctis venditat, fuerunt ſub Levitis non ſpecialis juris, & omnibus Politicis communia: à Papiſtis contra ſumſit, ſed tam inconcinnè, ut jam & ab Levitis & Pontificiis merito ſit rideudus.

Argu. 10 Ultimum in politicos telum eſt multifidum & api-

& apices habet, livoris & contemptus veneno vehementer imbutos.

Magiſtratus eſt *tantum accidens Eccleſiæ ſeparabile*: eſt tantum ex vilioribus imo viliſſimis Eccleſiæ membris; unde concludit, indigniſſimum eſſe, ſi magiſtratus velit Eccleſiam regere, & Eccleſiæ negotia obire.

Reſpondi ante: falſum iterum ſupponere Apollonium, tempore Apoſtolorum & ſæpe caruiſſe Eccleſiam magiſtratu Politico, de quo poſt iterum diſſeram: nunc conſequentiam hujus Philoſophi explodam. Putat accidens ſeparabile eſſe quidquid ſine ſubjecti interitu poteſt abeſſe, ſive ſubſtantia ſive accidens ſit, qua philoſophia faceret pro nutu ex ſubſtantia accidens: nimirum ſi Apollonio fur eripiat pallium tum fiet accidens, ſi in crumena habeat decem coronatos & unum furetur ſaccarius, quia manebit Apollonio crumena cum reliquis nummis, coronatus ille erit tum non ſubſtantia ſed accidens. ut nil ſe movere debeat Grallator, ſi in tale aliquando incidat damnum, quia accidentis tantum erit jactura: nec magna pæna dignus erit fur, qui non ſubſtantiam ſed accidens furatus ſit. Si ita nugari licet in theologia, tum verbum Dei ſcriptum eſſet accidens ſeparabile Eccleſiæ, quia aliquandiu ſine eo fuit Eccleſia: Apoſtolicum munus erit accidens Eccleſiæ, quia fuit Eccleſia ſine eo, & nunc iterum eſt. abſit dicto blaſphæmia! Chriſti actualis paſſio & incarnatio erit accidens Eccleſiæ ſeparabile, quia in plenitudine temporis tantum fuit, & jam diu deſiit. ut hæc philoſophia abſurda ſit.

Quid

Quid ſi accidens tantum ſit magiſtratus Eccleſiæ? inde ne ſequetur, magiſtratum nil poſſe agere in Eccleſia; Quin potius accidentia omnium operationum ſunt principia; quæ niſi haberent ſubſtantiæ, nil agerent: etſi enim urit carbo, non urit tamen ſine qualitate ignea & calore. Non urgebo magis hoc abſurdum Apollonii: quia certus ſum, plus eum ſibi metuere ab hoc accidente politico, quam ſperat ab ſubſtantia Eccleſiaſtica; ut fruſtra accidentaliter ſe cruciet in accidente hoc ab Eccleſia exterminando; quod ſi abeſſet, concurſu ſubſtantiarum Eccleſiaſticarum ita ſubito

Frigida pugnarent calidis, humentia ſiccis,

ut in chaos omnia redirent; ut non ſine veritate dicam, contra Ariſtotelis placitum: accidens politicum ſuſtinere ſubſtantiam Eccleſiaſticam, alioqui corruituram. Sed jam tranſſiliam ab *accidente* ad *ſubſtantiam*: tam mirus enim eſt philoſophus Grallator, ut ex politicis faciat ſubito *accidens*, & rurſus ſubſtantiam: facit enim illos *membra Eccleſiæ*, ſed *vilia*, immo prorſus ex viliſſimis: ratio eſt, quia Paulus dicit, *qui viliores vel viliſſimi ſunt in Eccleſia, eos collocate in ſubſelliis.* unde, paraphraſi Walachra, concludit, *omni tempore collocanda eſſe viliora membra Eccleſiæ in ſubſelliis.* unde per regreſſum quoque colligit; *quicumque ſedent in ſubſelliis, hoc eſt, curia, habendos eſſe pro vilioribus membris*, etiamſi antea fuiſſent & eſſent revera doctiſſimi: ita ille ſcriptura ut naſo certo utitur, ut perſuadeat, curiales & magiſtratu fungentes non multo pluris faciendos eſſe quam aſinos; ſicuti Papiſtæ comparant laicos

1Cor.6.

part.1.p. 14.& 15.

laicos & politicos Monarchas aſino, cui Chriſtus inſidebat. Non credo Grallatorem hoc ſerio ſcripſiſſe; nimis enim avide conari eum dicunt, ut ſuum legatum ab latere collocet in ſubſelliis directe, ut ſic ipſe quoque ea occupet indirecte: ſed nunc indicabo, quam irreverenter tractet ſcripturam, & corrumpat hunc locum Pauli, ut ſuo commento cogat eum ſervire. Faciam hoc plana & non contorta verborum exegeſi. Inoleverat apud Corinthios malus mos, quod de mundanis rebus Chriſtiani inter ſe rixarentur; quas rixas non modo inter ſe non componebant, ſed abibant litigatum apud magiſtratus politicos, qui tunc erant infideles, & hoſtes Chriſtianorum: hunc morem, ut par erat, carpit Paulus, & ut bonus medicus corrigendi remedia præſcribit. quale erat præ cæteris, quod rixas & querelas deponerent, & potius *damnum paterentur*: ſi enim ea moderatio omnium Chriſtianorum animos occuparet, ut potius, quam litigarent, damnum paterentur, omnes litium occaſiones præciderentur: ſed ea animi moderatione carebant Corinthii. dicit enim Paulus, *vos ipſi infertis damnum fratribus.* Ergo ulterius conſulit, & ſuadet, ſi igitur vellet litigare & rixari, ut manerent in Eccleſia, quæ tunc ſeparata erat à politicis infidelibus, & ut inter ſe componerent lites: utitur ad hoc variis rationibus, & imprimis hac; quod nemo fidelis & Chriſtianus debebat eſſe tam ineptus ad judicandũ, quin poſſet facile æquipollens eſſe in judicãdo impio & infideli. dicit enim, Chriſtianos & fideles judicaturos eſſe mundum. Unde concludit, ſi tam magna-

rum rerum judicio reſerventur pii,indignum eſſe ſi ſe ineptos crederent judicandis inter ſe rebus vilibus & bioticis : unde apparebat abſurdum quod committebant ; quando infideles & impios magiſtratus ſumebant pro ſuis judicibus. Quia enim illi omnes viliores erant Chriſtianis ; perinde faciebant , ac ſi præteritis dignioribus , viliſſimos inter ſe collocaſſent in ſubſelliis, & judices feciſſent. huc tendunt verba Pauli, *qui inter vos viliſſimi ſunt , eos collocate in ſubſelliis*, quod cum ſacraſmo dicit ; non quaſi probaret, in ſubſelliis ſedentes eſſe debere viliſſimos ; ſed contra improbat illum malum morem. Dicit enim ſtatim , *ad confuſionem vobis dico : annon eſt* σοφὸς *ſapiens ne unus inter vos , qui poſſit inter fratres judicare* ? quibus verbis aperte declarat, ſe non probare illorum inſtitutum, quod apud infideles litigabant; quia ſic faciendo viliſſimos faciebant judices ; atque hoc dicit eſſe perverſum ; quia contra docet , nonniſi σοφοῖς & ſapientioribus id convenire ; ut ſapientum defectum illis exprobret , quod , præteritis fratribus , judices faciebant ſuarum rerum infideles magiſtratus ; quibus ipſi longe erant vel debebant eſſe ſapientiores. Hæc plana mens eſt verborum Pauli : unde jam concidunt deliria Grallatoris. Ille putat , Paulum hic perpetuam & abſolutam legem feciſſe ; quod qui in ſubſelliis ſederent & res bioticas judicarent , hoc eſt , magiſtratus , ratione magiſtraturæ, ſemper eſſent viliſſimi ; cum contra Paulus hanc vilitatem conſideret ratione infidelitatis ; quia infideles tunc erant qui magiſtratum gerebant : unde ſequitur , rationem

Pauli

Pauli ceſſare in magiſtratibus quando fideles ſunt; quales cum ſint quibus nunc ipſe ſubeſt, injuriam facit Grallator, quod hanc vilitatem exprobret fidelibus, quam Paulus expreſſe ſolis infidelibus imponit. Altera perverſitas Apollonii eſt, quod magiſtraturæ munus, quatenus tale, & ratione hujus muneris ipſos magiſtratus, dicat viliſſimos eſſe: cum Paulus contra aſſeveret, id officium judicandi tam inſigne, ut viliſſimis non debeat committi, ſed σοφοῖς: ut ſapientum penuriam illis exprobret, quod id, præteritis fratribus, committebant infidelibus, quorum nemo ob infidelitatem cenſendus erat dignior aut ſapientior Chriſtianis, ſed vilior; ac proinde quoties ad eos transferrent judicandi partes, male facere, quia & ſe ineptitudinis & imperitiæ accuſarent, & præpoſtere munus judicandi deferrent vilioribus & indignis: ut prorſus contrarium hic ſtatuat Paulus; judicandi & magiſtraturæ munus digniſſimum eſſe, & ſolis σοφοῖς & ſapientioribus convenire, modo id non tranferatur ad infideles, tunc enim ex accidenti vilioribus deferri: ut malitioſe agat ille Walachrus, quod fidelibus magiſtratibus magiſtraturæ munus in dedecus & vilitatem cedere dicat, à quo Paulus dicit illis dignitatis & ſapientiæ prærogativam accedere.

Hactenus examinavi argumenta vel potius fallacias & ſcommata, quibus conatus eſt Grallator perſuadere, magiſtraturæ munus, & pro in eo munere fungentes, tam carnales & viles eſſe, ut nec poſſint nec debeant manum admovere ſacris & ſpiritualibus Eccleſiæ negotiis,

 qualia

qualia ea hodie ſunt: in quibus exagitandis certe tam effrenis fuit, ut non poſſit maledicendo audacior eſſe, ſi dictaturam ſolus in confæderata republica obtineret.

Quis enim vel Nathan, Helias, & Paulus, theopneuſtus, auſus fuiſſet impios magiſtratus ita compellare ut ille pios? Vos eſtis tantum *accidens ſeparabile Eccleſiæ:* veſtra poteſtas non eſt *in* ſed tantum *circa Eccleſiam*: vos tantum eſtis *viliſſima membra* ratione magiſtraturæ: eſtis tantum *carnales* & *biotici*, qui non *poli* ſed *ſoli* tantum res tractatis: immo ſi *velletis etiam altius adſcendere*, ad res ſancti noſtri choragii tractandas, *impoſſibile vobis eſſet eas tractare & adtingere*, ita ut vobis illicitum ſit res ſpirituales & animæ ſalutem ſpectantes *per vos curare* & *intendere*; niſi *per nos hoc faciatis*: Vobis non convenit in Eccleſiaſticis *leges nobis præſcribere*, aut præſcriptas ab Eccleſiaſticis *abrogare*, *ſine conſenſu Eccleſiaſticorum*: lites & cenſuræ Eccleſiaſticæ non poſſunt *à vobis dijudicari*, nec *ad vos provocari*: immo quidquid in Eccleſiaſticis ſtatuuut & judicant Eccleſiaſtici, hoc vos debetis *cumulativa poteſtate approbare* & *exequi*, ac *vos veſtraque nobis ſubjicere*: ſi contra audeatis, eritis *monſtra*, *animalia amphibia*, *Eccleſiaſticopolitica*, eritis *Papæ*, hoc eſt, antichriſti *politici*, exleges, adverſarii Chriſti, homines peccati, filii perditionis; eritis *ſacrilegi*, *calcatores jurum Eccleſiæ* & *ſanguinis Chriſti*, facietis *vim ſponſæ Chriſti*, & ſimilia. Ego ſpicilegium tantum propono, plenam meſſem qui volet,

part. 1. p. 16.
2 Theſſ. 2.

adeat

adeat ipſos centones, & videbit non aliter eum ferocire, quam ſi mercenaria opera, Papæ vel Hiſpano obſtrictus, ſtuduiſſet in magiſtratus & Ordines illuſtres populum concitare: quia nemo tam ignarus eſt, qui non videat leges, quas ille thetice ponit, à magiſtratibus aperte in Synodis & aliis Eccleſiæ negotiis tranſſiliri, ac proin dignos eſſe in quos, tanquam ſacrilegos & nefarios, populus Chriſtianus irruat, & à clavo reipublicæ propellat: hæc per indirectum intendi à Walachris illis turbonibus qui non videt, luſcus eſt. Ego illius rei curam commendo magiſtratibus ut patriæ patribus, & pergam porro oſtendere, quibus privilegiis eos ornet Deus in ſcripturis, qua poteſtate in Eccleſiæ negotiis uſi ſint ſub veteri & novo Teſtamento, ac proin quæ eis adhuc hodie conveniat.

Illuſtre præ cæteris eſt elogium, quo Deus 1 *Magiſtratus dicuntur nutrices.* inſignit magiſtratus & reges, quod futuri eſſent *nutrices* & *nutritii Eccleſiæ*, quæ Prophetia bis repetitnr apud Eſaiam. Eſa. 49. 23. qua metaphora oſtenditur, Magiſtratus pios debere eſſe tanquam cuſtodes & ut nutrices, qui Eccleſiam Eſa. 60. 16. *nutriant & alant*: quod ſi magiſtratui ex officio convenit, quomodo debet eſſe *extra* Eccleſiam? quis enim dicet non abſurdum eſſe, ſi nutrix, quæ debet omnes infantes familiæ nutrire, extra familiam ponatur? haud aliter, ac ſi gubernator aut nauclerus navis ſtatuatur extra navim.

Grallator adverſus hunc titulum ſtomachosè

inſurgit, ac dicit cautè accipiendum eſſe, tandemque concludit, impoſſibile eſſe ut magiſtra-
part. 1.p. tus ubere lactis nutriat Chriſtianos, ſed hoc ſo-
29. 30. lis Eccleſiaſticis convenire: quod non multo minus eſt quam Prophetæ falſitatem exprobrare; qui dicit aperte, futurum eſſe, quod hic aſſeverat audacter fieri non poſſe per reges proprie ſed Eccleſiaſticos; ut potius debuiſſet prædixiſſe Propheta: Eccleſiaſtici erunt nutritii, quam Reges.

Fateor titulum hunc figuratum eſſe, nec extra intentum Prophetæ trahendum. Id quoque verum eſt, proprie ſumendo politicis non convenire, Eccleſiam, ut nutrices, nutrire. Sed ne hoc quoque ullis Eccleſiaſticis hodie proprie convenit: ſicut enim ante dixi, Patrem proprie neminem eſſe quam qui ſemen intra ſe habet & generat, non qui alienum ſpargit; ita præciſe accipiendo nemo nutrix eſt, quam quæ lac intra ſe generat, & ſic ſuo lacte ex uberibus infantem nutrit. qui honos nulli homini ſed ſoli Deo convenit.

Dei certe *Gratia* ſola propriè nutrix eſt; cujus duo ubera ſunt, vetus & novum teſtamentum, in quibus vere ſalutare lac omne continetur: ex quo ſugere debent non Eccleſiaſtici modo, ſed Politici & omnes Chriſtiani, vivificum & ſalutare lac. Ut jam apertum ſit, neminem, vel Politicum vel Eccleſiaſticum, eſſe proprie nutricem Eccleſiæ; niſi fingatur talis nutrix, quæ lac ex alienis uberibus ſuctum transferat ad ſua ubera, atque ibi quodammodo corruptum tandem per ſiphonem transferat in os in-

os infantis; quæ certe eſſet portentoſa nutricandi periodus. Ut jam ſive politico ſive Eccleſiaſtico nil amplius conveniat, quam lac ex gratiæ uberibus, utriuſque teſtamenti ſcriptis, ſuctum vel mulctum diſtribuere infantibus Dei, quod propriè nutrire non eſt; niſi nutrices eſſe dicantur Galatheæ & Virgines, quæ lac mulctum domatim vendunt, quo infantes nutriuntur.

Dicet, credo, Grallator, nil abſurdi in hoc eſſe, quod lac ex uberibus ſcripturæ ſuctum ad cerebrum ſuum quaſi in ubera transferat, atque inde Eccleſiæ communicans quodammodo nutricis officium faciat. Ego vero dico, illam impropriam eſſe nutricandi rationem; ſed quoties ſtudendo incumbit, ex ſcripturæ uberibus ſugendo vel mulgendo transferre lac ad Cerebrum ſuum, quaſi mulctram vel ſinum, qui cum fere livore & ignorantiæ ſordibus rancidus ſit, non aliud ab illo fieri, quam ut lac vitio mulctræ corruptum diſtribuat Chriſtianis: quod dico improprie eſſe nutrire. Ut jam propriè quæſtio ſit de jure diſtribuendi lac, quod continetur in uberibus ſcripturæ ſacræ. Papiſtæ veteres & novi, expulſo magiſtratu, conantur hoc jus ſibi ſolis vendicare: & veteres quidem audacius, ut pyratæ, omnes Chriſtianos ab uberibus ſcripturæ depulerunt, interdicentes ejus lectionem; qua arte ſoli ſibi ſervarunt jus diſtribuendi illud lac, faciuntque hoc tam parcè, ac tot traditionibus dilutum, ut multos infantes Dei fame enecent.

Novi papiſtæ cautius aliquando ſed turpius

agunt. Jubent omnibus Chriſtianis, ut lac ex ſcripturæ uberibus ſugant, eoque abundent; id quoque magiſtratibus imperant, ut eo affluant & aliis conferant & conferri curent. Attamen iidem clamitant, nemini, niſi Eccleſiaſtico, poſſibile aut licitum eſſe unam guttulam lactis nutritivi conferre: quia poteſtate conferendi lactis ſoli per vocationem gaudeant. Fatentur quidem Politicis & omnibus privatis licitum eſſe, hoc lac privatim conferre & diſtribuere: ſed quidquid agant, hoc credi volunt, nullam lactis verè nutritivi guttulam ab iis conferri. Hæc enim perpetua fraus Stapletoni eſt, verbum Dei non eſſe verum lac, niſi quatenus ab Eccleſia prædicatum: quod perinde eſt, ac ſi dicas, lac non eſſe nutritivum, proprie quatenus lac, ſed quatenus publicè diſtrahitur: ut non aliter hic agant, quam turpes monopolæ, qui fatentur quidem lac in ſe quomodocumque ex uberibus ſuctum vel privatim diſtributũ eſſe nutritivum, ſed nolunt pro eo haberi niſi à ſe ſolis emptum.

Scio antiquam cantilenam eſſe, hoc jus ſolis Eccleſiaſticis per *vocationem* collatum eſſe: ſed oſtendi ante aliquoties, nunc nullam vocationem eſſe, quæ divina ſit, ac proin quæ divina effecta edat, aut divinum jus conferat: ſed humani eſſe modi & juris, quæ ut olim cum divina erat, ſic quoque nunc tantum dependet à donis ad id munus requiſitis, quæ ſi in aliquo reperiantur, adſtringit quidem ad illam functionem ut mercenarium *vocatio* obeundam neceſſario; ſed non impedit alios qui illis donis quoque inſtructi ſunt, quin poſſint libere illo munere fungi: ut hinc

hinc appareat fraus & vis papiſtarum, imprimis novorum, qui fatentur, lac vivificum ſalutare in uberibus ſcripturæ eſſe, ex iis poſſe ſugi ac mulgeri ab omnibus, etiam politicis, & privatim diſtribui, ſed vel publicè nullo modo iis licere, vel ſi audeant, id tum nutritivum non fore: quæ mera ſunt ludibria. Utcumque hæc latius de nutricatione diſſerui; hoc tamen ſtatuo, Iſaiam geminata ac rara hac prophetia, de Politicis novi teſtamenti, rari aliquid prædixiſſe, cum dicit eos fore Eccleſiæ *nutritios*. Apollonius putat, nil aliud prædici, quam quod illi liberalibus ſtipendiis procuraturi eſſent, ut Eccleſiaſtici ſe bene ſaginarent, & ſic Eccleſiam bene nutrirent: ſed hoc nil novi aut rari erat. Deus ipſe Levitis bene providerat; & pii reges hoc jam diu liberaliter fecerant: videturque abſurdum, Regibus tribuere opus, cujus nullum apicem eſſent facturi, ſed ſoli Eccleſiaſtici.

Quare hoc videtur quadrare prædicto Prophetæ; Reges & magiſtratus novi teſtamenti, ſublata Levitica ſeparatione templaria, omnia Eccleſiaſtica negotia tractaturos eſſe per ſe, vel tam ſedulo ſe in iis occupaturos; ut ſi per ſe omnia non obirent, ſaltem in iis procurandis tam ſeduli eſſent, ut ipſis Eccleſiaſticis præirent, præeſſent, & præſcriberent; haud aliter ac ſi regina mater, quæ per nutrices & famulas infantem ſuum antea nutriri ac foveri permiſerat, ſtorges maternæ impetu inter nutricum ac famularum chorum dein adſideat, ubera ipſa præbeat, & ſinu af-

fectuoſiſſime fovens, omnes nutricandi partes exequatur: quod videmus multos inſignes Principes feciſſe, in novo teſtamento.

2 Dicuntur *Dii.* Pſal. 82. Illuſtre præ cæteris eſt elogium *Dei*, quo magiſtratus ornatur à Pſalte, quem titulum nuſquam comperimus Eccleſiaſticis dari in ſcripturis. Erat inſignis Aaron & futurus Pontifex digniſſimus: attamen non dixit Deus, *faciam te in Deum Moſis*, ſed contra, *faciam Moſem tibi in Deum.* unde videmus, jam ab antiquo hoc ſtatuiſſe Deum, non committere facilè ſupremam mundi & Eccleſiæ curam Eccleſiaſticis ſed politicis. Sciebat enim ſub illorum cura non bene perſtituram, uti vel ſtatim in Aarone apparuit, qui ſola Moſis quadraginta dierum abſentia, tam mollis & effeminati animi erat, ut ſtatim precibus & minis populi cedens totum cultum in idololatriam converteret. Hæc cauſa fuit, quod Chriſtus quoque ab Apoſtolis de imperio interrogatus, Politicis id conceſſit, ſed Eccle-

Math. 20. ſiaſticis præcisè denegarit: ut certe *Dei* inſigni titulo omnes Eccleſiaſtici Politicis ſubjiciantur; omnes vero Politici Eccleſiaſticis præficiantur: Hi enim homines vel angeli tantum dicuntur, illi *dii*. Quis non fatebitur, homines diis ſuppoſitos, Deos hominibus merito præpoſitos eſſe? non dubito quin tacite murmuret Apollonius, quod tam imprudenter hunc titulum Politicis dederit Propheta, cum ex theologiæ Walachræ principiis potius Eccleſiaſticis conveniat titulus *Dei* quam politicis. Politici enim, ut oves, paſtoribus Eccleſiaſticis ſubjecti ſunt. Politici tantum ſunt reges *ſoli & terræ*; at Eccleſiaſtici reges

poli

poli & cæli: politici ſunt legati *Dei creatoris*; Eccleſiaſtici contra legati *Chriſti mediatoris exaltati*: denique politici ſunt *carnales & biotici*, Eccleſiaſtici contra *Spirituales & ſancti*. Quis inde non videat, Deo propius accedere Eccleſiaſticos quam Politicos: ac proin *Dei* nomen juſtius iis convenire? ut non dubitandum ſit, quin temporis progreſſu correcturus ſit hoc magnificat Grallator: qualiter fecit ejus prædeceſſor Papa, qui non contentus Epiſcopi, paſtoris, aut προϊστῶτος titulis (quibus pro tempore gaudet ille Walachrus) ſumſit ſibi quoque *Dei* nomen, ut nunc vocetur *Dominus Deus noſter Papa*. Id ne inter reformatos quoque audeant inflatuli, providebit ſpero prudens magiſtratus, dum cogitabit ſe ſolum divino dono & jure poſſidere hunc titulum *Dei*, quem non poſſet ſive ſacrilego Eccleſiaſticis communicare: quo moneatur quoque nullius quam Dei imperio ſe ſubeſſe: & nil tam ſpirituale, tam ſanctum, & cæleſte nunc eſſe ſub ſuo diſtrictu, modo homo ſit, quin ſuæ poteſtati debeat eſſe ſubjectum. quod magis pateſcet ex inſigni loco Paulino, ubi non nomine Dei modo ornatur, ſed jure divinæ præeminentiæ donatur.

Illuſtre præ cæteris eſt encomium, quod magiſtratui tribuitur à Petro, & imprimis Paulo, ubi deſcribitur magna dignitas politicæ poteſtatis in terris, quam conſtituit in tribus. 3 *Legatus Dei.* 2 Pet. 2. 13 Rom. 13. 1.

1 Quod nulla ſit poteſtas ſupereminens gladio armata, quin ſit *Dei vicaria*, & habet *Deum ordinatorem*. Dicit enim, quotquot poteſtates enſigeræ ſunt, à Deo *ordinatas* eſſe, & qui eis reſiſtit

ſtit *Dei ordinationi reſiſtere*. Qualiſcumque ergo ſit & quocumque nomine vocetur poteſtas ſupereminens, gladium habens; Deum habet authorem: ut non concedat Apoſtolus alicui, inquirere, quis ſit, & qualis ſit, qui poteſtate ea utitur, nec quomodo eam adeptus ſit: ne quidem quomodo ea utatur; ſed abſolute præcipit, ei parere, ſive *ſupereminenti*, inquit Petrus, ſive Præſidibus. Notum certè erat Apoſtolis, quod imperatores tunc per vim & fraudes occupabant imperium & quod ea poteſtate tyrannicè utebantur in Chriſtianos, ut ſi quam exceptionem paſſa eſſet hæc generalis regula, eam vel verbo indicaſſet. Sed abſolutè legem ſtatuunt uterque Apoſtolus, quicumque gladium poſſidet, eum à Deo ordinatum eſſe, nec poſſe de ejus poteſtate dubitari. Hoc bene intellexit Jacob & Iſaac, patriarchę, cum ſub ditionem regis Abimelech venirent; *Fortaſſe non eſt timor Dei in hoc loco.* Dubitabant de pietate & juſtitia Regis, ſed tamen ad parendum ſe parabant, uſque ad mortem; *occident me tui cauſa* (dicebant) *dic te ſororem meam eſſe.* Ita Pompeius, cum ex navi ſua tranſiret in ſcapham regis Ægypti, in qua proditorie occidebatur, recitabat hos verſus:

Equidem Tyranni quiſquis intrat in domum,
Fit ſervus ejus, liber etſi venerit.

Hoc primum ergo ſtatum ſit; ubicumque poteſtas ſupereminens eſt gladium habens; nemini licitum eſſe inquirere, quomodo eam adeptus ſit, quæ ſit ejus forma, qua ratione utatur ea: ſaltem non nimis curioſe, & cum intento reſiſtendi. Utcumque enim vitia illius regiminis à Deo

non

non ſint, ſed ei diſpliceant; ordo tamen ipſe politicus à Deo ſemper eſt; ut qui quovis modo, privato impetu reſiſtat, Deo ipſi reſiſtat, & judicium in ſe accerſat.

Alterum eſt, quod *omnem animam ſubjecit Politicæ poteſtati.* Origenes per *omnem animam* intellexit animalem hominem: ſed nugator eſt. Paulus intelligit *omnem hominem:* quod vulgare eſt in ſcripturis; nullus enim homo eſt quin animam habeat. Dixit autem *omnis anima* potius Apoſtolus quam corpus; quia ratione corporis homines multum differunt, ratione animæ omnes ſunt uniformes, unde Chryſoſtomus in hunc locum: Act. 3. & 27.

Etiamſi Apoſtolus, etiamſi Propheta, etiamſi Euangeliſta fueris; pietatem non ſubvertit iſta ſubjectio. Unde apparet, neminem quocumvis prætextu, qui ſub ditione alicujus eſt, poſſe ſe eximere imperio magiſtratus politici; ſive Eccleſiaſticus ſive politicus, ſive dives, ſive pauper; ſive doctus ſive indoctus ſit; nulla conditio eum obſequio eximit. Inſignes erant Patriarchæ, &, ut poſt apparuit, præſtantiores ipſo rege Abimelecho; ſed tamen humiliter uſque ad mortem fatebantur ſe ſubjectos eſſe, cum ſub deſtrictu ejus erant. Digniſſimus erat Chriſtus; attamen Cæſari & Pilato, impiis magiſtratibus ſe ſubjecit. ut indignum ſit, ſi prætextu ſanctitatis aut religionis, aut alicujus prærogativæ, ſe quis poteſtati politicæ eximat. Pugnat enim hoc cum generali axiomate Pauli, *omnem animam* ſubjectam eſſe debere, nulla ſcilicet excepta.

Tertium eſt, quod præcipiat ὑποταγὴν, ſubjectionem

nem *omnibus* : & obedientiam præſtare Politicis; ſicut eis nolit reſiſti; non *ob pœnam* modo, ſed *ob conſcientiam*: quia is, qui magiſtratui reſiſtit refragatur *ordinationi Dei* & *judicium contra ſe ſumit*. quod facere repugnat bonæ conſcientiæ. Hæc omnia emphatica ſunt, & indicant, quam abſoluta ſit poteſtas politica in omnes & in omnibus: quia abſolute præcipit, omnes, nemine excepto, ſubjici: ipſam quoque *ſubjectionem* abſolutè præcipit ſine ulla reſtrictione. Quare ſi fuiſſent tam multi caſus, in quibus ſubjectio magiſtratibus non fuiſſet deferenda, puta in rebus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus (ut hodie papiſtæ garriunt) imprudenter feciſſent Apoſtoli, quod Chriſtianis præcepiſſent tam abſolutam obedientiam magiſtratui. Poterant enim ſcire (ſi novam hanc theologiam noverant) quod Paſtores Eccleſiaſtici, ut Chriſti legati, præſertim in Eccleſiaſticis formalibus, magiſtratui nullo modo, ſed Chriſto immediate ſubſint. Sed Paulus has cautelas & exceptiones non addit: unde colligo, eum eas ignoraſſe, & fictas eſſe.

Dicet aliquis: an ergo Magiſtratui abſolute obediendum eſt omnibus, & in omnibus? quid ſi male præcipiat? Chriſtum non prædicare, vel, male agere, annon tunc cum Apoſtolis dicen-
Act. 5. dum: *Deo magis obediendum eſt, quam hominibus*? ergo magiſtratui abſolute non eſt obediendum in omnibus. unde quoque ſequitur, legem illam Pauli de obedientia magiſtratui præſtanda non eſſe tam generalem. Hunc ſcrupulum ut tollam, hæc ſequentia notari velim.

Obedientia aliqua eſt *maxime abſoluta*, quæ nullas

nullas conditiones aut exceptiones admittit, qualis debetur Deo in omnibus, cujus voluntas ſemper eſt juſta, & proin juſtitiæ regula: quia impoſſibile eſt, ut non juſtum ſit, quod Deus ipſa juſtitia præcipit: Deo ergo ſemper parendum eſt abſolutè, quia præcipit.

Eadem quoque poteſtas fuit eminenter in Chriſto theanthropo: unde dicitur docuiſſe, ut *poteſtatem habens*, non ut ſcribæ. Etſi enim paſſus eſt ſua præcepta examinari ob ignorantiam hominum, tamen abſolute illi obediendum fuit, ut ex cælo dictum erat, *audite eum.* non modo quia recta, & juſta ſemper præcipiebat, ſed quia præcipiebat abſolute.

Similis quoque obedientia debebatur Prophetis & Apoſtolis theopneuſtis ſed miniſterialis. Etſi enim ipſi Deus non erant, tamen quia Spiritum Dei habebant infallibilem, cujus inſtinctu errare non poterant, hinc factum eſt, ut abſoluta illis quoq; obedientia deferretur: adeo ut ſi talis hodie eſſet in mundo, obedientia abſoluta ei deberetur ab omnibus & in omnibus. Sed talis nunc diu nullus fuit; licet papa id de ſe falſo jactet, ut Antichriſtus.

Ad magiſtratum quod attinet, illi quoque *abſolute obediendum* eſt, in omnibus, quæ cum legibus Dei conveniunt, vel iis non repugnant, ut ſunt res adiaphoræ. Dicet aliquis, in his quoque obediendum eſſe prædicatoribus & omnibus, qui illa proponunt. ergo paris ſunt authoritatis cum magiſtratu. Reſpondeo, multum intereſſe: quia illis paretur tantum, quia rectum præcipiunt; magiſtratui vero, & quia rectum

eſt quod præcipiunt, & quia præcipiunt. Dedit enim Deus poteſtatem eis coactivam, & gladium, quo authoritativè præcipiunt, & poſſunt jure officii cogere omnes ſubditos, nullo excepto, ut juſta ſua præcepta impleant: quæ poteſtas architectonica illis ſolis divinitus competit, & hic ab Apoſtolo inſinuatur.

Deinde quoad mala & injuſta præcepta, quæ legi Dei aperte repugnant; etſi ſubditus non teneatur facere, tamen tenetur ex hac lege Paulina ei ſubjectus eſſe; quod efficiet, vel conſilio ac precibus dimovendo Principem à malo propoſito, vel fugiendo, vel, ſi id non poſſit, pænas
Dan. 5. ferendo. Ita fecerunt Apoſtoli, & imprimis egregii illi juvenes; qui videntes impium præceptum regis, conati ſunt regem rationibus inflectere; cum id non poſſent nec eſſet fugæ locus, dimiſſi ſunt in caminum. Hic apparet ſupereminens politica poteſtas, quod non in bonis modo, ſed malis poteſtative præcipiant. Etſi enim mala præcipiendo aberrant in objecto; cujus pænas Deo dabunt, in hoc tamen non errant, quod poteſtate abſoluta utuntur, cujus jure divinitus donati ſunt.

Hinc nunc apparet magnum diſcrimen, quod eſt inter poteſtatem Politicam & Eccleſiaſticam, quas papiſtæ ſemper conantur confundere.

1 Primo, quod poteſtas omnis politica, ſive magna ſive parva, ſive nova ſive vetus, qualiſcumque ſit, qualicunque nomine vocetur, modo gladium gerat, divina ſit, Deum authorem habens: alioquin verum non eſſet dictum Pauli, *quotquot Poteſtates ſunt, à Deo ſunt ordinatæ.*

In

In Eccleſiaſticis vero porfana ſunt munia,quæ Deo authore non ſunt inſtituta vel ſcripturæ convenienti ratione: ut ſunt archidiaconi, Archiepiſcopi, Metropolitani , .abbates , canonici, Cardinales, & ſimilia ſuperba nomina muniorum non ſunt agnoſcenda ſed repudianda.

2 Secundo in poteſtate politica nil refert, quomodo aliquis poteſtatem gladii adeptus ſit, an legittime, an fraude, vel vi, ut ſæpiſſime fit. Fateor juſtius eſſe, & meliori conſcientia imperare, qui legittimè imperium adeptus ſit: ſed quoad poteſtatem nil refert; nec convenit ſubdito de hoc ſollicite nimis inquirere,ſed debet parere & Dei ordinationem agnoſcere ubicumque videt gladii vim eſſe. Quomodo enim verè diceret Paulus? *quotquot poteſtates ſunt, à Deo ſunt ordinatæ; & qui eis reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

In Eccleſiaſticis contra fit. Si aliquis per poſticum ingreditur, per ſimoniam, fraudes, eum dicit Chriſtus eſſe furem, & pro latrone eſſe habendum ac fugiendum, neutiquam obediendum ac pro paſtore agnoſcendum.

3 Tertio:ſi bona,aut adiaphora pręcipiat cum nimis magno rigore,vel ſi injuſta quoque præcipiat, quæ conſcientiam non tangunt, non licet ſubdito illi dicere, non ſunt neceſſaria, ſed contra injuſta quæ præcipis;ergo nolumus & non tenemur parere:ſed contra parendum eſt ſubditis, & ſi non pareant,habet gladium, poteſt jure divino illos cogere.

At in Eccleſiaſticis contra tota poteſtas eſt conditionalis, ſi recte doceant, juſte mandent, & ex Chriſti præſcripto præcipiant, tunc obe-

diendum eſt illis propter Chriſtum, ſed ſi contra errent, & male præcipiant, non parendum ſed contra reſiſtendum eſt illis. expellendi ſunt & relinquendi: hoc ſcriptura paſſim docet.

1 Cor. 4. In miniſtris requiritur *ut fideles reperiantur:* non *credite cuivis ſpiritui, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint*: ſic Chriſtus jubet ſcribas audire dum in cathedra ſederent & bona præciperent, attamen jubet quoque *à fermento illorum cavere*. & ſi prorſus aberrarent, vult relinqui ut *cæcos duces cæcorum, ne in foveam incidamus*. quæ omnia oſtendunt, parendi neceſſitatem non eſſe abſolutam, ſed tantum conditionatam in Eccleſiaſticis: unde Deus non dedit eis ullam poteſtatem coactivam, ad abſolute cogendos Chriſtianos, ſed cuique Chriſtiano licet doctrinam & mandata præpoſitorum examinare, & ſi comperiat verbo Dei repugnare, poteſt illis contradicere, reſiſtere, immo ſi poteſtatem habet ut Politici, eos expellere, vel ſi non habet ab iis decedere. Ita primi reformatores fecerunt contra papatum, & quotidie facit magiſtratus expellendo papiſtas.

Credo hanc ſententiam paradoxam fore Walachris novatoribus: ſed mihi ſufficit, quod oſtenderim eam ſcripturis ſacris convenire, ac ne videar ſolus vidiſſe, Calvinum adducam, cujus ſuffragio inter orthodoxos facile acquieſcam.

Comm. in Act. c. 23. 5. Exſtat locus commentar. in Cap. 23. Act. verſ. 5. ubi de objurgatione & quaſi convitio differit, quo Paulus perſtrinxit impium pontificem Ananiam: quod factum quaſi corrigens Paulus, dicit, neſciebam fratres, quod hic pontifex eſſet, Ex. 22. 28 & addit locum Moſis, *principi populi tui non maledices*.

dices. ſtatuit autem cum Auguſtino Ironicam fuiſſe correctionem Pauli : tandem ſic ſcribit. *Sed hic naſcitur quæſtio, annon parendum ſit Principi quamvis tyrannidem exerceat? nam ſi honore privandus non eſt qui male officio fungitur, peccavit Paulus pontificem honore ſpolians : Reſpondeo, inter civiles magiſtratus & Eccleſiæ præſules eſſe aliquid diſcriminis : quamvis enim terreni & civilis imperii confuſa ſit perverſaque adminiſtratio, dominus tamen ſubjectionem vult ſalvam manere : ſed ubi ſpirituale regimen degenerat, ſolvuntur piorum conſcientiæ, ne injuſtæ dominationi pareant : præſertim ſi impii & profani ſanctitatis hoſtes ſacerdotii titulum falsò ad evertendam ſalutis doctrinam prætexunt, ſibique dominationem arrogant, qua Deus ipſe in ordinem cogatur. ſic hodie Papæ jugum excutere non modo licet fidelibus, ſed etiam neceſſe eſt, quando aliter parere non poſſunt ejus legibus, quam ſi à Deo deficiant.* Hæc ille

Unde jam apparet, quantus perturbator ordinis divini ſit Papa. Is non agnoſcit pro legitimis principibus, qui vel hereditate vel electione gladium habent, niſi donis datis à ſe inaugurationem accipiant; & ſi dein non parent excommunicat, ſubditos à juramento abſolvit; præcipit eis ut eum expellant; & ſi poteſt veneno eum tollit: ut ex ſupereminenti & architectonica ſæculari poteſtate fecerit merum Eccleſiaſticorum mancipium; quem adſuefecit non modo, inſtar carnificis, gladiũ ſtringere ad nutum ſuum, ſed quoque ſupplicem venire, & pedes oſculari.

Et ſe contra, & Eccleſiaſticos fecit architectones. Primò enim omnes Clericos exemit poteſtati politicæ, quæ innumeræ animæ ſunt.

Deinde, ut Pauli loco ſatisfaceret, etſi Eccleſiaſticus ſit, ſumſit ſit ſibi gladium, immo duos geſtat, ut jam ſit merito habendus pro poteſtate eminenti gladio armata: & Chriſtus non videatur dixiſſe, *reges dominantur*, *vos* Eccleſiaſtici *non ſic*: ſed contra Eccleſiaſtici dominantur, vos Reges non ſic. Hæc myſteria ſunt veteris Antichriſti:

Novus Papiſta Walachrus eadem fabula vehementer delectatur, & per indirectum conatur renovare.

Primo enim Politicis conatur præſcribere, quænam munia politica debeant inſtituere, & quibus ea conferre; id niſi fiat ex ejus nutu, publice privatimque culpando populum in magiſtratus concitat.

Deinde, toto hoc opere tuetur, Eccleſiaſticos in Eccleſiæ choragio & formalibus non ſubjectos eſſe magiſtratui: ſed immediatè ſub Chriſto eſſe; ſic ut Eccleſiaſtici habeant abſolutum jus *vocandi*, *leges ſtatuendi*, *pœnas Eccleſiaſticas exequendi*: in quibvs quidem magiſtratus poſſit eos cumulative juvare, ſed neutiquam impedire; aut per ſe quicquam agere, ne quidem de iis inquirere cum intento aliquid impediendi, mutandi, vel per ſe agendi, niſi velit eſſe ſacrilegus: unde apparet, eminentem illam gladii vim, politicis à Paulo datam, valde curtam eſſe, quæ imperium amiſit in tot Eccleſiaſticos, quamdiu verſantur in Eccleſiaſticis: tunc enim politici ut oves magis ſubjecti ſunt Eccleſiaſticis Paſtoribus. Dicet forte Grallator, ſubjectos eſſe ſe, tamen ob politicas circumſtantias Choragii, quibus non poteſt choragium carere

carere: ſed facilis reſponſio eſt: valde depauperatam & levem nunc poteſtatem Gladii in Eccleſiaſticis eſſe; quia tantum conſiſtat in circumſtantiolis; cum contra Eccleſiaſtica poteſtas ſubſtantialis ſit in Eccleſiaſticis: & quia nulla res tam politica eſt, quin quodammodo pertineat ad forum Eccleſiaſticum: ſi ubique ſubſtantialia ſunt Eccleſiaſtica; quis non videt, multo nunc eminentiorem eſſe poteſtatem Eccleſiaſticam politica? quia illa ſubſtantias tractet; hæc ut purum accidens, accidentia & circumſtantiolas ubique venetur: ut mirandum ſit, quid Paulo in mentem venerit, ſi hæc myſteria ſciebat, quod architectonicam poteſtatem non Eccleſiaſticis potius quam Politicis tribuerit. Non didicit hæc Walachrus in ſchola Apoſtolorum, ſed Papæ: cui ſi operam locavit, novo hoc papatu turbandi noſtram patriam: eſt quod præmium dein à diti domino exſpectet. Inſignis quoque locus Pauli ad Timotheum pro poteſtate politica in Eccleſiaſticis: ſed quia alibi late de eo egi, decedam nunc ab encomiis, & examinabo praxin: quid nimirum magiſtratus Pii in negotiis Eccleſiaſticis fecerint in veteri & novo teſtamento. Inveniemus autē nil eſſe nunc inter formaliter Eccleſiaſtica & ſpecialiſſimi juris ſacra Walachrorum, quin ea Politici pii procurarint & per ſe immediatè fecerint. 2 Tim. 2.

Sanctiſſimum totius choragii eſt *lectio ſcripturæ ſacræ*: quia tunc itur in ſanctum ſanctorum, & conſulitur urim & thummim. Sed quia conſcius eſt Grallator, ſe ſcripturam ſordidè ubique tractare, & ut Jeſuitæ ſolent, pro naſo *cereo &* *Lectio ſcripturæ.*

 Lesbia

Lesbia regula habere (delectatur enim magis lectione Spalatenſis, Bellarmini, Thomæ, Cajetani, & aliorum nugonum) hinc non multum ſpecialis juris ponit in hoc negotio, ſed mechanicis adjudicat; & crederet, decoro & authoritativæ ſuæ poteſtati obfore, ſi in lectoris loco ſtans ſcripturam prælegeret Eccleſiæ.

Vocatio. Majoris illi pretii eſt *vocatio*, quæ illi eſt ſanctitas ſanctitatum & ſcaturigo omnis ſpecialis juris: quamobrem cautiſſimè hic agi vult, & apprime caveri, ne fons hic ſanctitatis contactu bioticorum Politicorum conſpurcetur. Quia tamen videbat, ſe invito Politicis conceſſu piorum theologorum jam diu convenire jus eligendi & approbandi miniſtros, in quo forma *vocationis* proprie conſiſtat: ne videretur hoc latibulo fictæ ſuæ ſanctitatis excuſſus, contraxit tam arctè formam *vocationis*, ut eam tantum & propriè ponat in *confirmatione*, hoc eſt, *manuum impoſitione*, quod à papiſtis veteribus didicit (ut alibi monui:) quia enim hactenus uſus obtinet, ut prædicatoribus ſolis malo more concedatur, quod manus imponant, hoc eſt, characterem vocationis & ſpecialis ſanctitatis imprimant, putat jam bene conſultum eſſe ſuæ ſuperlativæ ſanctitati; quia ſolis concionatoribus conveniat eum characterem manus impoſitione imprimere; nullis autem imprimant niſi concionatoribus: hinc perſuadet, ſpecialis juris, hoc eſt, ſuperlativæ ſpiritualitatis ſanctitatem in ſolis concionatoribus eſſe, & manere debere: Concedit quidem alibi, agens de jure decidendi in Synodis, vocationis ſpeciem habere, quod quis privatus

vatus tacito conſenſu Synodi aut Eccleſiæ ad ſuffragia admittitur, ſed illæ ſunt ſpuriæ tantum vocationes: ſola ſacroſancta eſt quæ concionatorem aliquem facit per confirmationem& manuum impoſitionem. hic ergo quid licuerit piis magiſtratibus in v. Teſtam. videamus.

Inſignis certe præ cæteris fit Confirmatio & Inauguratio Aaronis in Pontificem: ſed Moſes, qui Politicus erat, eam juſſu Dei fecit. Aaronem enim veſtibus induit & unguento perfudit:cumque vellet eum mori in monte Deus, veſtes illi extraxit, & Eleazaro filio rurſus induit. Scio quod hic excipiet, Moſem fuiſſe Prophetam, fuiſſe extraordinarium: ſed hæc nil obſtant, quin Deus per politicum hoc inſigne confirmationis Eccleſiaſticæ opus perfecerit: Unde concludi poteſt, nunquam Deo in mentem veniſſe, quod pro ordinario & ſacroſancto eſſe vellet, vocationes Eccleſiaſticas & conſecrationes tantum debere fieri per Eccleſiaſticos. Perinde enim feciſſet Deus, ac ſi legem caſtitatis & conjugii inſtituere volens initium feciſſet ipſe ab adulterio aut ſcortatione. Erant certe multi inſignes Levitæ & ſacerdotes, per quos potuiſſet hoc opus perficere, ſi tanta ſanctitas in hoc fuiſſet.

Tale eſt quod de Davide narratur; cum ordines viceſque præſcripſit Sacerdotibus, in ſacris faciendis. Erat quidem omnibus commune ſacra facere: ſed hoc modo vel die facere, ſpecialis erat juris vel oueris; quod licet Eccleſiaſticum vere erat negotium, circa Eccleſiaſticos, David tamen rex Politicus fecit nec ſacerdotibus conceſſit. 1 Paral. 16. & 22

1 Reg. 2. 27. 35. Illuſtrior eſt actus Solomonis, cum Abiatharum ſacerdotio detruſit, Sadocum in locum ejus ſuffecit pro authoritate. Hic ſentiens ſibi aquam hærere Grallator, diſtinctiuncularum effugia quærit:

part. 1. p. 84. Dicit Solomonem non depoſuiſſe de ſacerdotio Abiatharum, proprie: ex illius enim theologia fuiſſet ſacrilegus: ſed quid? miſiſſe illum in exilium tantum; quam politicam pænam politicus ſolam poterat infligere; ex qua dein ceſſatio à ſacerdotio conſequuta ſit caſu.

Quin jam certe dignus ſit Apollonius, qui latronum & furum fiat patronus! ſi quis hominem occidiſſe accuſetur, philoſophia Walachra negabit factum: ſed quid? gladium impreſſiſſe thoraci, & cutem primo dein muſculos perforaſſe; ac tandem venas majores aperuiſſe, & inde caſu vitam cum ſanguine fugiſſe. Vel ſi raptarum pecuniarum accuſetur fur; negabit audacter: dicet ſe crumenam tantum abſtuliſſe primario, pecuniam nec vidiſſe nec tetigiſſe, peram dediſſe alteri ſecundario, tandem tertio conſequenti aperta crumena pecuniam ablatam: non infacetam operem navet qui ex centonibus Walachris jocoſeria diſputatoria texuerit. Credo non tam inſenſilem fore Apollonium, ſi in exilium mittatur à magiſtratu, ne populum amplius tumultuando in ſeditionem concitet; quin credat, ſe illa pæna à Concionatoria Mittelburgenſi ſanctitate detruſum eſſe. Si non haberet animam pro ſale, aut propoſitum illi fuiſſet ſcripturis ipſis illudere; vidiſſet facile ex ipſo textu ſuum delirium. Locus enim indicat, pænam

nam, quam Solomon volebat Abiatharo infligere, non fuiſſe proprie exilium: hoc enim potius beneficii loco illi contulit. Dicebat enim, tu *homo mortis es, ſed nolo te occidere*. hac pæna dignus erat, quam remittens beneficii loco conceſſit ei exilium. Quid ergo proprie ſupplicium fuit, quo Abiatharum affecit? hoc quod eum depoſuit ſacerdotio: dicit enim expreſſis verbis Spiritus S. *ita ejecit Salomo Abiatharem ne eſſet ſacerdos Iehovæ*. verſ. 27. quibus aperte declaratur, Solomonem intendiſſe & feciſſe, quod ille tenebrio aſſerit, nec feciſſe, nec potuiſſe. Adde, quod hiſtoria adjiciat, Solomonem quoque Sadocum feciſſe Pontificem, & quia hæc omnia fecit ſacerdotio ſtante, per ſe, inconſultis ſacerdotibus, certe multoties in hoc facto ſacrilegus fuit Solomon, aut impoſtor eſt in ſua theologia Grallator.

Specialis juris ſanctitas collocatur in *precatione* & *predicatione publica*, & quia ſanctitas authoritativa jacet in circumſtantia, *quod publice fiant*. *publica precatio & prædicatio.* Optandum ſit, ut ex intimæ ſuæ theologiæ arcanis declaret Apollonius, quid proprie ſit publice precari? an tantum in templo ac ſuggeſtu? annon quoque in menſa? nave? platea? foro? tabulato? ut faciebat Paulus. hæc ſi ad apicem extricet, dicam tamen, pios principes publicè precatos eſſe & prædicaſſe.

Moſes publicè prædicavit, & precatus eſt in monte, cujus manus ſuſtinebant Aaron & Hur. Ex. 17.

Solomon in conſecratione templi publice prædicavit & precatus eſt, populoque benedixit præſentibus Levitis & ſacerdotibus. 1 Reg. 8.

2 Paral. 17. 9. Joſophat miſit proceres cum libro legis ad prædicandum per urbes.

2 par. 34. 31. Joſias ſtans in templo, legit & prædicavit Populo.

In reſtauratione cultus ſub Nehemia, non Hezra modo & Levitæ, ſed Joſua & proceres legebant & publicè loquebantur ad populum. ut hic nulla veſtigia ſint ſpecialis ſanctitatis in prædicando politiçis interdictæ.

Sacramenta. Sacramenta adminiſtrandi jus initiale fuit omnibus patribus familiæ commune & promiſcuum: cumque jam diu intermiſſa eſſent in deſerto, reſtaurandi jus datum eſt à Deo Joſuæ politico, uti & poſt Joſiæ regi.

Joſ. 5. 2 Paral. 35.

Nomothetica. Leges ſtatuendi jus de adiaphoris circa religionis res David & alii reges in ſe ſumſerunt, etiamſi Levitæ eſſent præſto.

Lites quoque dirimere non penes Eccleſiaſticos ſolos, ſed quoque politicos erat. Id patet ex primo inſtituto Moſis, ubi apertè ſacerdoti ſummo adjungitur judex politicus in judicando.

Deut. 17

Joſaphat omnibus urbibus dedit judices litium politicos, non facta mentione Levitarum: Hieroſolymis conſtituit principale tribunal quod fuit Eccleſiaſticopoliticnm. Concludit Grallator diſpartitum fuiſſe tribunal Eccleſiaſticum ſub Amaria Pontifice primario in negotiis Jehovæ, à Politico, ſub Sebadia anteceſſore in negotio regio: ſed ea collectio non eſt certa: ſtatim enim Sebadiæ ſubjunguntur Levitæ. ut nil aperte obſtet, quin fuerit Synedrium Eccleſiaſticopoliticum, in quo Eccleſiaſticas quæſtiones primario tractaret Pontifex, politicas Sebadia: ſic

2 Paral. 19.

tamen

tamen ut utriuſque conſenſu ſententiæ dicerentur, ut nuſquam ſecluſos fuiſſe Politicos conſtet ab Eccleſiaſticis litibus, ſed ubique incluſos.

Puniendi jus ordinarium fuit penes politicos, etiam de Eccleſiaſticis delictis.

Peccaverat Aaron & populus idololatria, Moſes princeps jubet Levitas occidere ter mille. Sacra rapuerat Achan; punivit eum Ioſua; Iehu Baalitas. Solomon Abiatharum ſacerdotio dejecit, & ſic ſæpe Eccleſiaſticos punierunt politici de Eccleſiaſticis delictis; vel etiam eos defenderunt, contra Eccleſiaſticorum injuſta decreta.

Memorabilis eſt actus Ieremiæ, qui ob prædicationem accuſatus à ſacerdotibus, defenſus eſt à proceribus: & quamquam conarentur ſeditioſe eum occidere Eccleſiaſtici contra jus, Achicam tamen Princeps obſtitit & eripuit prophetam injuſto juditio impiorum Eccleſiaſticorum: qui tamen ob id laudatur, & poſt captivitatem relictus eſt pro ſummo præfecto inter reliquias Iſraelitarum. *Jerem. 26*

Ex quibus patet, nunc nil eſſe in toto Eccleſiæ choragio, quod pro ſancto ſpecialis juris & non tangendo à Politicis fuit ſub veteri teſtamento, à cujus præciſitate tamen mutuatur ſuorum ſanctorum ſeparatum jus Grallator; perinde ac ſi omnia eſſent ſacerdotalia munia, & actus introeundi ſanctum ſanctorum: quod ipſis veteribus Levitis fuiſſet ridiculum.

Reſtat ut de novo Teſtamento videamus, quid ibi fecerint Magiſtratus.

Novo Teſtamento quid magiſtratui licuerit

Hic, ſi alibi, triumphum canit ille Walachrus, & putat nil magiſtratui licuiſſe, quia ſtatuit ſub Apoſto-

Apoſtolis nullos fuiſſe: unde concludit, Magiſtratum *accidens eſſe Eccleſiæ ſeparabile*, & non entis nulla eſſe accidentia, aut jus, & operationes.

Ego ante reſpondi, tantum abeſſe, ut magiſtratu, hoc eſt, poteſtate architectonica tunc caruerit Eccleſia, ut contra penes Chriſtum & ipſos Apoſtolos tunc reſederit, qui quidem non uſi ſunt ea terrena pompa, ſed tamen verbo miraculoſe fecerunt, quod politici gladio. negare autem hanc poteſtatem corporalem & in corpora fuiſſe architectonicam, quia ab Eccleſiaſticis perſonis miraculoſe, non ordinario modo, uſurpata ſit; perinde eſt, ac ſi dicam, occidere, quod Phineas ſacerdos fecit, non fuiſſe occidere; quia is ſacerdos extra ordinem id fecerit. Non credo Grallatorem id ignoraſſe; ſed hoc indignatur, quod poteſtas illa tunc fuerit intrà Eccleſiam, & penes Eccleſiæ præpoſitos; nunc vero ſit extra Eccleſiam, apud Politicos: mallet eam intra Eccleſiam manere: hoc enim totum eſt quod intendit, ut damnum & dedecus cuivis creet per directum aut indirectum. Sed ſi velit ſibi jus architectonicum, quod Apoſtolis fuit, ut veris Chriſti legatis, manere, debebat ſpecimine certo oſtendere, quod eadem dona cum Apoſtolis habeat. quibus cum deſtitui eum certum ſit, perinde facit ac ſi de Cræſi divitiis loquatur & glorietur, & Iro pauperior vix obelum habeat unde reſtim emat. Unde nil promptius illi eſt, quam ſuum prædeceſſorem Papam imitari. Is politicos Eccleſia exturbavit, & erepto eis gladio ſibi ſumſit & politicum & Eccleſiaſticum gladium. Si hoc chaſmate

abripiat

abripiat Politicos, præſertim catos (quantum audio) Mittelburgenſes, ut ſuis commentis inducti dimittant clavum Eccleſiæ politicum, & illi Eccleſiaſtico concedant, erit nobis hic magnus Apollo, & mundi miraculum. Hæc nunc non ſine ratione puto me dixiſſe; ſed ſecundo reſpondeo; falſiſſimum eſſe, quod ſub Apoſtolis Politici non fuerint qui politica poteſtate Eccleſiam, vel extra vel intra, defenderint & rexerint. Hoc ille veſpertilio ſomniavit indubitatum eſſe: quia Neronem & alios ſupremos architectones extra Eccleſiam & ejus hoſtes tunc fuiſſe conſtat. Quid tum? Annon potuerunt eſſe minoris ordinis architectones, qui Eccleſiæ faverint? Perinde hallucinatur, ac ſi perſuadeat, initia noſtræ reipublicæ confæderatæ nullos legittimos principes habuiſſe, quia Hiſpanum Regem cum ſanguinario ejus concilio habuerunt adverſarios: Minores enim Architectones, qui erant nobilitas cum Urbibus, hoc eſt, ordines, juſta quoque poteſtate præditi, ſub auſpicio illuſtrimi Principis Aurantii rem legittime aggreſſi ſunt. Sic tunc in Eccleſia fuerunt minores Politici: quales erant Cornelius centurio, Commentarienſis, Sergius Paulus proconſul, Eraſtus quæſtor Corinthius, Narciſſus cubicularius Neronis, quos notavit Spiritus ſanctus, & poculdubio multi quos non notavit: annon credimus, eos cum prudentia poteſtatem ſuam, uti & bona, adhibuiſſe ad tutandam Eccleſiam Chriſti? ſi hoc non feciſſent, contra mandatum Pauli, ut membra Eccleſiæ, non contuliſſent ſua dona in commune corporis Eccleſiæ commodum. Illos Rom. 12.

autem

autem omnes ponere extra Eccleſiam, eſſet
Act. 6. ſolem ponere extra orbem univerſi. Certe tam
Act. 15. populare fuit Eccleſiæ regimen ſub Apoſtolis (uti alibi oſtendi) ut etiam Celeberrimis actibus vocandi, leges faciendi, totum corpus Eccleſiæ promiſcue interfuerint. unde præpoſterus nugator eſt ille Walachrus, quod Politicos tunc putet ab Eccleſiæ negotiis fuiſſe extruſos, niſi dicat iis tanquam viliſſimis membris non licuiſſe, quod mulieribus tum licuit; aut debuiſſe eos deponere jus ſuum architectonicum, quam diu in Eccleſia comparerent: quæ omnia commenta conveniunt cum Papæ inſtituto, qui Cæſares adſuefecit, cum ad ſe venirent tanquam Eccleſiæ caput, abjicere ſuas coronas, deponere gladium, & humi procumbere ac pedem ſuum oſculari: quæ comædia proculdubio jucundiſſima eſt novo iſti Papiſtæ Walachro; ſed hoc dolet quod adhuc ——— *longum maris æquor arandum eſt* illi priuſquam in illum portum perveniet. Ego dico, illas omnes chymeras Apoſtolis fuiſſe incognitas, ſed conceſſiſſe Politicis, ut Politicis, ſacris muniis intereſſe & de iis deliberare; ac proin politicos tūc magiſtratus fuiſſe in Eccleſia.

3. Tertio hoc addo, inter Eccleſiæ munia tunc fuiſſe tales, qui etſi non erant prædicatores & προεστῶτες Eccleſiæ, obtinebant tamen regimen in Eccleſia. Dicit enim Paulus, inter Eccleſiæ mu-
1 Cor. 12 28. nia fuiſſe κυβερνήσεις, id eſt, gubernationes & re-
Rom. 12. gimina, qua ratione apoſtolus idem quoque inter rectores Eccleſiæ cenſet προϊσταμένους, præfectos, quæ munia quia ſeparata erant à gubernatione Apoſtolorum generali, non dubium eſt quin

quin conſtiterint in ſpeciali poteſtate Cenſurandi & compeſcendi Chriſtianos contra ataxias, atque etiam defendendi Eccleſiam: quos propterea putat Aretius laicos quoque fuiſſe, qui moribus præerant & fungebantur officio magiſtratus. Sic loquitur Calvinus, fuiſſe viros graves, qui moribus præerant, quo *recidit civilis poteſtas,* lib. 4.
ut ſub his commendetur omne juſtæ præfecturæ genus. Inſtit. c.
Denique id neceſſaria ratione colligam, fuiſſe in 20. §. 4.
Eccleſia tunc qui res bioticas dijudicarent, hoc 4.
eſt, officio magiſtratus fungerentur. Fuiſſe enim tunc quæſtiones de bioticis inter Chriſtianos certum eſt ex loco 1 Cor. 6. Hinc jam neceſſario colligo, illarum judices fuiſſe vel extra, vel intra Eccleſiam: Si dicat extra Eccleſiam fuiſſe tantum, tum vel bene faciebant Corinthii quod illuc ibant, vel debebant eas relinquere ſemper injudicatas. at illud repugnat objurgationi Paulinæ; hoc vero æquo & rationi. Unde neceſſario ſequitur, intra Eccleſiam fuiſſe tales, qui bioticis controverſiis decidendis vacabant aut poterant vacare. Et quid hi aliud fuere, quam hodie pii magiſtratus? ut hic rurſus (quod ſæpe ante) clavis trabalibus utriuſque alis templi ſui valvis affixum teneam Walachrum illum Veſpertilionem, quo, nudata deformitate, mordendo & pipiendo ætatem terat.

Quid ſi tam certum eſſet, non fuiſſe ſub Apoſtolis magiſtratus Politicos, quam clamat Walachrus, ac proin non entis tunc nullum fuiſſe jus & operationes: qua dialectica inde colliget, id perpetuum eſſe debere? niſi hoc perſuadeat, ſemper magiſtratus debere infideles & hoſtes Eccleſiæ

Eccleſiæ manere, quia ſub Apoſtolis tales erant; quod aſſertum impium & portentoſum eſt, ab ipſa experientia refutatum. Poſt trecentos enim à Chriſto annos Cæſares, ex prædicto, *oſculati* Pſal. 2. *ſunt filium*, facti ſunt nutricii Eccleſiæ, & patroni, ut in Conſtantino & aliis apparuit. unde apparet delirium Gtallatoris: haud aliter enim philoſophatur; quam ſi dicam de Nebucadnezare; quam diu lycanthropia correptus erat, inhabilis ad regimen, nullas tunc fuiſſe partes ejus agendi in regno; & inde colligam, hoc perpetuum dein fuiſſe, ut nil in regno poſſet agere; immo contra recuperata mente, reſtitutus quoque eſt regno & honori, priſtiniſque negotiis vacavit. Vel ſi ob delirium Patris officio funbi nequeat Pater familiæ, per tutorem tunc res fieri neceſſe eſt: ſed ſi mentem recuperet, quis ſanus tuebitur, illi intercluſam eſſe viam, ut ad familiam dein redeat, & res ipſe ſuas obeat? hoc eſt intentum Walachrorum illorum ſophiſtarum; quia aliquando delirarunt magiſtratus impii, & inhabiles Patres fuerunt regendæ Chriſti Eccleſiæ ac familiæ, etſi nunc mentem recuperarint, ſic ut fide, pietate, ſcientia, prudentia, & omnibus patris donis ornaverit eos Deus, tamquam deliros adhuc habendos, & extra familiam ergaſtulo ac morodochio eſſe includendos, ut ἄστοργοι illi filii familiam ſoli pro arbitrio regant.

Ego ſic potius colligam; quia Eccleſiam non rexerunt tempore Apoſtolorum magiſtratus (quod ſemper debebant facere ex Dei inſtituto) propterea quia infideles & hoſtes erant; ergo nunc

nunc eis hoc convenire immo teneri, quia nunc per fidei donum facti ſunt tutores, Patres & nutritii Eccleſiæ. Non abſimilis error, ac ſi dixiſſet aliquis de Iſraelitis, in perpetuum nullum fuiſſe illis agriculturæ & mæchanices uſum, quia totis 20. annis panem pluebat illis Deus à cælo, & attritum utenſilium ita inhibuit, ut nec calcei, nec veſtes tererentur: uſus enim contrarium docuit, & ſi forte multi ob ſegniciem maluiſſent illi commodo adhærere: tamen ſimulac Jardenem tranſierunt, deſiit manna, & illa utenſilium ἀφθαρσία ceſſavit; ũde neceſſe illis fuit ad agriculturam & mechanicam redire. Ut jam juſta ratione ſtatuam; poſtquam Chriſtianæ religionis profeſſores facti ſunt magiſtratus, in totum quoque jus priſtinum eſſe admittendos: quod quale fuerit in vet. Teſt. ante vidimus; ut nil ſit hodie in toto Eccleſiæ choragio, quod non illis licitum fuerit, jure divino, curare, regere, ac facere. Hæc non eſt mea tantum opinio: ſed ipſe Calvinus paſſim eam in ſcriptis inſinuat. Joſ. 5.

Etſi *exordia regni ſui noluit Chriſtus gladio juvari* &c. *non poſuit tamen ſibi æternam legem, quin tandem reges ipſos in obſequium cogeret* &c. *& ex perſequutoribus tandem faceret Eccleſiæ cuſtodes & patronos. tyrannidem exercuerunt initio magiſtratus adverſus Eccleſiam, nempe quia necdum venerat tempus, quo filium Dei oſcularentur, & depoſita violentia, Eccleſiæ, quam oppugnaverant, fierent nutritii.* &c. Comm. in Deut. 13. 5.

Ita Commentar. in 1. Tim. 2. magiſtratum dicit cenſendum eſſe ut terram in Eccleſia, cujus fertilitate ut fruges prodeunt, ita magiſtratus officio quoque Eccleſiam ali.

Comm. in locum Math. 20 dicit anabaptiſta-

rum furorem eſſe, magiſtratum ab Eccleſia Dei exterminare hoc Chriſti mandato.

Fieri enim poſſit, ut qui pagi vel urbis erit Dominus, ſimul docendi quoque munus urgente neceſſitate obeat. ut manifeſtum ſit, longe abfuiſſe illum virum à delirio Walachro, qui prætextu hoſtilitatis, quam exercuit in Eccleſiam Nero tempore Apoſtolorum, ſtudent magiſtratus pios in perpetuum ob omnibus Eccleſiæ negotiis arcere. Antichriſti naſcentis hoc fuit artificium, politicos abſterrere ab Eccleſiæ rebus quaſi ſacroſanctis,& non tangendis, ut ſe ſolus in Eccleſiaſtica aula jactaret, tanquam Æolus: nec defuerunt progreſſu temporis ἀνδρογύναι, Hermaphroditæ, & molles ac effæminati principes, qui omni virili vigore depoſito, Sardanapali inſtar, pellicibus Eccleſiaſticis ſe ſubſternebant: qualis fuit inter cæteros Theodoſius junior qui ſcripſit ad Epheſinam Synodum:

Nefas eſſe, eum qui extra catalogum ſanctiſſimorum Epiſcoporum eſt, Eccleſiaſticis queſtionibus immiſceri. & multo oſcitantior Baſilius Imperator; qui in 8. Synodo dixit:

Laicis cujuſcumque dignitatis non licere, in Eccleſiaſticis ſermonem movere, hoc eſſe Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum, qui ligandi poteſtatem habent, & Eccleſiaſticas claves; non noſtrum, qui paſci & ligamento ſolvi egemus: quæ verba ut aurea & Papæ ſupercilio adulantia ſæpe citant Ieſuitæ, & ex his quoque, ut egregia, late Gra'lator refert: hoc enim proprie intentum ejus eſt, Politicis ſuperſtitionem incutere; ut ab Eccleſiæ regimine abſtineant; quo ſibi ſuiſque liberum illic imperium, & papalem iterum tyrannidem procuret. Fue-

part. 1. p. 265. 266.

Fuerunt tamen per intervalla inſignes & generoſi Principes, qui maſculo vigore ſpirituales illas meretrices coercuerunt & ad colum redegerunt, imprimis Romanas; leges iis præſcribendo, jus vocationis interdicendo: Intet alios Iuſtinianus Imperator, de jure civili optime meritus, circa annum 500 multas leges quoque tulit de Electione Papæ, quibus mandavit Romanæ Eccleſiæ de vocando Romano Epiſcopo non cogitare, niſi numerata pecunia per libellum ſupplicem veniam eligendi ab ſe peterent: quale præſcriptum à Mauritio quoque datum erat Gregorio magno. Sed is à Foca cum filiis oppreſſus, circa annum 600 occaſionem dedit Bonifacio 3. ut Antichriſtus fieret, qui caput Eccleſiæ primus tum eſt dictus & habitus. Eluctavit dein imperium, & crevit licentia Papæ; donec poſt annum 800. à Carolinis iterum repreſſa eſt; uti ex Ludovici pii, Othonis & aliorum de hac re inſtitutis patet: imprimiſque circa annum 1070. Henricus 3. Cæſar generoſus Princeps Populum & totum Clerum Romanum juramento adegerat, nunquam poſt de eligendo Pontifice acturos, niſi primum venia ad hoc à Cæſare impetrata: quam legem vix decennio poſt Hellebrandus Papa funditus delevit; ſubjugato ſibi filio ejus Henrico 4 Cæſare; quem apud Canoſſam ſupplicem venire coegit: uti hæc omnia Platina authore exſtant, & Onufrio.

Mira quoque protervia Papæ ſemper fuit & Eccleſiaſticorum in legibus faciendis & pænis infligendis, nomine ſpiritualibus, ſed revera corporalibus: adverſus quam, magna contentione

Z 2 ſæpe

ſæpe luctati ſunt generoſi Proceres, donec fatali impetu vicit Antichriſtus Papa.

Id primo auſpicatus Ambroſius, ex Prætore ſubitò Epiſcopus factus authore Theodoſio; quem dein multis pænitentialibus inventis audacter afflixt, ut niſi bono Eccleſiæ fato id tunc tuliſſet Cæſar, funditus evertendæ Eccleſiæ occaſionem ſterneret.

Impudentior fuit Anaſtaſius Papa, qui Cæſarem excommunicare auſus; ſed à Cæſare dignis pænis eſt afflictus. Crevit audacia dein in Nicolao, & aliis, ut auderent Cæſari in os reſiſtere: (ut gloriatur Onuphrius) ſed ſero periit generoſis principibus ille vigor, ut non Eccleſiaſticas illas veneficas vinctas ad ſe accerſſerent, à pontificatu detruderent, exilio & morte mulctarent, denique omnia in negotio Eccleſiaſtico pro authoritate & arbitrio gererent, cum viderent præter jus & leges illa tractari. Quinimo Conciliorum indictionibus & deliberationibus ita diu præfuerunt, ut ſine illorum nutu & ſuffragio nil ab Eccleſiaſticis tentaretur; ut non modo innatam illis ſpiritualibus contendendi pervicaciam authoritate compeſcerent; ſed in graviſſimis doctrinæ & religionis negotiis, præterita Eccleſiaſticorum altercatione infinita, pro authoritate judicium ſtringerent.

Bellarminus ipſe citat exempla ex Brevic. Collat. tempore Auguſtini gravem quæſtionem fuiſſe inter Orthodoxos & Donatiſtas, quæ non poterat à Theologis componi: ſed terminata tandem erat à Marcellino Notario, & Tri-

& Tribuno Cæſaris Conſtantini minoris.

Idem ex Socrate refert, ſub Theodoſio juniore de religionis controverſiis diu diſputatum fuiſſe a Theologis; nec per Synodos potuiſſe lites componi: præcepiſſe ergo Theodoſium, ut quiſque ſibi religionis ſuæ formulas traderet; quibus perlectis & expenſis, Oravit Deum, & tandem rejectis aliis elegit ſententiam orthodoxam; quam ſolam dein præcepit ſervari. Bellarminus dubitat de fide Socratis; quomodo enim potuit ſcire (inquit) quid Cæſar in conclavi fecerit? putat hæc caſu, non Dei providentia ad preces Theodoſii accidiſſe. Si enim oravit Deum (inquit) credit, potius eum oraſſe ut ſibi ignoſceret, quod falcem in alienam meſſem mitteret in Eccleſiaſticum hoc negotium ſe temere ingerens: ut appareat prorſus, uno ore loqui, & iiſdem fidibus canere veteres Papiſtas & illos novos Walachros. Socrat. l. 1. c. 10.

Ego contra ex his concludo: Non fuiſſe illis inſignibus & piis principibus notum hoc myſterium iniquitatis, tam curioſe ſub ſacrilegio ſibi abſtinendum eſſe ab omnibus negotiis choragii Eccleſiaſtici. Si enim hoc intellexiſſent in ſcripturis ita conſtitutum eſſe, abſtinuiſſent; & tot pii doctores Eccleſiæ, quibuſcum vivebant, non tam facile hoc iis conceſſiſſent. Sed Hiſtoriæ docent, omnem in his contentionem ortam eſſe à Romano Epiſcopo, quem ad hoc impulit ſolus typhus, & fatum Antichriſticum: cujus orgaſmo nunc iterum pruriens Walachrus Grallator, tot abſurda, falſa & blaſphema

contra Pios magiſtratus edidit, quæ hactenus perſtrinxi: ut jam certe juvet cænoſum id ineptiarum ſenticetum evaſiſſe: niſi reſtaret coronidis loco indicandum diſtinctionum (quibus ubique luxuriat) acumen, quas licet ſparſim exploſi, ut videantur in ſynopſi, hic brevibus indicabo. Verecundiam enim ſimulans, non parum videtur Politicis tribuere ſæpe in Eccleſiæ negotiis; ſed vel inconſtanter, vel nunquam non tam incurioſè; quin ſtatim iis obicem ponat diſtinctiuncula; ne videatur pluſculum conceſſiſſe.

Objective formaliter. Quale eſt præ cæteris; quod concedat magiſtratui Eccleſiaſtica tractare *objective*, non *formaliter*. qua diſtinctione (ſi non futilis eſt) facile obtinebit, ſi vel omnia negotia Eccleſiæ faciat, & feciſſe comperiatur, nil tamen eum prorſus feciſſe: quia fecerit quidem res Eccleſiaſticas; ſed non *Eccleſiaſtice*, vel *ut Eccleſiaſticas*: cujus inuenti futilitas in hoc conſiſtit, quod ex circumſtantia & ignobili accidente facit formam: vult enim tantam eſſe *vocationis* hodiernæ, & imprimis Walachræ, vim & efficaciam, ut in homine introducat novam formam, vel, ut papiſtæ loquuntur, *novum characterem*, qui ad animam penetret: ut una eademque res tractata à Politico, non ſit Eccleſiaſtica, ſed ab *Eccleſiaſtico* vel *vocato*, fiat *formaliter Eccleſiaſtica*. part. 1. p. 91.

Quod diſcrimen tamen mihi non majus videtur, quam ſi aliquis eandem rem agat *togatus*, aut *paludatus*; vel pulllo & prolixo pallio theologico indutus, aut rubro, puniceo, politico ac militari: ita enim hac formalitate luditur inter Papiſtas veteres: qui de poſſeſſione ſuæ ſpiritualitatis ſe-

tis ſecuri, togarum hanc metallaxin habent familiarem; ut mutata toga mutetur quoque ſanctitas formalis. Non eſt enim infrequens, ut qui hodie Cardinalis eſt Eccleſiaſticus, cras depoſita toga illa, mutato habitu fiat ſæcularis princeps, ut nonnulli mane Eccleſiaſtici ſint, a prādio ſæculares. Necdum tam ſecurus eſt ſuarum ſanctitatum Grallator, ut audeat ita apertè ludere, præſertim in *ſuperlativa ſanctitate*. In *comparativa* tamen pari liberalitate utitur, dum ad preſbyterium legit Conſules & Senatores (ut dicunt) quos proin neceſſe eſt, vel eadem vel mutata toga, ſæpe mane curiales eſſe, à prandio Eccleſiaſticos: in Concionatoria ſuperlativa ſanctitate tam rigidus eſt, ut ne Proponentibus quidem, licet jam ſemiviris, eam communem faciat; ſed ſolis iis, quibus manus impoſitæ ſunt: unde authoritativa illa & ſacramentaria dignitas protuberat.

Non eſt, fateor, ſine ſpecie & principio hoc commentum: deſumtum enim eſt à Levitis. In illis enim erat innata & Dei ordinatione genuina ſanctitas; ex qua hoc diſcrimen oriebatur, quod una eademque res, à Levita tacta aut tractata, eſſet ſancta in ſacerdotio, à non Levita fieret profana, propter ſanctitatem perſonæ: ita quoque in primis illis arcæ & tabernaculi opificibus Belzeliel & Ahaliab (quos Deus ſuo Spiritu impleverat) & huic operi conſecraverat. Potuiſſent eadem opera fieri ab aliis (uti in Solomonis ædificatione factum eſt) quæ fuiſſent & erant *objectivè ſanctæ*, ſed non formaliter fiebant *Sanctè*, hoc eſt à *Sanctis* & ad *hoc ſan-*

dificatis; uti erant Belzeliel & Ahaliab. Ex hoc principio ſuam fabulam ſumſit ille Walachrus legendarius: quam fateremur aliquam ſpeciem habere, ſi ſine riſu auderet aſſeverare ipſe, vocationem hodiernam, & imprimis ſuam Walachram, habere aliquid divini præter commune vocationis inſtitutum, & finem: quoad modum certe ſcit ipſe tam mundanum & carnalem eſſe, ut non aliter in veteramentaria taberna licitando toga aut pallium comparetur, quam ibi ſpeciale id jus ſanctitatis. ut ſi velit larvam ſimulationis ſincerè deponere, dicturus ſit, quod Scævolam dixiſſe ait Cicero; mirari ſe, *quod Augur augurem videns non ſemper rideret*. Auguris enim munus magni erat honoris & authoritatis, & ex ignorantia populus mira de illo imaginabatur: ſed vir ille apprime eruditus ſciebat in augurii penetralibus nil eſſe vere ſolidi; quia ex avium garritu, eſu, & volatu nugas incertas colligebant.

Sic certe ſat ſcio, illum Walachrum inter commanipulares, ſi libere agat, ridere ſæpe, quod venuſto commento ſimplicibus hominibus imponant, in ſua vocatione eſſe miram ſanctitatem; quam ipſe ſciat nullam prorſus eſſe, vel ſi aliqua eſſet, malis ſuis artibus corrumpi, ut plerumque non is qui donis ornatior ſit vocetur, ſed quem promiſſa & favor optume provehunt: unde non mirum eſt, effecta nulla ſpiritualia ad hanc vocationem & manus impoſitionem ſequi hodie; ſed fere carnalia faſtus & ignaviæ, ut ſæpe dixi, ut certe ex punice

aquam

aquam quærat, qui ex tam profana vocatione venetur ſpecialis juris ſanctitatem, & putet eam hominibus introduci vel infundi. Si in hodierna vocatione & manuum impoſitione eſſet aliquid ſimile expreſſæ ordinationi & ſeparationi Leviticæ à Deo aperta lege ordinatæ, vel aliquo modo eſſet comparanda electioni ſpeciali Belzelielis & Ahaliabi, vel inſigni vocationi Apoſtolorum, quam præcedebat vel ſequebatur ſpiritualium donorum collatio, & eminens ſanctitas; tum aliqua ſpecie ſpeciale jus ſanctitatis poſſet obtendi; quamvis humillime de ſua authoritate ſenſerint Apoſtoli, 1 Cor. 3. & noluerint gloriari. Sed quia his omnibus donis & prærogativis caret, & propter impias Eccleſiaſticorum fraudes deſtituitur; quid hoc aliud eſt, quam (ut alibi dixi) ex pictis in tabula nummis de divitiis gloriari? Habet quidem *Vocatio* externam formam vocationis, quæ Apoſtolorum tempore fiebat, licet in multis corruptam; manus quoque ad illorum morem imponitur: ſed ſi omnia ſine fraudibus legitimè & quam proximè ad Apoſtolicum morem fierent; tamen nulla eſſet ratio certa colligendi, ſpecialis juris ſanctitatem certò illis accedere, qui illa vocatione eſſent donati (ut ille Walachrus jactat.) quia nulla expreſſa promiſſio exſtat in ſcripturis, *omnes tali modo vocatos ſpeciali jure ſanctos fore*. Stultum eſt ergo & ſuperſtitioſum id ita firmiter credere; quia fides ſine expreſſo Dei promiſſo vana ſuperſtitio eſt. Et ſi quoque promiſiſſet Deus hoc fore, quia promiſſa Dei ſub conditione ſunt, niſi homines actū corrumpendo

gratiam Dei impediant; hinc fit, ut multimodis obſtaculis hodie impediatur Dei benignitas, ne à vocatione & manuum impoſitione hodierna, maximè Walachra, poſſit accidere ulla ſpiritualium donorum affluentia, nedum ſpecialis juris aliqua *permanens ſanctitas*: non magis quam ad inflationem & unctionem apud Papiſtas ſanitas, uti id experientia quotidie teſtatur. Nulla ergo hodie vocatio eſt tam ſancta & legittima, quæ ullum ſpeciale jus ſanctitatis poſſit conferre, & ſanctum aut Eccleſiaſticum ſpecialiter aliquem facere; ſed totum nunc jus pendet à Donis;ut illic legittima vocatio & jus omnia ſacra obeundi ſit, ubi Deus dona & aptitudinem poſuit; qualiſcumque tandem ille ſit, ſive politicus,ſive nomine Eccleſiaſticus.Nil aliud confert *hodierna vocatio*, quam ordinem & debitum faciendi illa cultus negotia; quæ cuivis apto liceant, ſed ille vocatus, tanquam *mercenarius*, debeat: haud aliter ac in navi (quo ſimili Paulus utitur. 1 Cor. 4) omnibus quidem promiſcue licet remigare ſi velint aut neceſſe ſit;ſed ſpeciali tamen conductu & lege teneaur is, qui *ὑπηρέτης* eſt, & inferiori quaſi ſcamno adligatus: à qua ſententia non abhorret idem Paulus; qui
1 Tim. 5. Epiſcopos in *verbo laborantes*, hoc eſt, oneroſè totam vitam occupantes, duplici honore dignos eſſe dicit; non honorabili modo, ſed profitabili, quia ſtatim addit, *bovi trituranti os non occludes*, *dignus enim eſt operarius mercede ſua*: Unde apparet, non iſto modo diſtingui Præſbyteros à Paulo, quaſi aliquibus non prædicare liceret: id enim repugnat loco Act. 20. ubi Preſbyteros

promiſcue

promiſcuè Epiſcopos vocat, & omnes *paſcere jubet gregem*, quod proprie *docere eſt*: utriſque fuit tum licentia & officium prædicandi: ſed quia aliqui hoc faciebant liberè & pro rerum ſuarum ſtatu, aliqui verò in hoc *κοπιῶντες* (ut loquitur Paulus) totam vitam, relictis ſecularibus negotiis, impendebant, ut Apoſtoli, Euangeliſtæ, & Prophetæ; hinc dicit Apoſtolus, illos proprie *laborare in verbo*. & ex illo debito & officio non fieri proprie imperatores & reges poteſtativos (ut papiſtæ garriunt) ſed *boves triturantes* & *operarios mercenarios*; quibus non honorabilis modo honos debebatur, ut aliis, ſed profitabilis, hoc eſt, *merces* & alimentum ex publico. Ceſſant nunc certe in hodiernis vocationibus omnia extraordinaria Spiritus S. dona, quibus tunc Eccleſia abundabat, Dei juſto judicio, & ſi vellet adhuc Deus beneficentia ſua uti, promiſcua vocatorum vitia eum impedirent: ut nunc fere nil reliquum ſit, quod ex vocatione exiſtat, & à Walachris intendatur, quam merces & ſtipendium annuum: ex quo apparet, ſpeciale jus Concionatoribus vocatione nullum accedere, quam ut (relictis curis ſecularibus, quod difficulter faciunt) totam vitam impendant cultus negotiis; non quaſi principes, ſed *mercenarii*, qui pretio operam locarunt Ordinibus, unde illis merces accedit; ut certe nil habeant de mercenario opere, quo ſe inflent præ cæteris inſignibus Eccleſiæ membris, & imprimis pio magiſtratu. Perinde enim delirant; ac ſi in exercitu ſtipendiarii milites, qui ex conducto, excubiis omnibuſque caſtrenſibus moleſtiis adſtricti & adli-

adligati ſunt, glorientur adverſus Principem, cujus ſtipendia merent, aut voluntarios milites, qui libero ſtudio periculis & pugnis ſe immiſcent: ſed feliciores & digniores aliis reputantur, quia ſine ſtipendio puri honoris ergo militant, & pro arbitrio militiæ onera & pericula, poſſunt decli-
2 diſtinctio. nare. Hæc de primæ diſtinctionis futilitate ſatis.

Imperative non elicitive. Alterum figmentum ex ſcrutis Thomæ aut Scholaſticorum collegit; quo fortius adhuc arcet à ſuis ſacris politicos. Si enim hoc (quod metuebat) evincatur, magiſtratum & Politicos quoque *formaliter* Eccleſiaſticos poſſe fieri, ut certe fiunt, cum in Seniores eliguntur: quia
Act. 20. & 21. Præſbyteri, inſtituto Apoſtolorum, erant omnes Epiſcopi, Paſtores, ac proin quoque prædicatores & Eccleſiaſtici: ut caveat ſuis *ſpecialis juris ſacris*, aſſerit Politicos, quidquid agant, nil tamen agere; quia agant tantum *imperative*, non *elicitive*: in qua diſtinctione, uti in plæriſque, videtur affectaſſe terminorum obſcuritatem, ut ruſticos deciperet (quod dicitur) ſaccarios imitans; qui verborum congerie & manuum geſticulatione ſuas nugas obtegunt, & plærumq; clamant, *ne artificem confundat artifex*. Hoc ſi centies clamaret Graliator, non impetraret tamen, quin omnibus facile ejus impoſturæ eſſent ridiculæ; quod jam paucis indicabo. Si intellexit ipſe ſuam diſtinctionem, hoc voluit, Politicis non licere, negotia Choragii Eccleſiaſtici hodierni facere, *per ſe*: hoc eſt, ut ipſi prædicent, precentur publice, ſacramenta adminiſtrent, vocent, & cætera immediate faciant; quod illi eſt elicitive facere, & proprie *facere*: hoc autem dicit magnum

num ſacrilegium eſſe ſi magiſtratus audeat. quid ergo? magiſtratus omnia Eccleſiaſtica facere poteſt *imperative*: hoc eſt, poteſt imperare Concionatoribus, ſolis ſpecialiter ſanctificatis, ut illi negotia Eccleſiaſtica diligenter tractent, ad hoc poteſt eos cumulare beneficiis; poteſt monere cum reverentia ut Patres, & ſi prorſus ignavi ſunt, poteſt eos cogere & punire, ſed non per ſe: hoc iterum ſacrilegum eſſet, tangere illos unctos; ſed per Eccleſiaſticos; niſi in caſu rebellionis & ſeditionis, cujus judicium etiam convenit Eccleſiaſticis. Hoc intelligit per *imperative* & *elicitive* agere: quo venuſto invento putat ſe obtinere, ut magiſtratus verbis & vento oblectet; cumque videatur illis multum, immo omnia concedere in Eccleſiaſticis, revera tamen nil omnino tribuat.

Reſpondeo, hoc commentum niti falſis hypotheſibus, quæ nil quam pura figmenta ſunt. Primo enim patet ex antecedentibus, fabulam meram eſſe quæ hodie dicuntur de ſpecialis juris ſanctitatibus choragii hodierni. Nil enim eſt in toto choragio hodie, quod ſpecialem ſanctitatem habet, ut non poſſit ab omnibus fidelibus, & Chriſtum profitentibns tractari, & immediate peragi: ſunt enim omnia communis juris & ſanctitatis. Deinde, ſi aliquid eſſet ſpecialiter objective ſanctum in Choragio hodierno, nullum nunc eſſet medium, quo aliquis ſpeciale jus poſſet aſſequi divinum, ad Illam ſacram rem obeundã. Nemo enim in hoc jure naſcitur ut olim Levitæ: nemo de cęlo mittitur, ut Apoſtoli & Prophetæ; nemo vocatur voçatione divina, aut confirmatur ma- 1.

tur manus impoſitione, quæ ſpiritualis ſit aut ſpiritualia ulla dona extraordinaria confert, uti olim ſub Apoſtolis fuit: ſed tota hodierna vocatio, quoad modum, eſt pure humana, & ſæpe multis vitiis & fraudibus ſcatet; ut nil certius ſit, quam quod talis vocatio non poſſit aliquem ſpiritualem, & ſpeciali *jure ſanctum facere.* Plus eſſet enim in effecto, quam in cauſa adæquata, & ex arbore mala bonus fructus prodiret. Nil facit vocatio hodierna, quam quod aliquem ordinis cauſa adſtringit ad officium ſerviendi in illo loco, & res cultus faciendi: ſic ut, quod aliis ad id dona habentibus liceret facere, ut voluntariis militibus, ille ſemper teneatur ut mercenarius: in quem finem quoque refertur ab Ordinibus & magiſtratu in catalogum mercenariorum, & præcipitur Quæſtori, ut merces illi pro ſervitio illo ſolvatur. Hac vocatione perſuadere hominibus, ut aliquis fiat *Spiritualis, ſanctus,* & *ſpeciali modo ſanctificatus,* eſt puerorum modo perſuadere, ex argilla, luto, & arenis poſſe fieri panes, liba & paſtas regias: ita enim illi propter infantiam inter ſe balbutiunt: quos vere imitatur ille grallator, quum Anglis & Politicis, tanquam infantibus conatur perſuadere, tantæ efficaciæ eſſe hodiernam Vocationem; cujus contrarium ipſe ſuo exemplo, & plerique illorum *ſpecialiter ſanctificatorum* demonſtrant, ut jam conſtet figmentum merum eſſe; magiſtratibus, qua talibus, non licere *elicitive, per ſe, proprie & immediate* omnes res Choragii perficere. Id enim potuerunt facere in vet. Teſtamento; cur nunc non poſſent in Novo, in quo Ceremo-

remonialis præciſitas ablata eſt, & omnes fideles facti ſunt vere ſancti, & ſanctificati in Prophetas, ſacerdotes & reges ſanctos, ut loquitur Petrus: uti Calvinus aperte fatetur, *Præfecto loci aut pagi*, politico, licitum eſſe, *docendi munus obire urgente neceſſitate*. Oſtendimus etiam ante, ex lege & inſtituto Chriſti & Apoſtolorum, ipſam Baptiſmi & Cænæ adminiſtrationem non fuiſſe tam ſpecialis ſanctitatis, ut ipſis laicis hoc conceſſum ſit; & Chriſtiani inter ſe Corinthi cænam celebrarint, ſine reſpectu, aut præſentia ullius Epiſcopi vel prædicatoris, quantum ex inſigni narratione Paulina liquet. Si 1 Cor. 11. autem ſub Apoſtolis in his non fuit aliqua ſpecialis ſanctitas, manifeſtum eſt, eam, quam nunc obtrudunt Walachri, vel fictam eſſe, vel à Pontificatu deſumtam.

Alterum commentum hujus diſtinctionis eſt; 2. quod ſtatuat magiſtratum nil proprie in Eccleſiæ negotiis & *formaliter* agere poſſe, quia nil per ſe aut *elicitive agat*, ſed tamen omnia *imperative* & *per alios*: hoc enim ille ſtatuit *nil agere eſſe*: quod certe *elicitivum* figmentum eſt.

Si enim hoc verum eſt, tum malleus, ſerra, dolabra & inſtrumenta proprie faciunt ſtatuam & domum: quia illa proprie ſubjectum tangunt, & effectum producunt, non operarius.

Tum agricola non proprie colit agrum, ſed equi, quibus ille imperat & qui immediate aratrum trahunt, ut terram invertat.

Tum David nil fecit in occidendo Uria, quia hoſtes per ſe fecerunt & proprie, Joab ordinando, David autem imperative. Attamen ſcriptura

tura contradicit Grallatori: dicit enim non hoſtibus aut Joabo, ſed ſoli Davidi: *Tu occidiſti Uriam.*

Inſigne eſt exemplum de ædificatione templi Solomonis: in quo conſtat Regem nil feciſſe per ſe *& elicitive*: non enim exercuit murariam, lignariam, metallurgicam, & alias artes: hæc omnia commiſit architectis mercenariis: ipſe tantum imperavit, præſcripſit & direxit. Unde Walachra theologia concluderet, Solomonem nil proprie aut formaliter feciſſe; ſed ſolos Architectos & mechanicos. At Spiritus Sanctus contrario modo rem definit: illi omnes ne nominantur quidem in ædificatione templi; ſed Solomoni ſoli, ut ad hoc opus à Deo ſelecto, totus honos tribuitur, ut is Ædificator templi, & templum ipſum Solomonis templum ubique dicatur: ut jam pateat, deliria mera ſpargere Grallatorem, quod nil in Eccleſiæ negotiis agere magiſtratum aſſerat ſpecioſa diſtinctiuncula, quia non *elicitive*, ſed omnia *imperative* agat; cum contra conſtet, proprie agere, qui nil agens *elicitive*, omnia *imperative*, hoc eſt, juſſu, ductu, & impenſis ſuis agat, quod hodie facit magiſtratus.

3. Diſtinctio, ſecundum bioticas circumſtantias, & non ſubſtantiam

Ultima diſtinctio prorſus Seraphica eſt, & tam ſubtilis, ut nunquam illum obicem perrupturus ſit magiſtratus, quin ſi *formaliter*, & *elicitive* egiſſe videatur, ſemper tamen eum rideant & exſibilent Theologi Walachri. Cum enim credet, ſe aliquid feciſſe in Choragio ſacro Eccleſiæ, quia purum *accidens* eſt, dicent eum non tetigiſſe, immo ne tangere poſſe *ſubſtantiam Eccleſiaſ*-

cleſiaſ.

cleſiaſticorum ſacrorum, ſed tantum verſari in *mundanis & bioticis circumſtantiis* & accidentibus. Quod venuſtum commentum, certe Oedipo dignum, prorſus in perpetuum exterminat omnes politicos à Sanctitatibus Eccleſiaſticis, & liberaret quoque Eccleſiaſticos Walachros à Carnalibus, & Circumſtantiariis politicis: niſi inter circumſtantias Politicas una eſſet valde ſubſtantialis, quæ eſt, procuratio ſtipendii annui concionatorum; quæ ſubſtantiis Eccleſiaſticis tam vicina eſt, ut fere plus valeat, quam omnis ſanctitatum ſubſtantialitas. Papiſtæ veteres hanc Spiritualitatis partem ſibi diu vendicarunt, ut ipſi habeant ſpirituales fundos, reditus, & quæſtores; qua arte ſe prorſus liberarunt à Carnalitate laica. Non eſt dubium, quin ille Walachrus Papiſta (qui nil non) hoc quoque viderit, indignum eſſe, ut tam Spirituales homines, tam carnali & politico argento debeant victitare; præſertim cum ex ſpiritualibus decimis corradant, quidquid parce in Concionantium victum expendunt. Sed Politici hactenus tam ſpirituales non fuerunt, ut hujus circumſtantiæ jus dimiſerint. Metuunt enim, ne qui nunc ſubſtantia tota Eccleſiaſtici Choragii excluſi ſunt à ſuperlative illis ſanctis, tum quoque omnibus circumſtantiis excluderentur, illa principali circumſtantia amiſſa. Utcumque res ſe habeat; certe hoc commentum ultimum vel de facie officinam Papiſticam redolet.

part. 1. p. 114. & p. 91.

Illi enim ut ſuo idolo, pani tranſubſtantiato, caveant, ne à canibus edatur & vomatur, aut à gliribus rodatur, ſimile inventum commenti

ſunt, nimirum 'quidquid edant & redant, nil decedere ſanctitati Panis; quia tantum accidentia rodant, edant, ſpuant, non ſubſtantiam. Ovum ovo non eſt ſimilius, quam veteribus novus papiſta Walachrus: qui ut bene caveat ſui Choragii ſacris à tactu profano politicorum, aſſerit quoque, quidquid agant & velint agere in illis ſanctis, nil deceſſurum unquam dignitati Eccleſiaſticorum ſacrorum; quia perpeuto *accidentia* & *circumſtantias* tantum tangent, à ſubſtantiæ contactu excluſi. Per me licet, ut *ſimiles habeant labra lactucas*. Mihi abunde eſt, oſtendiſſe diſtinctionum facetias, quibus ubique luſit in ſuis ſacris Grallator. Nil magis expreſſit ſuo exemplo, quam *audacem eſſe inſcitiam*. Non poteſt eſſe tam abſurdum petitum, quin is, ſi in buccam venerit, pro oraculo venditet: Ut pios magiſtratus à Sacris ſuis arceat, non modo impiorum exemplo fere utitur, sed alibi aperte aſtruit, *fideli ratione dignitatis & muneris* nil convenire, circa res Eccleſiaſticas, *quin infideli vi muneris æque conveniat*. quod temerarium aſſertum perſuadebit ſanis, ſi credendum ſit, parem poteſtatem fuiſſe Lazaro ad exeundum ex ſepulchro, cum jaceret ſemiputris, quam cum à Chriſto excitatus ſtaret vivus: vel æquè multum juris eſſe Cani ad cuſtodiendum gregem, qui in lupum mutatus ſit, cum eo qui à lupi natura diverſus, cuſtodiæ ovium ſit natura aptus: vel tantum juris eſſe homini cæco & luminibus capto ad ducendum, quam illi qui utroque oculo linceus eſt. tam contemptim minuit ineffabile fidei & converſionis donum, ut fere nonniſi

part. 1. p. 76.

tamen

levem circumſtantiolam faciat in Politicis; cum tamen in ſcripturis ita deſcribatur, ut ex mortuo vivum, ex cæco videntem, & ex lupo canem faciat, hoc eſt, totum quaſi hominem immutet.

Sæpe etiam clamat, feliciorem fuiſſe Eccleſiam ſub cruce, quam nunc ſit ſub piis magiſtratibus; ſi velint Poteſtatem ſuam facere *privativam* non *cumulativam*: hoc eſt, velint Eccleſiaſticos impedire in ſuis ſacris per ſe obeundis; quod intelligit imprimis de poteſtate *clavium*, *nomotheticæ*, & *vocationis*. Putat enim hoc ad felicitatem Eccleſiæ imprimis pertinere, ut Eccleſiaſtici libere vocent quos volunt, prædicent quod libet, leges faciant pro arbitrio, tandem cenſura utantur pro arbitratu. Hoc putat ſub cruce ita actum eſſe abſolute: & quia ſentit Politicos his negotiis ſe immiſcere, ob carnalia vitia & ſcelera, quæ obſervant in his paulatim introduci ab Eccleſiaſticis; hinc pacis hujus ſatur, *Optat ephippia bos piger, optat arare Caballus*, & putat feliciorem fuiſſe Eccleſiam ſub cruce, cum nullos magiſtratus habebat, quam nunc cum tales habeat. Id quoque fatebor, ſi felicitas Eccleſiæ in hoc conſtet, quod Walachri novi Papiſtæ monarchia utantur in Eccleſia pro arbitrio: ſed illa puerilis felicitas eſt. Impuberes enim fere gaudent, cum abſentibus parentibus rem familiarem agunt pro arbitrio, & fere optant ut perpetua ſit: cum tamen nunquam res infelicius domi agatur: ut proverbium nobis ſit; *neminem domi eſſe quam pueros*, cum res confuſe fluunt. Quam felix ſit illa Eccleſiaſtica autarchia, ſine magiſtratus inſpectu, in Papatu vi-

detur, ubi protruſo magiſtratu Eccleſiaſtici ſoli regnant: ſed quanta felicitate? ut nil illic ſit, quam miſerabilis corporum & animarum carnificina. Non diſſimilem luſum edidit, monaſterii ſpiritualis rex Becholtius; non minori faſtu ibi turgens, quam Romæ Papa; cui tamen ad felicitatem nil deerat quam duratio: ſi talem ſitim ſitit Grallator, dignus eſt quem tandem conſumat diſperatio! nimis libere loquitur de Eccleſiæ felicitate ſub cruce. Non eſt moleſtum Apollonio, aliorum ſanguine fartis pulvillis nunc incubare & (quod dicitur) *in menſa Alexandrum debellare.* Si flagella, virgas, vulnera & cruces eminus vidiſſet, omnis illi *fortitudo cito in nervum eſſet eruptura.*

Hæc nunc longius diſſerui, non in cultum ſacrum Chriſtianum, ne quidem legitimum regimen Eccleſiæ;ſed in impudentes ineptias Walachri Grallatoris; cui cum propoſitum fuerit, non religionem veram excolere, ſed novum pontificatum introducere, non inique feciſſe videbor juſtis arbitris, quod inſulſas ejus fraudes cum riſu fere exploſerim: non quo ſacris veris illuderem, ſed Walachrum ſuppruriens fermentum papiſticum digne calcarem.

Nulli enim pio Politico hoc in mentem venit, inverſo Eccleſiæ vero ordine, religionis ſacra polluere, & proterere: Libertinorum & Atheorum eſſet illo veſania,a quibus longiſſime abſum.

Ne hoc quidem ulli vere pio myſtę ſerium eſſe autumem,in hodierni choragii negotiis eſſe tam abſtruſæ ſanctitatis ſpiritualitatem, quam ex ipſis Jeſuitarum ſcriptis imprudenter lectis ſomniavit

niavit ille Walachrus ſorex. Hoc eſſet legendarias fabulas Franciſci, vel Ottomannicas nugas Alcoranni Turcici (quas pridem vidimus) cordatis Politicis obtrudere pro veris. quibus certe nemo ſanus credet, niſi qui ſuperſtitione abreptus, aut vi coactus adigetur, ut vera fateatur & ſimulet ſe habere quæ ſcit falſa eſſe. Par impudentia Walachrorum turbonum, qui non contenti, ut Chriſtianis perſuadeant, in pretio ut habeant quidquid à Chriſto in religione ſtatutum eſſe ſacra oracula docent, hoc præ cæteris credi volunt in *opere operato* (ut loquuntur) *perſonis operantibus, aliiſque circumſtantiis*, latere miras & occultas dignitates ſanctitatis: quibus homines incautos ita dementant, ut veritatis nucleo neglecto, cortices circumſtãtialium ſanctitatum fere lambant: ex quo delirio tandem naſcitur, quod inflatis ſacrorum præfectis, nimium honorem (quem venantur) conferant, & ſuperſtitionem habeant pro religione. Provocabo hic libere ad conſcientiam piorum miniſtrorum Eccleſię; quorum quiſque fatebitur ingenue, ſat ſcio, quod in totius hodierni Choragii opere externo non ſit ulla tam interna, ſpiritualis, myſtica ac non tangenda ſanctitas. Ubi enim lateret? Verbum Dei legitur: Pſalmus ab omnibus canitur: preces vel ex charta vel memoriter recitantur: textus ſcripturæ explicatur, humano ac omnibus noto more ac methodo: Baptizãdus aqua communi adſpergitur in nomine & ad inſtitutum Dei: menſæ adſedetur; panis communis & vinum, diſtributa, ab omnib. eduntur, & bibuntur: de ordine ſacrorum faciendorum diſpicitur, ut confuſio vitetur: male

 agentes in

in Eccleſia, admonentur, & corripiuntur vel à communione Chriſtianorum publica authoritate ſeparantur: dona & Eleemoſynæ Chriſtianorum accipiuntur, & quoad fieri poteſt in uſum vere egentium expenduntur: hæc omnia nunc refero prout ſimpliciſſime fiunt, & ad morem Apoſtolicum quam proximè accedunt: à quo quantum quotidie imprimis apud Walachros deceditur! ut fere in Pontificatu non apertius ludatur, quam illic in cenſoriis aliiſque negotiis: hæccine ullus ingenuus dicet talia eſſe, ut abſtruſam myſticam in ſe ſanctitatem habeant, & in operante requirant? quæ ſi quoque neceſſaria ſit, quis eam à Vocatione hodiernæ prodire fatebitur? homines ſunt qui eligunt, qui vocant, & manum imponunt: etſi precibus, χειροτονίᾳ, jejunio & cæteris mediis hodie utatur Eccleſia, etſi manus imponantur, nuſquam promiſit Chriſtus ad hæc facta ſe ita concurſurum ſuo ſpiritu, ut ſimiles Apoſtolorum vocationibus effectus inde exiſtant: nec quiſquam niſi ſuperſtitioſus aſſeverabit, ſe ſenſiſſe, quod ad manuum impoſitionem ſubito ditatus ſit hodie ſcientiæ, linguarum, aut peritiæ donis, ac ſi forte tale quid de ſe glorietur Walachrus theologaſter, experientia & factis ipſis refutabitur. Quis ergo non videt, ineptire Grallatorem, qui in talibus quærit ſpecialis juris ſanctitatum latibula, ut ſibi emendicatum imperium comparet in Eccleſia cum totius cultus & veræ pietatis jactura?

Si talibus commentis homines dementare fas eſſet, quid non poſſet perſuaderi de politicis? Illi,

Illi ſimul ac ad regimen Architectonicum ſelecti ſunt, etſi privati erant, ſtatum fiunt ſancti Dei legati, vicarii, & Servi: illis omnis anima ſtatim ſubjecta eſt: illis gladius committitur & vitæ neciſque poteſtas accedit: nec quicquam refert quomodo ad eam poteſtatem pervenerint, fraude an jure: quomodo gladio utantur, juſte an injuſte: etſi in Deum peccent, ſubditis tamen parendum eſt; niſi ordinationi Dei reſiſtere velint, & judicium ſibi accerſere: denique *dii* fiunt; non humano, ſed aperte divino jure. Quis ergo miretur Herodem, Alexandrum, alioſque monarchas, de ſe ſomniaſſe, quod humano faſtigio altiores facti eſſent; cum tam infinita poteſtate donati, tot ſubditorum corporibus & animabus imperarent; ut ſi aliquos ſuperſtitio poſſet inflare, id certe locum poſſit habere in Politicis, quos non opinio, aut ſuperſtitioſa perſuaſio; ſed Dei lex, & aperta oracula Deos faciunt & omnium animarum præfectos. Attamen nemo piorum politicorum tam veſanus eſt, ſat ſcio, qui non ſe hominem eſſe & omnibus humanis imbecillitatibus ſubjectum fateatur; neque ab architectonica poteſtate ſibi quicquam ſanctitatis aut divinitatis ſubito acceſſiſſe; ſed eoſdem ſe eſſe qui ante erant, novo tantum honori, & oneri ſerviendi reipublicæ adſtrictos: qui altius de ſe ſentiunt, veſani ſunt, & digni, quos Angelus Dei (quod in Herode ſemel fecit, cum nimio faſtu turgeret) phthiriaſi percutiat. Hic faſtus ſi tam indecens & illicitus eſt Politicis, quibus tamen dominari, cum pompa regnare, architectonicè

 impe-

imperare omnia humana divinaque jura concedant: pudeat certe impudentiæ veteres Romanos, & novos Walachros Papiſtas; qui totius cultus divini & ſacræ religionis cardinem in hoc collocant, ut illis à ſacrorum cura & mercenaria tractatione veniat ſpiritualis dignitas, ſuperſtitioſus reſpectus, & ficti juris imperium: ut hic dolenda ſit humanarum rerum infelix ſors; quod *ab optumo quoque peſſima corruptio fere oriatur.* Quos enim Deus expreſſe ordini, cultui, modeſtiæ & pietati ſervandæ præficit; illos fere omnia tempora docuere occaſionem dediſſe, ut confuſio, faſtus, impietas, & cultus ipſius naſceretur contemptus. Levitas, conſecratione, lege, & omni honornm congeſtu fecerat olim ſanctos. Quis neſcit, temporis progreſſu ex illis prodiiſſe peſſimos, cultus contemptores & everſores? Pontifici dederat urim & thummim, ſpeciale jus tanquam ſanctiſſimorum cuſtodi: at quæ potuerunt eſſe portentoſiora monſtra, quam ex illis exſtiterunt? Princeps ſacerdotum erat cum ſua cohorte, qui Jeremiæ mortem intuliſſet per nefas, niſi Achikas politicus obſtitiſſet: principes Sacerdotum & Caiphas Chriſto necem injuſtam intulerunt: Pontifex erat Ananias, quem Paulus ut Parietem dealbatum perſtringebat, & merito: quia per ſicarios contra jus & fas Paulum occidere conabatur: Scribis & Phariſæis erat clavis ſcientiæ, & jus ſedendi in cathedra Moſis: at quæ potuit orbis geſtare infeſtiora monſtra, quibus toties Chriſtus ipſe maledixit. Poſt apoſtolorum tempora præſtantiſſimi Religionis defen-

Jere. 23.

Acto. 26.

defenſores fuerunt aliquandiu Epiſcopi Romani, ut ex hiſtoriis conſtat. At dein paulatim ex illis natus eſt Antichriſtus, homo ille ſceleratus & peccati; quod adhuc hodie in Papa videmus. Quid mirum eſt, idem nunc accidere? ut ex reformatis Walachris exſtiterit cohors ſeditioſa, anarchiam vel papiſticam hierarchiam ſpirans; cum pii magiſtratus contemptu, & Potentatum publica blaſphemia? Non eſt propoſitum, omnium pietatem & exiſtimationem convellere. Maneat certe ſuus honos innumeris piis myſtis; quorum moderatio abunde teſtatur, nil magis ſibi diſplicere, quam de faſtu, & fictis ſanctitatibus, inflatorum jurgia & altercationes: quibus pro ſummo honore eſt modeſtia, & cum vitæ integritate docendi ſimplicitas. Sed quia proclivis eſt in errorem innato vitio humanus animus; niſi extraordinaria Spiritus Sancti aſſiſtentia firmetur; quod rariſſime Deus fecit; & tot jam annorum poſt Apoſtolos centuriis nunquam feciſſe certum eſt: hinc non inutilem operam navarunt ſemper pii, ut remedia adinvenirent & præſcriberent, quibus graſſanti illi morbo obſiſterent: is eſt *cultus veri corruptio*: tam fatale certe malum, ut difficulter ullo ſæculo ita proſpectum ſit, ut non ex ſe ipſo ruinam faceret, & quaſi cariem generaret, quod videbatur optimis columnis fultum, firmiſſima macerie cluſum eſſe.

Scripſerunt confeſſiones & cathechiſmos initio reformatores; ut doctrinæ puritati caverent; leges & præſcripta regiminis Eccleſiæ, ut ordini

ordini conſuleretur: nuſquam accuratius ajunt proſpectum, quam in Zelandia, ubi Eccleſiaſticam polititiam Ordines ſua approbatione ratificarunt. Necdum eo felicitatis deventum inter Batavos; & hic apud Friſios; juſta, ut volunt, ſuſpicione, ne pervicax ſemper & heteroclitum hominum genus, ex lege legem quærens ex jure jus deducerent; & ipſos legum & jurum datores ſuis legibus & ſtatutis ad ſervitutem cogerent per conſequentiarias ambages: Attamen, ut videmus in hoc ſcripto Walachro, nuſquam atrocius in magiſtratus debacchatum eſt, quam illic ubi ipſe Apollonius fatetur Eccleſiaſticam politiam optume conſtitutam eſſe: nuſquam majoris rebellionis ſpecimina edita ſunt, quam illic ubi, vel pietate vel lentitudine, plurimum magiſtratus Eccleſiaſticis indulſit, ut quaſi incurabile malum medendo videatur augeſcere. Priuſquam deſinam ſcribere, paucis pro modulo indicabo, quibus modis iſti lepræ, & ſemper recrudeſcenti malo poſſit occurri; ne vel contemptu enervetur cultus vigor, vel nimio reſpectu tractantium, naſcatur pro religione ſuperſtitio: interquas ſyrtes difficulter navigavit ſemper Chriſti navis Eccleſia; quin alterutri vicinior, jacturam faceret, aut naufragium. Id impediet magiſtratus cura, circa Diſciplinam, nomotheticam, & Vocationem Eccleſiaſticam.

Diſciplina. Hoc ſtatuatur primo; eſſe ordinis quidquid hodie diſciplinæ reſtat in Eccleſia, nil aperte divini, aut ſpirituale habens; cujus effectus nulli ſunt, niſi in illis quos ſuperſtitioſa perſuaſio dementat,

dementat, vel ordinis reverentia permovet; in cæteris nil prorſus effectura qui pervicaces ſint, niſi magiſtratus politico metu fulciatur. Quid enim fuiſſet excommunicatio, & diſciplina, niſi ſub Apoſtolis miraculoſa vis & metus pænæ refractarios coercuiſſet? hæc nunc ad politicos ordinario modo tranſit. Nil hodie quoque eſſet ordo Eccleſiæ, cenſura & diſciplina, niſi magiſtratus reſpectu & gladii metu refractarii & ἄτακτοι continerentur. Quam indignum fuiſſet Eccleſiæ extrudere Apoſtolos, penes quos omnis regiminis vigor erat? Non abſimili errore tenentur qui hodie magiſtratus poteſtatem ab Eccleſia ſeparant; quæ certe omnis ordinis & diſciplinæ fundamentum eſt. Quamobrem id ratum debet eſſe piis magiſtratibus, penes ſe eſſe, ordini Eccleſiaſtico & diſciplinæ nunc conferre robur & quaſi animam: unde eis quoque convenit, hic legem præſcribere, qua via, & in quos obſervanda ſit: ut non temere ſimplicibus falſa ſanctitatis perſuaſione illudatur, ac ſacrorum mercenaria collatione, vel denegatione hominum animi inquietentur, vel ſacra cultus profanentur. Id certe Papæ immanis potentiæ & turpiſſimi principum contemptus principalis origo & firmamentum fuit; quod cenſurandi & excommunicandi licentia ſe armavit, ſimplicium laicorum ignavia, & politicorum lentitudine ſuperſtitioſa: ad quam ſe quoque ſperant perventuros Walachri turbones, & omnes ubique noui papiſtæ hierarchici. Nunquam tamen pervenient, ſi veſtra authoritate ſartum tectum ſit, nil in denegandis communi-

bus

bus ſacris, nil in conferendis, nil in admittendis ad Eccleſiæ cœtum, nil in excommunicandis, committere abſolute Eccleſiæ rectoribus, aut miniſtris; ſed ſingulorum momenta veſtro judicio ponderare: id effecturi architectonica poteſtate, ne male feriatorum Papiſtarum malevolentia, vere piorum conſcientiæ, fama, bona & vita temere infeſtentur: neu turbonum ſeditioſorum impia pervicacia piorum myſtarum, in conſervando cultu, promovenda hominum ſalute, & tuendæ Eccleſiæ vera ἐυταξία ſincerus labos unquam interpelletur. Hoc inter cætera ex veſtra præſentia orietur commodi, ut novis papiſtis interdicatis licentiam profanandi cœnam & omnia ſacra. Nil vulgarius illis ἀνόμοις, quam leges ſanctitatis aliis præſcribere, quos ne digitulo ipſi velint tangere. A Levitis id ſumſiſſe videntur, quos Chriſtus dixit, ſabbatum ſervando, ſabbatum profanaſſe: laborabant enim & omnia laniorum opera faciebant; cum ſabbatum præcipiat quieſcere: ſed hoc inevitabile erat, & ad cultum neceſſarium. Papiſtarum enormitas nec neceſſaria nec inevitabilis eſt, ſed arbitraria, & malo mori Papæ adæquata; qui leges quidem innumeras Chriſtianis præſcribit, ſed ipſe exlex eſt; ut peccando peccare non credatur: quis enim Papam excommunicet? *ſi mille animas ducat in infernum, quis illi dicet, quid facis?* quia diſpenſandi & remittendi omnibus poteſtatem habet, quis neſcit illum ſibi ante omnia diſpenſare? hæc lepra ad novos papiſtas ſenſum delabitur: præcipiunt Chriſtianis, ut nonniſi probati ad cænam accedant; in vitam & mores ſingulorum

lorum

lorum inquirunt,non ut animo illorum opitulentur (illa cura ab illis exulat,) ſed ut imperium oſtentent, & famæ boniſque ſingulorũ inſidientur. At ſi novercali & theologico odio inter ſe contendant,ſi rixentur & pugnent omni dedecore & infamia, ſi potent etiam publico ſcandalo: ſi pergræcentur; vel fraudum infamium convincantur: quis unquam improbatum putat ſe ad Cænam accedere? quiſque ſuarum nequitiarum ſibi diſpenſator eſt. Quod ſi etiam res Conſiſtorii vel Claſſis cenſuræ committatur; quid aliud fiet quam ut aſini ſe mutuo ſcabant? cenſurator dicet; frater peccaſti: cenſuratus reſpondebit cum riſu, frater peccavi;ſed non ego ſolus, ſed tu quoque; ſt! meminiſtin?ita cum ludibrio conticetur, & quaſi feculento peniculo fece perſtringuntur. Quid hoc eſt aliud, quam omnia ſacra profanare? Veſtra ergo architectonica poteſtas adſit oportet cum gladii & pænarum terrore, quæ talium ataxias compeſcat, & doceat ſacrorum cuſtodes ſua ſacra non proſtituere.

Ad nomotheticam & dependentiam devenio, quam ut ſanctiſſimam liberam volunt ſibi eſſe Walachri papiſtæ. ſed oſtendi ante, nil divini juris in illis eſſe. Habuerunt quidem conventus Apoſtoli, ſed populares, cum omnium membrorum præſentia, in quibus nil imperioſi, nil faſtuoſi apparebat: ſed ordo & faſtus excogitavit, Claſſis, Synodorum, Provincialium, Nationalium, univerſalium, & ceterarum ſuperba nomina & inventa, Apoſtolicis Eccleſiis, ut ante oſtẽdi, ignota. Ac ne quidem ibi leges feciſſe cõperiuntur Apoſtoli multas, vel rigidas & neceſſarias; quæ onus

Chriſtia-

Chriſtianis imponerent & ἐθελοθρησκείας occaſionem; quas rigidè ubique vetabant, ne diceretur Chriſtianis quod pſeudapoſtoli, *ne comedas, dein' ne guſtes*, ultimo *ne tangas.* Adde, quod Apoſtolici conventus fuerint extraordinarii. Architectonica enim poteſtas miraculoſe reſidebat in Apoſtolis, quæ ſe exſerebat cum res requireret: multi aderant, quibus prophetiæ, linguarum, regiminis, diſcretionis ſpirituum donum erat, pleno ſpiritus ſancti effuſu; ut illic non opus eſſet contendere & rixari: quia enim omnes agebantur uno Spiritu Sancto, facile erat Spiritus prophetarum prophetis ſubjici, & inter ſe convenire. His divinis conventibus qui comparet hodierna papiſtarum conciliabula, is ſeptem ſapientum Græcorum conſeſſui comparabit bajulorum & circumforaneorum gerronum concurſus. Non Nazianzenus primus obſervavit, ſed omnis experientia docuit; Eccleſiaſticorum conventuum præcipuum uſum ſæpe fuiſſe, ut fruges conſumerentur, vel contentione una compoſita pene innumeræ aliæ ſererentur. Quia enim quivis putat ſe legatum Chriſti, Chriſto immediate ſubjectum, & ſub nullius imperio eſſe, ac Spiritu Chriſti pleniſſimum; hinc raro accidit, ut alter alteri ſcreandi, altercandi & contendendi palmam velit concedere, donec moderatiores, licet ingenio, pietate & donis præcellant, contentionum pertæſi, rem dimittant, & conniuendo permittant, ut deterior cauſa vincat. Hoc apparuit vel in prima Synodo Nicena, ubi contentionum nullus fuiſſet finis, niſi Architecton Cæſar ſublimiori ſella præſe-

præſediſſet: cujus authotitate tamen non impediti ſunt contentioſi Eccleſiaſtici, quin faſcem libellorum ſupplicum, de conviciis & privatis contentionibus ac rixis Cæſari obtruderent; quorum pondere ut ſe levaret, omnes in ignem projeciſſe dicitur. Hæc ſi accidiſſe compertum ſit cum gladio armatus interfuit, quid credimus accidere illic, ubi ſine ſalis politici admiſtione colliduntur carnium grave olentium ſegmenta, nil ſæpe quam animam pro ſale habentia? qualia apud Walachros fere reperiri hoc opere oſtenditur. Nil certius eſt, quam conventibus conſiſtorialibus illic & Claſſicis nil eſſe contentioſius & inordinatius; ut moderatis & piis Chriſtianis moleſtum ſemper fuerit & ſcandaloſum iis intereſſe: multos etiam ita offenderit, ut dein addubitarint, illic pietatem, religionem veram & Spiritum Dei eſſe, ubi tam infames ordinis, juris & modeſtiæ violationes viderent. Hæc qui æquo animo cogitet vera eſſe: annon mecum fatebitur, iniquiſſimum & maxime calamitioſum fore, ſi talibus conventibus libertas detur, leges ſtatuere conſcientiis & Chriſtianis præſcribere, quod ſub pæna excommunicationis minoris & majoris cogentur obſervare? Ea ſuperſtitio ſi ſemel occupet animos politicorum, actum erit de religione: omnis potius religionis ruina papalis naſcetur reformatis. Non eſt aliud huic malo remedium, quam ut rara ſit conveniendi talibus Eccleſiaſticis licentia; quippe nullum alium finem habitura, quàm ut lis ex lite ſeratur, & imperandi quæratur periodus. Imprimis, ut nunquam abſit Politica pote-

ca poteſtas, non ut ibi inter Arietes cornutos ſedeatis ἀκέραιοι agni conſiſtoriales; quos cum ludibrio Grallator pluralitate ſuffragiorum per artem comparata derideat: ſed ut ſella ſublimiori, tanquam Dei vicarii, architectones, quibus omnes animas Deus ſubjecit, præſitis Eccleſiaſticis quoque animabus; ne dimiſſa animarum cura, ſecularibus & politicis negotiis inhient, veſtroque imperio inſidientur.

Vocatio. Reſtat *vocatio*, omnium ſanctitatum latibulum: ab hac imprimis Politicos extrudere conantur Walachri, vel *eligendi* vel ſaltem *confirmandi* & *manus imponendi* jure. Sed ficta eſſe omnia terriculamenta oſtendimus. Electionis certe jus Politicis ipſe Grallator vel invitus concedit: manuum impoſitio nil quam vocationis conſectarium aut appendix eſt; ne ea quidem tam ſeparati & præciſi juris, ut non, inter Apoſtolos, comperiatur, aliquando non uſos: aliquando ſæpius uſos eſſe: aliquando, multis, & non ſolis prædictoribus conceſſum, tanquam indifferentem ritum: ut ipſe Calvinus oſtendat, Presbyteros promiſcue manus impoſuiſſe; ſed uſum tandem & faſtum ad Epiſcopum hunc honorem tranſtuliſſe. Cui malo amovendo hoc remedium fuerit, ut Confirmatio per manuum impoſitionem non ſuperſtitioſe fiat per prædicatorem; ſed quandoque per ſeniorem, vel diaconum, Politicum, vel Chriſtianum pietate inſignem: ne quidem unum ſemper, ſed quandoque plures; ut vetus ſimplicitas reſtituta, ſuperſtitionem papiſticam aboleat. Id ſi authoritate efficiat magiſtratus; ceſſare faciet ſuperſtitioſæ ſanctitatis

ctitatis Eccleſiaſticæ, ſpecialis juris faſcinum,& impediet ſpirituales nequitias Eccleſiaſticorum, in vocatione ſolennes illic, quas ſæpe indicavi, & uſus cottidie magis magiſque oſtendit: Imprimis ceſſabit illa ſuperſtitio, quam omnibus conatur incutere Grallator; non licitum eſſe Politicis ſub ſacrilegio Eccleſiæ miniſtros eligere; ne quidem electos removere; niſi ad nutum Eccleſiaſticorum. Fateor, cum moderatio hominum animos regit, communi conſilio rem gerendam eſſe: ſed ſi id comperiatur, (quod in Grallatore & Walachra ejus cohorte) ut tota contentio ſit de præeminentia, ut quod magiſtratus probet, Eccleſiaſtici per fas per nefas improbent, quo imperium ſibi comparent Eccleſiaſticum; ſi in electione miniſtrorum unice intendant, ut tales eligant, quos occulta catecheſi, & promiſſis ſibi devinciant, in promovenda Eccleſiaſtica libertate (ut loquuntur) hoc eſt, papiſtica hierarchia, omnem lapidem moturos: quod hodie myſterium ſanctum Walachræ Vocationis eſſe perhibetur: in tali caſu, quid vetet magiſtratus rem authoritate gerere? quod non Salomon modo fecit & Alii, ſed ipſi Apoſtoli, plenipotentiarii & architectones: qui Eccleſiæ quidem permiſerunt precibus, forte, & χειροτονία eligere, quamdiu ordo maneret ſincerus: ſed ſimulac ſelectu carnali erraret Populus, vel perverſo impetu ſe intruderent pſeudapoſtoli, obſtreperent Alexander Faber, Hymeneus, Elymas vel alii veteratores; non deſierunt, authoritate monarchica miraculoſa, qua præditi erant, omnes in ordinem cogere. Hæc

poteſtas in magiſtratibus piis nunc eſt ; & per eos in Eccleſia. Quis ſacrilegium eſſe ſomniet, ſi in vocando miniſtro ineptiſſimum flagitent Eccleſiaſtici, occulto intento inhiantes (quod dixi) & pertinaces ſint, uſque ad Eccleſiæ ruinam; pro authoritate efficiat magiſtratus, ut Eccleſia optimum habeat, & mature adſequatur ? rurſus, ſi per fraudem irrepſerit, ut vulpes, talis, qui donorum requiſitorum inanis, de præferentia imprimis contendat ; & in hoc totus ſit, ut politicum regimen ſubruat, lites ſerat, & popularem auram venetur, qua ſeditionem crebro minetur & procuret magiſtratui, quoties ejus ſupercilio non aduletur : quis licentiam eripiet magiſtratui, ut talem compeſcat imperio, & cogat divinæ ordinationi ſe ſubjicere, hoc eſt, politico gladio parere? non ut ſemper miniſterio deturbetur, quod Solomon fecit, & noſtra ætate alii. Varia poſſunt eſſe hujus mali alexiteria ; ut non neceſſe ſit extremis morbis ſtatim extrema remedia opponere. Principio *mulcta*, & pæna rem corrigere liceat ; non ridicula Eccleſiaſtica, ut cenſor cenſuret verbis ; & cenſuratus cum riſu verbis pænam expleat, vel explodat : ſed *pecuniaria*, quæ animam etiam Eccleſiaſticorum tangat : ut quæſtori ærario publica authoritate imperetur, ob neglectum aperte miniſterium, vel male factum officium, tanta pars annui ſtipendii detineatur : hanc ſenſilem pænam nemo, ſat ſcio, tam ſpiritualis erit, qui non metuet. Altior gradus eſt, quem dicunt in politia Eccleſiaſtica conſtitutum eſſe Zelandiæ in actis : ut qui juſta ratione notabilem partem Eccle-

Eccleſiæ in ſe concitarit, (qualis poteſt eſſe Politicus magiſtratus) miniſterio illius loci ſolvatur, & inde tranſlocetur, in perpetuum. Non ſit inconveniens, à gentilibus quoque ipſoque Papa medelam mutuari; ut olim à Tyriis & gentibus aurum & ligna Salomon ad ſacrum templum ædificandum. Inter Lacedæmonios & Athenienſes Oſtraciſmo & Petaliſmo amandabant ex urbe decennio toto, non infames, ſed quos populi favor fecerat affectatæ tyrannidis ſuſpectos: non erat inhoneſtum, nec perpetuum exilium; ſed decurſo decennio redibant: id tantum exſtabat, quod longa abſentia deſiiſſent reipublicæ eſſe prægraves, vel metuendi. Non abſimili more Papa vel Epiſcopus hodie quem ſcit virtute aut zelo præpoſtero; vel etiam aliquo tolerando nævo eſſe alicubi prægravem aut ſuſpectum, non inhoneſta permutatione alio amandat,; quo perſonale aut locale incommodum vitetur; ſine honoris vel commodi] jactura gravi ejus, qui illa obſervatione notatur. Sunt alia, quæ ab aliis poſſint excogitari, in medelam exæſtuantis hodie Eccleſiaſtici typhi: cui ſi omnibus modis obviam eatur, abſciſſis ſuperſtitionis & papiſticæ tyrannidis loliis, purum tamen & ab omni contemptu liberum manebit religionis, & ordinis reformati frumentum. Dicet aliquis; quid fiet? ſi magiſtratus impius & tandem Eccleſiæ hoſtis exiſtat, tali poteſtate in Eccleſiaſticis donatus? annon Eccleſiæ ruinam trahet illa ſuperminens poteſtas? quæ prævenietur ſi à ſacrorum contactu religioſe arceatur: Reſpondeo, non eſſe *facienda*

oienda mala ut veniat bonum: nec figmentis implendos hominum animos, ut periculum ab Eccleſia arceatur. Non erat improvidus horum malorum Paulus (ut ſæpe dixi) & tamen omnem animam omni magiſtratui ſubeſſe præcepit. Accedat etiam, quod ſemper paratior ruina venerit religioni à nimia Eccleſiaſtica poteſtate, quam politica; ut hæc inteſtina & domeſtica ſemper clades ſit; illa neceſſitate ſic ferente poſſit ſecludi. Exemplo ſint Papiſtæ, & imprimis anabaptiſtæ, inter quos cum Politicæ poteſtatis contemptus, vel nullus uſus ſit; videmus in infinita ſchiſmata dirimi quotidie inſociabili diremptu. Idem accidiſſet Chriſti Eccleſiæ perpetuo, ni ſub Apoſtolis miraculoſe, ordinarie dein poſt eos architectonica vis unitatem ſervaſſet, & religionis puritatem: ut non ante pleno Antichriſtianiſmo religio exſtincta ſit, quam cum ſuppreſſo Politico gladio, Eccleſiaſtica tyrannis omnia occupavit. Si Deo viſum ſit, Eccleſiam illo extremo malo viſere, ut magiſtratus noſtri impii fiant & Eccleſiæ hoſtes, nil tunc obſtare poſſet fictum Apollonianum imperium hierarchicum; non magis quam puerilia in hortulis privatis ſata occurrant fami, ſi terræ ſit generalis ſterilitas, qualis erat in Ægypto. In tali caſu orandus eſt Deus, (inquit Calvinus) ut magiſtratus convertat; ferendum infortunium & quibus poteſt mediis religionis puritas, ſi non ordinis & regiminis præciſitas, ſervanda eſt: uti videmus de præminentia, imperio, & poteſtate, non multum contendiſſe Chriſtianos; cum cruce oppreſſi gauderent, ſi quovis modo

cultus

cultus divini & veræ religionis aliquam formam ſervarent.

Atque hæc quidem fateor me propoſito longius nunc diſſeruiſſe, & in commune conſuliſſe, non quo cultum vere Chriſtianum aut veram ejus taxin carperem, ſed æſtuanti nunc apud Walachros incendio hierarchico opis & conſilii ſitulam reſtinguendo conferrem; imprimis Clariſſimi noſtri Vedelii manibus, apud nos piiſſimis & optume meritis, parentarem, quibus cum conſpuendis & permingendis videbatur operam addixiſſe Walachra cohors papiſtica, & ejus coryphæus Grallator, inique feciſſe non videbor, quod pro malefactis acrius alicubi perſtrinxerim: Hoc unice intendens, ut cuculum illum Walachrum aut picam Æſopicam deplumarem; quæ ſe variis plumis exornaverat, quarum maximam partem mutuo ſumſerat à pavone illo Romano Papa, quod abunde oſtendi. Nec quicquam occurrebat concludenti accommodatius, quam quod narrat Ariſtoteles, *de bove ſylveſtri, quem Bolinthum vocant Pæones; quæ fera habebat ab equi natura, quod jubata eſſet, bovi tamen ſimilis erat toto corpore, ſic ut cornua haberet nigra, magna, ſed in ſe reflexa, calcibus ſe tuebatur, & alvi proluvie; largam enim fimi copiam rejiciebat ad paſſuum quattuor ſpatium, ferventis adeo, ut canum qua pertingebat pilos abſumeret: verum concitatæ tantum belluæ, non quieſcentis ſtercora eam vim habeant.* Hæc ille.

Ariſtot. lib. de mirabil. initio.

Walachrus certe ille bos triturans, equi inſtar jubatus, magiſtratus ſuos cornibus vehementer petivit, ſed in ſe ipſum reflexis, nil tetigit: calcibus

cibus conatus eſt proterere, ſed fruſtra; ut nil niſi perturbatæ inſtar belluæ, ſtercus, ex Jeſuiticis latrinis collectum, copioſe & ad multos paſſus projecerit, eo calore ut urere videretur; ſed nonniſi pilos perſtrinxit iſte fervor, nec dubitandum eſt, ſi quieſcat fera, quin calorem & vim amiſſura ſint ſtercora: ſin pergat ferocire, non deerit, ſat ſcio, qui calentia ei in tergum retorqueat, ut ſuis ipſa excrementis fæteat & uratur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTOR. EMANUELE